MISCELLANEA

DI

STORIA ITALIANA

EDITA PER CURA

DELLA REGIA DEPUTAZIONE

DI STORIA PATRIA

TOMO VII.

TORINO
STAMPERIA REALE
MDCCCLXIX.

STATUTA

CALIGARIORUM ET SARTORUM

CIVITATIS LAUDAE

nunc primum edit

ANTONIUS CERUTI.

LECTORI BENEVOLO

Ex vetustioribus statutis, quibus publica liberorum Laudensium res olim regebatur, nihil aliud nobis superfuisse videtur praeter ordinamenta, quae in gemino tenuique codicillo membrano, in hac Ambrosiana Bibliotheca asservato, leguntur. Horum primus circa saec. XVI conscriptus exhibet iura, quae annis 1261 et 1263 caligariorum societas, seu, ut aiebant, paraticum statuerat sive laudaverat; alter vero saeculo uno vel altero vetustior ea, quae sartorum collegium anno 1426 confirmaverat. At si huius textum attentius inspicias, non dissenties altius legum in eo conscriptarum originem repetendam esse. Si enim saec. XIII iam caligariorum societas vigebat, cur et sartores inter se societatem non instituissent, quam sua peculiaris lex tueretur? Praeterea quasdam consuetudines duobus his collegiis communes, et nonnulla verba prioris aevi rusticitatem immo barbarismum olentia, ceu *cusire*, *exmancare*, *exmentire*, *roba*, *ferita* et eiusmodi, quae saec. XVI procul dubio invecta non sunt, huic maioris antiquitatis opinioni arbitror suffragari. Mitto igitur huius sartorum statuti praeloquium, quippe quod anno 1426 conflatum illius temporis imaginem referat, cum municipiorum leges non e senatus populique consulto manarent, sed potius ducum nutu, qui tunc publicae rei summa potiti erant, et plerumque civium libertatem et *αὐτονομίαν* iam occiderant; ac statutorum tantum capitula in medium proferam.

Ceterum frequens in his codicibus populi et communis Laudensis statutorum mentio occurrit, in quibus hae calceariorum sartorumque leges sane comprehendebantur; sed ea hominum et temporum iniuria periisse dicendum, quum medio et labente saeculo XIII saepe bellorum incendia et vastationes inter Laudenses et finitimas civitates exarserint.

Nec longius disserere de harum legum auctoritate et momento e re censeo, cum apud quosque historiae fontium et monumentorum gnaros constet ex praecipuis liberorum civium iuribus fuisse auctoritatem condendi, prout locorum aut temporum ratio postularet, artificum societates, earumque proprias leges statuendi; et civium libertate sua ipsorum ignavia aut improbis sese intrudentium tyrannorum conatibus sublata, eiusmodi collegia simul collapsa vel lata lege fuisse abrogata, persistente tamen in plerisque urbium viis, in quibus ipsa collegia velut in munitissima arce sociatim considebant, nonnullarum artium memoria, quae ipsis nomen suum, historiae monumentum, indiderant.

Attamen hac super re lectorem ad ea, quae in notis ad Comensium statuta fusius disserui, remittens, hic dicendi finem ponam, praeclarae Laudensium civitati ex animo ominatus, ut integrum illius aevi (1) statutorum corpus, si quae adhuc supersint, eruditorum opera ad maximum historiae lucrum tandem prodeat.

Dabam Mediolani, nonis februariis anno rep. sal. MDCCCLXVII.

ANTONIUS CERUTI.

(1) Quaedam Laudis Pompeiae statuta collecta in ordinem compacta sunt Io. Galeatio a Vicecomitibus Mediolani duce, et Alberto a Verme civitatis et districtus potestate et *capitaneo*, mense ianuario ann. 1390. Dein anno 1537, curantibus Christophoro Sacchio et Iohanne Tiraboschio, Mediolani primo edita sunt in officina Gothardi Pontici. Quaedam vero sutinae artis statuta vulgari eloquio descripta Laudae excusa sunt anno 1706, Mediolanensi Senatu approbante, sed omnino diversa.

STATUTA
PARATICI CALIGARIORUM
CIVITATIS ET BURGORUM
LAUDAE
DE ANNO MCCLXI

I. In nomine Domini amen. Sacramentum sindicorum paratici caligariorum tale est: Ego iuro ad sancta Dei evangelia, quod cum fide et sine fraude guidabo et salvabo omnes homines dicti paratici usque ad kallendas augusti proximi, et id totum quod in me de rebus dicti paratici venient, guardabo et salvabo ita, quod nec furtum faciam nec fieri permittam, exceptis solidis quinque imperialium, quos concessum est consulibus et canevario et notario pro unoquoque habere occaxione dicti officii, et denarios otto imperialium occaxione bibendi tantum, quando facient cereum beati Bassiani vel fieri facient; et quicquid recipiam et expendam occaxione paratici, singulariter scribam vel scribi faciam, et futuris consulibus rationem reddam; et dicti sindici teneantur in isto termino elligere unum hominem dicti paratici sorte, qui sit consul, et unum alium iuxta se elligant idoneum ad dictum paraticum regendum; ita quod exequentibus porta huius civitatis sit unus consul; ellector vero taliter

elligendus est, scilicet quod elligendi sunt duodecim viri dicti paratici, scilicet tres pro qualibet porta, et ille, qui sortem habuerit per taxillos vel alia iusta sorte, sit consul, et penes se secundum dictam formam tres alios eligat canevarius dicti paratici, scilicet sorte elligere debet hoc modo, scilicet quod sindici elligere debent quattuor homines dicti paratici ydoneos, scilicet de qualibet porta unum, et qui sortem habuerit, sit canevarius. Et qui consul seu canevarius fuerit, non possit vel alter eorum cum eo habitans ad unum panem et vinum amplius consul vel canevarius esse usque ad duos annos; et qui ad sortem fuerit consulatus vel canevarie, non possit etiam ad sortes eligi infra duos annos. Sic sindicus dicti paratici hoc sacramentum prestet; item si quis consul novus fuerit istius paratici, teneatur aliis consulibus et servitori et canevario et scribatori dicti paratici comestionem dare. Item statuerunt sindici istius paratici, quod quilibet canevarius vetus et novus debeat dare pastum unum consulibus et servitori et scribatori istius paratici.

II. MCCLXI die dominico, XIII die mensis februarii, indictione quarta, domini Oldratus Codicaxa et Ioannes de sancto Laurentio et socii officiales comunis Laude ellecti secundum formam statuti comunis Laude, ad videndum statuta paraticorum Laude et omnium locorum episcopatus Laude, et ad ea approbanda et causanda, viso et lecto statuto paratici callegariorum Laude, approbaverunt et affirmaverunt omnia statuta et ordinamenta, que superius scripta continentur ab eis visa, salvo honore comunis Laude et preceptis potestatis Laude, et salvis statutis comunis Laude et statutis et honore populi Laude.

MCCLXIII die lune, quarto die iunii, indictione sexta: domini Sozo de Vistarino et Iacobus de Summaripa,

et Montenarius Niger, et Anzolinus de Sallario ellecti per comune Laude ad approbanda et firmanda seu cassanda omnia statuta paraticorum comunis Laude, et omnium locorum episcopatus Laude, approbaverunt et affirmaverunt omnia statuta et ordinamenta, que superius continentur, preter canzellata et mancificata.

III. Item statuit et ordinavit dictum paraticum callegariorum MCCLXXXVI die iovis primo mensis augusti, quod aliquis callegarius civitatis et burgorum Laude non vadat nec presumat nec cum aliqua persona nec personis ad banchum alicuius callegarii causa emendi subtulares, paticos et ocres; et qui contrafecerit, cadat in et per iuramentum, et insuper componat pro banno denarios sex imperialium pro qualibet vice totiens quotiens contrafecerit; et quilibet calegarius teneatur per sacramentum acusare contrafacientem; nec aliquis callegarius debeat dare laborerium suum ad monstrandum alicui alii callegario sub dictis iuramento et pena.

IV. Item statuit et ordinavit dictum paraticum seu consortium, quod nemo de ipso paratico audeat nec presumat stare ad lumen in diebus sabbati nec vigiliis apostolorum, nec in vigiliis sancte Marie, nec in diebus dominicis nec festis apostolorum nec sancte Marie; et qui contrafecerit, componat pro banno in solidis decem imperialium pro quolibet et qualibet vice, et quilibet teneatur accusare.

V. In nomine Domini. Millesimo ducentesimo octuagesimo octavo, die dominico vigesimo sexto die septembris, indictione secunda: domini Moreschinus Negrabonus, Ioannis Cremonensis, Antonius de Portatore et Mafeus de Trivilio consules paratici calegariorum Laude fecerunt congregari in curia domini episcopi laudensis infrascriptos homines de ipso paraticho, coram quibus proposuerunt;

quid eis placet facere et providere super factis dicti paratici, occaxione providendi utilitatem et firmitatem dicti paratici, salvis et reservatis primo statutis comunis Laude; unde factis partitis per ipsos consules ad sedendum et levandum, fuere omnes infradicti callegarii in concordia quod xxiv homines ex melioribus dicti paratici . . . . . (*) et quicquid fecerint sit firmum et rathum, ac si factum esset per arenghum seu consilium dicti paratici; nomina quorum callegariorum sunt hec: Andreas Bergondius, Bernardus Filatus, Zanebilus Macharius, Girardus Bergondius, Ardizinus de la Monegha, Laurentius Barilus, Maldotus de Maldotis, Bassianus Mangiacavallus, Adamus Buzus, Petrus de Cumano, Simon Mangiamassa, Baxianus Mangiamassa de Lanterio, Bassianus Nigrabonus, Amizo Albarinus, Manfredus Giroldus, Stephanus Voltolinus, Iacobus de Bazello, Petrus de Gardella, Ottinus de Ponte, Filipinus de Concoregio, Martinus Tinctor, Antonius Macharius, Ugherius de Sexto, Alghixius de Mulazano, Gulielmus Thoscanus, Ughetus Cirexa, Girardus Gnicus, Albertus Lavezolus, Guidinus de Petene, Baxianus de la Monicha, Ventura de Gardella, Castellinus Verzellatus, Presbiter Alemis, Baxianus de Trivilio, Petrus de Verdeo, Arnoldus Cedranus, Pelegrinus de Pellate, Niger Lanavegia, Ayulfus de Gafate, Iacobus Broda et Albertus Camporolus.

Item ipso die predicti sindici congregaverunt omnes predictos callegarios in dicto loco, et consilium petierunt ab eis, quid placet eis facere et providere super factis et negotiis dicti paratici, occaxione faciendi utilitatem

(*) Sic puto hoc loco legendum: « quod xxiv homines ex melioribus » dicti paratici eligantur, qui habeant auctoritatem ordinandi et faciendi » quidquid eis placuerit pro utilitate et firmitate dicti paratici »; quae verba in codice desunt omnino.

dicti paratici, primo reservatis statutis comunis Laude; Zambelus Macharius consulendo dixit, quod elligantur per ipsos consules xxiv sapientes de bonis et melioribus dicti paratici, qui habeant bayliam et auctoritatem ordinandi et faciendi quicquid eis placuerit pro utilitate et firmitate dicti paratici, et quicquid fecerint et ordinaverint sit firmum et ratum, ac si factum esset per consilium seu arenghum dicti paratici; Bernardus et Petrus de Cumano consulendo dixerunt illud idem. Reformato consilio seu arengho, factis partitis per ipsos consules ad sedendum et levandum, fuerunt in concordia secundum dictum ipsorum arenghorum.

VI. MCCLXXXVIII die mercurii XXIV mensis novembris, indictione secunda, domini Morescus Nigrabonus, Ioannes Cremonensis, Antonius de Portatore et Mafeus de Trivilio consules consortii seu paratici calegariorum Laude congregaverunt et coadunarunt in ecclesia maiori Laude alios xxiv sapientes, qui habuerunt bayliam et auctoritatem providendi, faciendi et ordinandi utilitatem et firmitatem dicti paratici, et consilium petierunt ab eis quidnam placebat eis facere et providere super negotiis et factis dicti paratici; predicti vero sapientes statuerunt et ordinaverunt, quod quilibet qui intrare voluerit in dictum consortium seu paraticum, de cetero debeat dare et solvere ipsi paratico solidos quadraginta imperialium in pecunia numerata, videlicet in duobus modis, si fuerit laudensis, et si fuerit extraneus. Si erit calegarius laudensis causa adiscendi de ipsa arte calegarie cum ipsis caligariis, solvet medietatem ipsorum solidorum quadraginta imperialium ad festum sancti Martini proximi, quo ipse intraverit dictum paraticum, et aliam medietatem ad alium sanctum Martinum proximum; et si fuerit forensis, debeat solvere

ipsos solidos quadraginta imperialium incontinenti, antequam recipiatur in dicto paratico seu consortio; et aliter non recipiantur nec recipi possint, hoc salvo quod illi qui sunt filii de ipsis calegariis, qui sunt de ipso paratico iurati, possint intrare in ipso paratico solvendo tantum denarios sex imperialium consulibus, qui pro temporibus fuerint, pro sacramento suo, et denarios sex imperialium notario dicti paratici, et denarium unum imperiale servitori dicti paratici. Quod statutum sit precisum et tronchum (*); et predicti consules et alii, qui pro temporibus fuerint, teneantur per sacramentum attendere et observare in omnibus et per omnia.

VII. Item statuerunt et ordinaverunt callegarii civitatis et burgorum Laude, cupientes animas suas, quantum eis sit possibile, salvas facere et divina precepta servare, quod nullus callegarius sive laborator artis callegarie sive zavatarius civitatis, burgorum, episcopatus et districtus Laude, ac terrarum seu locorum conrespondentium predicte civitatis Laude tam in spiritualibus quam in temporalibus, cuiuscumque conditionis, status et gradus existat, audeat nec presumat laborare nec laborari facere de dicta arte sua callegarie nec de arte zavatarie, nec vendere nec emere, nec vendi nec emi facere subtulares nec coramina, nec aliquas alias res pertinentes et spectantes ad dictam artem calegarie et zavatarie, postquam pulsatum fuerit primum sonum campane ave Marie, que pulsatur super campanile ecclesie maioris laudensis in sero cuiuslibet diei sabbati, et cuiuslibet diei vigilie sancte Marie, scilicet conceptionis, que celebratur die octavo decembris, nativitatis, que celebratur die

(*) Ut aiunt statuta vetustiora. Consule notam ad hoc verbum in Statutis Novocomensibus.

octavo septembris, assumptionis, que celebratur quintodecimo augusti, annuntiationis, que celebratur vigesimoquinto martii, presentationis, que celebratur secundo februarii, et visitationis, que celebratur secundo iulii, et cuiuslibet alterius vigilie sanctorum et sanctarum celebrari et sanctificari preceptorum per sanctam matrem ecclesiam, usque et per totam diem dominice et festivitatis predictorum sancte Marie et aliorum sanctorum et sanctarum celebrari et sanctificari preceptarum per sanctam matrem ecclesiam, ut supra, post dictam diem sabbati et dictas vigilias immediate sequentes, et vigilia sancti Ursi dictorum callegariorum patroni, usque et per totam diem festivitatis prefati sancti Ursi immediate sequentem dictam vigiliam, et que festivitas sancti Ursi celebratur die primo februarii; et hoc sub pena cuilibet laboranti in predictis festivitatibus et post dictum sonum avemarie pulsandum in dictis vigiliis in dictis diebus sabbati, ut supra, solidorum viginti imperialium, et cuilibet vendenti, ut supra, solidor. decem imperialium pro qualibet paria subtulariorum, botinarum, stivalium et aliorum calciamentorum, et pro qualibet solatura caligarum, et cuilibet vendenti seu ementi coramina cuiusvis maneriei, sive in parva, sive in magna, sive in minima quantitate, solidorum xx imperialium. Quarum omnium penarum medietas aplicetur cereo predictorum callegariorum, qui offertur per eos ad festum sancti Baxiani, et alia medietas cuilibet accusatori predictorum callegariorum contrafacientium predicto capitulo.

VIII. Item statuerunt et ordinaverunt, ut supra, quod nullus callegarius seu laborator predicte artis callegarie et zavatarie, ut supra, audeat nec presumat facere per se nec per aliquam aliam personam submissam aliquod mercatum aliquorum coraminum nec aliquarum pelium

cum aliquibus bechariis seu cum aliquibus aliis personis predictarum civitatis, burgorum, episcopatus et districtus Laude seu aliunde in predictis festivitatibus in primo capitulo contentis. Et hoc sub pena florenorum decem ad computum solidorum triginta duorum pro quolibet floreno cuilibet contrafacienti, aufferendorum et applicandorum ut supra.

IX. Item statuerunt et ordinaverunt, ut supra, quod quilibet calegarius et laborator et quelibet alia persona civitatis, burgorum et episcopatus Laude, dummodo sit honeste vite, possit et valeat accusare quoscumque contrafacientes predictis capitulis et cuilibet eorum, et quod stetur simplici sacramento predictorum acuxatorum et cuiuslibet eorum, absque aliqua probatione fienda; et quod medietas predictarum penarum perveniat et pervenire debeat in predictos accusatores, et alia medietas predicto cereo offerendo ad sanctum Baxianum, ut supra.

X. Item statuerunt et ordinaverunt ut supra, quod caneparius paratici dictorum callegariorum teneatur et debeat singulis duobus mensibus in principio primi mensis predictorum duorum mensium elligere et deputare duos magistros predicte artis calegarie, et qui durantibus dictis duobus mensibus perquirere et inquirere in calegariis et in domibus dictorum callegariorum quoscumque contrafacientes predictis capitulis teneantur et debeant in dictis festivitatibus et vigiliis ac diebus sabbati predictis post dictam avemariam; et hoc sub pena soldorum decem pro quolibet elligendorum, ut supra, non perquirentium durante eorum officio; et quod omnes et singuli magistri ac predicte artis laboratores teneantur et debeant permittere dictos duos magistros elligendos, ut supra, seu alterum eorum perquirere in dictis callegariis seu eorum domibus, et ad omnem eorum magistrorum elligendorum,

ut supra, seu alterius eorum requisitionem in predictis festivitatibus et in dictis diebus sabbati ac vigiliis suprascriptis post dictam avemariam, et aperire stationes seu portas domuum suarum pro dictis contrafacientibus inquirendis; et hoc sub pena soldorum xx imperialium aufferendorum cuilibet contrafacienti, et applicandorum ut supra; et quod stetur simplici sacramento dictorum magistrorum seu alterius eorum elligendorum, ut supra, et utrumque eorum seu alterum eorum de eo et super eo, quod dictum fuerit et iuratum per ipsos duos elligendos ut supra, et per utrumque eorum seu alterum eorum se invenisse seu repertum fuisse contrafactum dictis statutis et cuilibet eorum.

XI. Anchora hanno ordinato li infrascripti calegarii de servare li supra scripti capituli, et che sia in pena a chadauno maistri soldi cinque, i quali cessarano de andare dreto al corpo de Christo al giorno dicto del corpo de Christo, et de andare a le obsequie di morti, et de andare el giorno de sancto Ursulo a l'offerta, et a fare la raxone a le kalende de avosto, et compagnare el cereo, siando avisadi dal servitore, et andare a le soprascripte cose: la nome de quali sono questi qua sequente descripti, cioe:

Ambroxino Cirexolo D. Bertolino Milanese D. Lazarino Quaresma	sindici del dicto paratico.
Francesco del Cerro Iacomo Prevedon	consuli del dicto paratico.

Antonio Alardo.
Iacomo de Lavagna.
Ioanne San Gallo.
Betin del Rio.

Pedrin Crotto.
Ambroxo Percacexa.
Bovo da Oxio.
Ioanne Novarexe.
Baxino di Pixi canepario.
Lorenzo Milanese.
Francesco da Caravazo dicto Zucon.
Nicolò Bregognon.
Leone Tresto.
Jacomin Novarexe.
Bernardin Bregognon.
Ambroxo Rocho.
Leone Percacexa.
Pedro Prevedon.
Zovanne Prevedon.
Thomaxe de Lavagna.
Joanne Pizo.
Prin Tarucha.
Albertin da Oxio.
Baxano Bergognono.
Pedro Legora.
Bertolo da Galara.
Bassano Milanese.
Johanne de Livraga.

STATUTA

COLLEGII SARTORUM

LAUDIS POMPEIAE

In nomine Domini amen. Infrascripta sunt capitula et pacta paratici seu collegii magistrorum artis sartorie, et per eos facta et ordinata ad gloriam omnipotentis Dei.

I. De la pena di chi dirà vilania ou vero batarà alcuno de li scindici.

In primis namque ordinaverunt et statuerunt, quod si aliquis sartor huius collegii tam magister quam discipulus dixerit dedecus seu exmentiverit vel percuserit aliquem ex consulibus dicti paratici, quod pro dedecore predicto solvat pro banno solidos decem imperialium pro qualibet vice. Et hoc sine exceptione; que pena perveniat et pervenire debeat in paraticum predictum, remanentibus tamen firmis penis in statutis comunis Laude comprehensis.

II. De pena citati et non comparuerit.

Item quod si aliquis sartor non venerit, et petitus fuerit per nuntium sartorum, ut sit in aliquo loco ad consilium vel ad arengum, ubi alii congregati fuerint pro comunitate sartorum, pro banno ei tollantur duodecim denarii, nisi parabulam habuerit vel iusto impedimento

remanserit, et hoc sine tenore; que pena perveniat in paraticum predictum.

III. De pena recipientis discipulum alterius magistri.

Item teneatur quilibet sartor non incantare neque tollere aliquem discipulum manentem cum aliquo a festo sancti Michaelis usque ad festum domini nostri Yesu Christi, et a media quadragesima usque ad festum Pasche militum. Et si quis contrafecerit, pro banno ei tollatur soldos quinque imperialium applicandos paratico predicto. Et predicta locum habeant, si discipulus fecerit pactum cum magistro seu sartore de non recedendo ab eo intra illud tempus, intra quod cum alio stare voluerit; et aliter dictum capitulum locum non habeat.

IV. Quod qui non est magister vel caput stationis, non possit habere ellectionem.

Item quod nullus sartor, qui non sit magister et caput stationis, non possit habere aliquam ellectionem nec breve pro comunitate sartorum.

V. De pena habentis societatem cum aliquo sartore, qui non solverit intratam et non fecerit sacramentum.

Item teneatur quilibet sartor non habere societatem cum aliquo qui non sit magister, et qui non solverit intratam et fecerit sacramentum sartorum. Et qui contrafecerit, solvat pro banno solidos viginti imperialium. Et hoc sine tenore, et quilibet sit accusator, et medietas sit accusatoris.

VI. De pena aufferenda per consules magistris et discipulis non atendentibus pacta consulum.

Item possint consules huius paratici, et eis liceat pignus et securitatem accipere a quolibet magistro et discipulo, qui non attendet et observabit pacta ipsorum consulum in toto vel in parte super illis, que pertinebunt ad officium sartorie, ad eorum voluntatem usque in solidis viginti magistris, et solidis decem discipulis.

VII. Quod consules teneantur ius facere quibuscumque lamentantibus respectu offitii sartorie.

Item consules teneantur facere rationem, si eis lamentatio fiet de aliquo sartore vel discipulo vel laboratore per aliquem super his que pertinent ad offitium sartorie. Liceat tamen lamentare volenti ire ad offitium iudicum domini potestatis Laude vel consulum iustitie Laude.

VIII. de pena recipientis in apotheca sua aliquem laboratorem habentem sub se discipulum, qui non solverit intratam.

Item quod aliquis sartorie laborator non possit habere aliquem sub se discipulum, nisi prius solvat intratam sartorie. Et si aliquis contrafecerit, quilibet magister teneatur ipsum laboratorem non permittere stare in sua statione in banno solidorum quinque imperialium.

IX. De pena recusantis et non dantis pignus currerio, qui habuerit preceptum a consulibus.

Item statuerunt quod quando currerius collegii sartorum precepto consulum collegii sartorum iverit ad aliquem sartorem ad petendum ab eo aliquod pignus teneatur ille sartor de presenti dare pignus illi currerio. Et si quis sartor noluerit illud pignus sibi dare, teneantur consules sartorum ab eo tollere qualibet vice solidos quinque imperialium.

X. De pena ellectorum elligentium in consules se ipsos, videlicet unus alterum.

Item statuerunt quod illi ellectores, qui habuerint brevia elligendi consules sartorum, quod aliquis ipsorum ellectorum non possit nec debeat nec sibi liceat elligere inter se unus alterum in consulem sartorum. Et si quis contrafecerit, solvat pro banno qualibet vice solidos decem imperialium. Et insuper expellatur a consilio sartorum usque ad tres annos, et insuper non possit nec

debeat habere aliquod officium in collegio sartorum usque ad hunc terminum trium annorum predictorum.

XI. De visitatione infirmi collegii.

Item statuerunt quod si quis homo de collegio sartorum pauper infirmus iacuerit, quod consules sartorum, si sciverint, teneantur et debeant eum visitare et providere ei de comuni sartorum, si eis videbitur expedire.

XII. Quod nullus possit esse consul, nisi steterit magister per annos quinque.

Item quod nullus sartor possit esse consul, nisi steterit magister in officio sartorie per quinque annos continuos.

XIII. De ratione reddenda per consules post eorum exitum.

Item statuerunt quod consules teneantur reddere rationem in pleno consilio sartorum de omni et toto eo, quod eis superfuerit ab eorum feudo et offitialium eorum, et ab expensis factis occasione offitii eorum consulatus et intra duos menses eorum exitus.

XIV. De festivitatibus observandis.

Nomina appostolorum et aliorum sanctorum, que celebrari debent, sunt hec, videlicet festivitas sancti Bassiani mensis ianuarii; sanctus Mathias mensis februarii; festivitas sanctorum appostolorum Filippi et Iacobi mensis maii; sanctus Barnabas mensis iunii; sanctus Iacobus mensis iullii; festivitas appostolorum Petri et Pauli eiusdem mensis iunii; sanctus Bartholameus mensis augusti; sanctus Matheus mensis septembris; nativitas appostolorum Simonis et Iude mensis octubris; sanctus Andreas mensis novembris; sanetus Iohannes mensis decembris, et festum sancti Macharii mensis ianuarii, et dies veneris sancti.

XV. De pena non observantis infrascripta festa.

Item statuerunt quod quilibet sartor non possit nec

debeat cusire neque cusiri dimittere in sua statione in festo sancte Marie candellarie mensis februarii, nec in festo sancte Marie mensis martii, nec in festo sancte Marie mensis augusti, quod celebratur die quinto et die quintodecimo dicti mensis, neque in festo sancte Marie mensis septembris, ab hora diei in antea, preter robam defunctorum et pro funeribus mortuorum. Et qui contrafecerit, solvat pro banno qualibet vice solidos tres imperialium, et accusator habeat medietatem, et teneatur perpetuo secretus. Et consules teneantur suprascriptos tres solidos de presenti tollere, cum eis fuerit denuntiatum.

XVI. Quod aliquis discipulus qui receperit aliquid pro mercede ab aliquo magistro, non possit servire alteri magistro.

Item statuerunt quod quilibet discipulus de mercede, qui receperit vel habuerit denarios vel aliquid aliud a magistro suo, cum quo laboraverit ad mercedem, teneatur non laborare cum alio, nisi prius satisfecerit vel satisfacere paratus fuerit cum effectu ipsi magistro, aut in concordia fuerit cum illo de eo quod sibi dare debuerit. Et hoc in banno solidorum duorum pro quolibet vice.

XVII. De securitate prestanda per canepariam collegii.

Item statuerunt quod ille qui fuerit canepariws teneatur prestare bonam et idoneam securitatem comuni collegii sartorum de illis rebus omnibus, que in eo pervenerunt de comuni sartorum. Et hoc ad voluntatem consulum et consilii, vel maioris partis dicti collegii, et infra quindecim dies cum ellecti fuerint.

XVIII. De pena dicentis verba iniuriosa in presentia consulis alicui.

Item statuerunt quod si aliquis de offitio sartorie

habuerit verba iniuriosa cum aliquo de dicto offitio in presentia consulis, et consul ei vel eis preceperit ut ipsi desistant ab ipsis verbis, et preceptum consulis contempserint, consul teneatur ei vel eis, qui sic contempserint vel contempserit, auferre pro quolibet et qualibet vice solidos quinque, et sine tenore, et hoc ultra penam a statutis comunis Laude limitatam.

XIX. De debitoribus collegii sartorum exigendis per consules exeuntes de regimine.

Item statuerunt quod consules sartorum, qui pro tempore fuerint, infra unum mensem postquam exiverint de eorum regimine, teneantur recuperare omnes denarios a quacumque persona dare debente comuni sartorum aliqua de causa, et eos consignare in denariis vel pignoribus in consilio sartorum; alioquin teneantur solvere de eorum proprio in pena et banno pro quolibet consule viginti solidorum: et hoc sine tenore.

XX. De pignoribus vendendis post terminum limitatum per consules.

Item statutum est quod consules possint et eis liceat vendere pignora post terminum eis datum per consules dicti paratici.

XXI. De pena non celebrantis festa.

Item statütum est quod quilibet sartor teneatur celebrare omnia festa in suprascriptis statutis contenta in pena solidorum quinque imperialium pro quolibet et qualibet vice. Et hoc ultra penam in statutis comunis Laude limitatam.

XXII. Quod qui fuerit consul, cesset a consulatu per annos duos.

Item statutum est quod consules supradicti paratici, qui ellecti fuerunt, et qui pro tempore fuerint, cessent et cessare debeant a consulatu dicti paratici per annos duos.

XXIII. De pena illius, qui non iverit ad corpora mortuorum, cum sibi preceptum fuerit.

Item statuerunt quod quilibet magister dicti paratici teneatur venire ad corpora mortuorum cuiuslibet sartoris et cuiuslibet familie sartoris, si ei preceptum fuerit parte alterius ex dictis consulibus, et non debeant recedere ab illo corpore usquequo erit sepelitum, absque licentia dictorum consulum sub pena soldorum duorum pro quolibet qui contrafecerit.

XXIV. Quod nullus possit elligi in consulem, nisi prius solverit expensas paratici et feudum consulum.

Item statuerunt quod nullus possit elligi in consulem dicti paratici, nec habere aliquam ellectionem pro ipso paratico, nisi prius solverit expensas dicti paratici et feudum consulum dicti paratici; et si haberet ellectionem, quod illa ellectio sit cassa et nullius valoris.

XXV. Quod nullus possit exercere artem sartorie, nisi iuraverit prius in manibus consulum.

Item statuerunt et firmiter ordinaverunt quod quilibet sartor tam civis et districtualis Laude, quam forensis, qui exerceret vel exercere vellit artem sartorie tam in civitate Laude quam in episcopatu, teneatur et debeat paraticum intrare et matricolam, et solvere intratam dicti paratici, et iurare teneatur in manibus consulum dicti paratici de faciendo bene et legaliter dictam artem sartorie, et etiam solvere omnes expensas, quae fient pro dicto paratico. Alioquin ille sartor, qui recusaret facere predicta non possit nec debeat facere nec exercere dictam artem sartorie in civitate vel episcopatu. Et quod tales sartores predicti facere recusantes omnibus iuris remediis per dominum potestatem et eius curiam et alios iudices comunis Laude per aliquem eorum cogantur sub illa pena, de qua ipsi domino potestati et iudicibus

videbitur, ultra penas contentas in statutis dicti paratici.

XXVI. De solutione fienda per intrantes paraticum sartorum.

Item quod nullus sartor faciens seu exercens artem sartorie vel in civitate vel episcopatu Laude possit nec valeat facere nec exercere seu operari artem sartorie in dictis civitate vel districtu, nisi prius intraverit paraticum sive collegium sartorum dicte civitatis. Et quod ille talis intratus dictum paraticum solvat et solvere teneatur pro intrata ipsius paratici, videlicet si fuerit civis Laude solidos quadraginta, si forensis dummodo moram trahat in civitate solidos decem imperialium pro quolibet; si vero fuerit de districtu vel episcopatu Laude solidos viginti pro quolibet; que quidem pecunia perveniat et pervenire debeat in dictum paraticum pro quinque partibus, et in consules dicti paratici tam presentes quam futuros pro sexta parte. Et quod ipsi tales sartores ad predicta fatiendum et observandum per dominum potestatem et eius curiam omnibus iuris remediis precisse compellantur.

XXVII. De sequestris fiendis.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod in casu quo aliquis sartor haberet penes se aliquid de bonis alicuius debitoris unius vel plurium aliorum sartorum et causa sartorie, et per consules dicti paratici preceptum fuerit oretenus vel in scriptis quod dicta bona retinere debeat penes se usque quo satisfactum fuerit aut solutum dicto tali sartori habere debenti, quod tunc ipse sartor, cui predictum preceptum factum fuerit, teneatur et debeat penes se dicta talia bona retinere ad mandatum dictorum consulum, et non respondere dicto tali, cuius fuerint dicta bona, nisi fuerint in concordia dicte partes, sub pena solidorum quinque imperialium cuilibet contrafatienti, applicanda dicto paratico dictorum sartorum.

XXVIII. De solutione fienda pro cereo, et de associando dictum cereum.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quilibet sartor magister stationis teneatur et debeat solvere consulibus dicti paratici aut illi persone, que deputabitur per dictos consules solidum unum imperialium; et quilibet laborator cuiuslibet sartoris, qui laboraverit ad medietatem, denarios sex imperialium singulo anno pro cereo fiendo in honorem sancti Bassiani confessoris Laudensium; et hoc sub pena dupli. Insuper ţeneantur suprascripti sartores et laboratores venire ad assotiandum dictum cereum tempore, quo eis preceptum fuerit, et qui contrafecerit, solvat statim pro banno solidum unum imperialium, nisi iusta causa impedimenti fuerit, quare dictum cereum assotiare non potuerunt.

XXIX. De iure reddendo per dom. potestatem Laude sartoribus pro smancatione drapi.

Item statuerunt quod si quis sartor levaverit aliquid de veste alicuius, vel de pano smancaverit, aut vestem destruxerit vel maculaverit, teneatur ad emendationem ipsius. Et in predictis procedatur per dominum potestatem Laude omnibus diebus etiam feriatis simpliciter et de plano, etiam sine aliqua petitione redenda in scriptis; sed solo verbo teneatur expedire, et etiam contra declarationem prefati domini potestatis nullus audiatur; et de predictis non possit sindicari.

INDEX STATUTORUM

COLLEGII CALIGARIORUM CIVITATIS ET BURGORUM LAUDE

INDEX STATUTORUM

COLLEGII SARTORUM EIUSDEM CIVITATIS

ORFINI LAUDENSIS

POEMA

DE REGIMINE ET SAPIENTIA

POTESTATIS

nunc primum edit

ANTONIUS CERUTI.

AL LETTORE

Dacchè ebbe a cessare nelle repubbliche lombarde il reggime consolare sui primordii del secolo XIII, ed a ripristinarsi l' ufficio del podestà annuale eletto dal libero suffragio popolare per la direzione politica ed amministrativa dei comuni, lasciata ai consoli di giustizia la ventilazione delle cause forensi, fu necessario tracciare le norme ispirate da un criterio di rettitudine morale e sociale, a cui dovesse attenersi quel magistrato nell' esercizio delle sue funzioni, affinchè un'amministrazione calma, equa ed integra potesse sostituirsi al governo consolare talvolta capriccioso ed arbitrario, che risentiva dello spirito partigiano locale. Le città che nell' attaccamento vigile alle nuove istituzioni vedevano la miglior garanzia della vita e conservazione loro, e nell'unità del governo la rapidità nella spedizione degli affari, dopo la scomparsa dei podestà imperiali, se riconobbero il lato utile della nuova forma governativa, tentarono altresì di circondarla di tali guarentigie, non di rado minuziose e bizzarre, che impedissero ad un eletto e rappresentante del popolo di farsene signore. Di esse le più fondamentali erano il giuramento, il sindacato, la deposizione. Perciò il nuovo ufficio, quantunque sembrasse una dittatura sebben mite, ed allontanasse dalle sue sorgenti storiche il reggime comunale, non era tuttavia esente da gravi difficoltà e pericoli di doppio ordine, giacchè se tal fiata le stesse guarentigie imposte dagli statuti non impedivano col favore di date circostanze e delle stesse sospettose passioni popolari di condurre al dispotismo non pochi astuti ed ambiziosi podestà, tal altra questi nell'anarchia degli ordini sociali aveano bensì il reggime del comune, ma solo i partiti in realtà eran quei che dominavano.

Ma il podestà non bastava all' amministrazione della pubblica cosa; dovea perciò condur seco uno stuolo di altri minori magistrati,

estranei al pari di lui al popolo a cui venivano, ed agli interessi comunali, i quali formavano, come dicevasi, la sua famiglia; essi erano i militi, i giudici, gli assessori. Tutti questi erano tenuti all'osservanza di statuti sì speciali che generali, che dapprima altro non erano se non una parafrasi del giuramento del podestà medesimo, e poi sviluppatisi divennero il codice civile, penale e commerciale delle repubbliche, preziose raccolte di atti e documenti pubblici, che fanno prova dell'alto grado di coltura della borghesia italiana di quell'epoca.

Il nuovo ordinamento nazionale e popolare, quantunque ardito ad un tempo e pericoloso, avea destato l'ambizione dei cittadini, a cui sorrideva la possibilità di divenire quandochessia capi politici in qualche città lombarda. A ciò fu reputato necessario ampliare la cerchia degli studii, che diedero all'Italia in que' giorni d'orgasmo e d'attività legioni d'uomini di stato, il cui intento operoso fu quello di dedicarsi scientificamente all'arte difficile di governare i proprii simili. Guerra, diritto, finanze, lavori pubblici, legislazione, amministrazione, poesia, pittura, architettura, teologia, filosofia, tutto fu studiato, discusso, approfondito. Agli Italiani spetta il vanto di aver creato la scienza della politica, cui Brunetto Latini nel suo *Tesoro* chiama la scienza comprensiva di tutte le arti bisognevoli alla società umana (1), e l'Italia rimase a lungo la patria dei giureconsulti e dei politici di professione, la patria degli Irnerio, dei Bartoli, dei Macchiavelli, dei Mazzarini, dei Bottero, dei Baldo, dei Vida, dei Paruta, dei Sansovino, ed anche nei secoli XII e XIII erano tanto favoriti gli studi politici, ed aveano fatto sì buona prova, specialmente innanzi il sorgere delle fazioni cittadine, che persino non poche città del mezzodì della Francia vollero seguire lo sviluppo politico delle città lombarde. Marsiglia, Arles, Avignone scelsero più d'una volta per loro podestà o rettore cavalieri lombardi, che perciò si famigliarizzarono con quelle regioni e col loro linguaggio, giacchè fu allora che Dante trovava « la lingua d'Oco più bella et migliore », e Brunetto Latini scriveva in francese il suo *Tesoro*.

(1) Le governement des citez..... est la plus noble et haute science et li plus nobles offices qui soit en terre, selonc ce que politique comprand toutes les arts qui besoignent à la communité des hommes.

Preziosi documenti della storia delle idee e del lavoro intellettuale e morale d' allora ci restano dotti volumi, che quantunque non segnino che i primi passi infantili dell'arte di governare, pure la scienza in essi largamente profusa, ad onta delle tenebre non ancor dissipate del barbarismo, merita altamente l'ammirazione e lo studio dello statista moderno, giacchè se l' assennato scrittore riconosce la necessità che un secolo accolga le cognizioni di quelli che lo precedettero, e ne aumenti il tesoro ad utilità dei secoli che verranno, sono in certo modo da chiamarsi parassiti coloro, che si empiono della dottrina del tempo passato senza farla fruttare a vantaggio della cosa pubblica del tempo loro. A tacere degli statuti municipali compilati in que' due secoli, il *Trattato dell' ufficio del Podestà* di Brunetto Latini, terminato nel 1283 e compreso nel libro III del suo *Tesoro*, opera d'importanza capitale, e prima di quello il *Libellus erudiens futurum rectorem populorum*, conosciuto sotto il nome di *Oculus pastoralis*, che il Muratori nell'erudite sue dissertazioni fece di pubblica ragione (1) con molti altri trattati e documenti intorno a questo argomento, ci rivelano l' intima natura e le leggi onde risultava la « Podesteria ». Lo stesso sommo Alighieri non disdegnò di scendere nell'arena delle dottrine sociali; ma nella sua *Monarchia* egli elevossi ai più alti concetti della filosofia del diritto, ed apprezzò con savio temperamento e con isquisita sagacità ciò che esige dalla natura la struttura organica dei corpi politici.

Un nuovo trattato di quel tempo è quello sinora inedito di Orfino da Lodi *De regimine et sapientia potestatis*. Chi fosse questo scrittore non è dato desumerlo da notizie contemporanee, nè da alcuna memoria storica o letteraria che di lui ci sia rimasta; solo appare da una postilla d'un suo coetaneo ch'ei fu giudice generale di Federico II di Svevia, di cui seguiva la fazione, e che giudice altresì e conte era suo figlio Marco, a cui è indiritto il Trattato, scritto nella prima metà del secolo XIII. Un altro suo scritto andò sventuratamente smarrito. Questo Codice membranaceo annunciato dal Frisi (2) e dal Giulini (3), ed asportato già nella Biblioteca nazionale di Francia, appartiene ancora all' insigne Basilica di S. Giovanni Battista di Monza, il cui Ven. Capitolo me ne permise

(1) *Antiq. Ital. med. aevi*, tom. IV, col. 95.
(2) *Memorie storiche di Monza*, tom. III, pag. 234.
(3) *Memorie della città e campagna di Milano* ecc. P. VIII, pag. 71.

gentilmente la copia ; è qua e là di assai difficile lettura, e scritto in versi leonini assai in uso a quell'epoca di estrema decadenza delle lettere, e sembra originale, presentando chiose, lacune, aggiunte e correzioni, di cui però alcune appaiono d'altra mano, ma contemporanea. Sulla prima pagina sta un rozzo disegno a penna rappresentante l'effigie dell'imperatore Federico I colla testa cinta di corona murale e con una torre merlata sul petto, racchiuso in un circolo colla leggenda intorno all'effigie: † *Laudensem rupem statuit Fredericus in urbem*, che allude alla riedificazione di Lodi ordinata da quel monarca. L'autore che dovette essere fornito di non comune coltura, fatta ragione de' suoi tempi, dopo profusi encomii a Federico I e a'suoi successori Enrico VI e Federico II, come conveniva a lui ghibellino e lodigiano, quali furono i due Morena, il giudice Ottone ed Acerbo contemporanei del Barbarossa ed annalisti della loro patria, si propose di porgere in pochi tratti l'imagine di un avveduto ed onesto podestà sì nell'esercizio della sua magistratura, che negli atti della vita privata, e di descrivere la sua casa e i suoi costumi domestici, l'apparato della sua mensa, del suo corteggio e delle sue vesti. Nè al solo primo magistrato traccia Orfino le regole del buon governo, ma altresì agli ufficiali da lui dipendenti, ch'erano i giudici, i militi, i notai, i legati; e rammenta tutte le leggi e le consuetudini forensi allora usate nell'amministrazione della giustizia.

Tutto considerato, non intendo proporre, pubblicandolo, questo breve poema come un insigne monumento letterario nè politico, bensì come un saggio non affatto spregevole delle tendenze e degli studii d'un tempo di sì operosa energia, come una pagina che riflette le profonde convinzioni e la tenacità dei propositi dei nostri avi, anelanti ad imprimere all' organismo governativo quell' ordine e quella stabilità, che è voluta dalla dignità e dai doveri dell'uomo, ed a sviluppare negli ordini sociali i principii e l' uso assennato della libertà senza detrimento della maestà della legge morale.

Milano, nel gennaio 1868.

ANTONIO CERUTI.

Fac-simile della prima pagina del Poema di Orfino

De Regimine et Sapientia Potestatis.

Milano Fotolitografia A. Della Croce

Incipit Orfinus

De Regimine et Sapientia Potestatis.

Factorum specula reserans mendico figuras
Dissimili specie calamo lacrimante lituras,
Non ausus tenptare stilum, vestigia, curas
Palladis aut muse falleras vel serta poete,
Indomitas transibo tuas sub arondine mete.
Vox mihi rauca tremit, pavidum cor, lingua tepescit,
Horisque (1) officium sua munera sumere nescit.
Pica negata sibi promit modulamine blando,
Ut rationis avis fert psittacus, aurea pando
Gesta ducis sciculi romani principis alti,
Diviciisque grati fati super astra levati,
Auxilio fretus celesti numine letus,
Ordine discretus ducibus pro more suetus.
Militat Orfinus specialis cultor honoris,
Qui miranda canit melliflua gesta saporis, (*)
Cesaris Augusti Frederici (2) culmine fato

(*) *Verso agg.*
Florida grata polis sobolis fidelis amoris.

---

(1) *Corr.* Orisque.

(2) Federico I vantavasi d'esser riconosciuto discendente dai Cesari di Roma, e dicevasi l'86mo successore d'Augusto; i suoi cronisti non scarseggiavano di adulazioni in proposito. Radevico lo chiama « divus augustus » Fredericus (II, 76); romanum principem, et urbis ac orbis dominatorem; » imperator, nunc princeps orbis terrarum; romanum imperium totius » orbis ... asylum » (I. 6; I. 20; I. 12), « Anno dominicae incarnationis 1152, » ab urbe autem 1904 annis, ab origine mundi 6303 Fridericus dux etc. » leggesi in *Godefridi colon. chron. regia.* « Anno ab urbe condita 1800 etc. » Ott. Frising. *de Gest. Frid.* II. 1.

Nobilium regum procerum de semine grato.
Iam nova progenies celo dimittitur alto (1).
Principis in prato geminantur germina lato,
Fructibus et foliis mellitis flore beato,
Tullius atque Cato, Salamon sibi, Senaca, Plato;
Viribus Acchiles, forma Paris, Ector, Ulixes,
Aurea nobilitas omni pretiosior auro,
Fertilis et viridis redolet magis arbore lauro,
Regia natura sibi dat diademata plura,
Celica regina largitur munera trina,
Virtutum cumulos fatiscit laude pios.
Ordiar unde tuos, Frederice secunde (2), triumphos?
Felices casus ordiar unde tuos?

De imperatore Friderico primo.

Inclitus antiquus Cesar quidam Federicus
Hostibus hic firmus vindex ac pacis amicus,
Defensor fidei custos hatleta pudicus,
Gente guibelengus (3) Fredericus duxque suevus (4)
De Stuffo castro virtutum moribus apto;
Hinc cadit Henricus sceptro virtute politus,
Laudibus abdictus, titulis deitatis amictus.
Tunc (5) tremuit terra, tunc placidum terruit orbem,
Laudensem rupem statuit Fredericus in urbem.

---

(1) Il poeta per adulare classicamente il Barbarossa gli accomoda questo verso di Virgilio (Egl. IV, v. 7), tolto dai celebri vaticinii della Sibilla Cumana allusivi alla nascita di Cristo.

(2) Il Frisi lesse erroneamente *sancte*.

(3) Wibelinga era castello del comitato ereditario degli Staufen, di cui era anche figlio Enrico VI morto nel 1198, e Filippo suo fratello, riconosciuto come imperatore legittimo a fronte del competitore Ottone dalla maggioranza dei principi alemanni del partito degli Staufen o ghibellini. In Federico I per linea paterna e materna si univa il sangue delle famiglie rivali degli Enrici di Wibelinga e de'Guelfi (Welf) di Altorfo.

(4) *(Chiosa nel ms.):* Ducatus Suevie de Alamania (Staufen).

(5) Fris. *hunc*.

Viribus hic studuit putridam (1) detrudere sordem; (*)
Tunc superi cessere sibi pro federe faxes.
Cursum fortune felicis vindicis arces
Non parcens sceleri posuit pro crimine falcem.
Victrices aquile coluerunt undique Martem.
Iuppiter (2) esse pium statuit quodcumque iuberet,
Ut cunculcaret hostes quoscumque videret.
Lauda reformata valuit prospera fata,
Aurea tunc framea nituit sibi regia flamma.
Vipera (3) mactata fit victrix principis aula,
Serpentem priscum superavit rex basiliscum.
Dextera leonem, clava draconem fulminat alma,
Aspide secto Marte refecto stat sibi palma,
Ysdra resecta ruit, cruce lecta rex capit arma,
Ut domus alma Dei reveletur marthe trophei,
In qua iudei, pharisei stant et ebrei;
Regibus exactis hiis monstris ense subactis,
Hostibus extortis periit pars magna cohortis,
Flumen rex talis iacuit super astra sodalis,
Parcere si posset pociorum mors pociori;
Debuit iste potens non potuisse mori.

De imperatore Henrico et Constantia uxore.

Dotibus Henrico placuit regina marito;
Lucet ut aurora facie rutilante decora,
Gratificata deis pollet decorata tropheis,

(*) *Verso agg.*
Tunc fuit ex binis vetus urbs renovata ruinis

(1) Fris. *putidam.*

(2) Dominus imperator Federicus primus, victo papa et cardinalibus et aliis novis factis, et destructis civitatibus, pace facta, suo filio Henrico coronato, ivit trans mare cum magno exercitu; ista per hec monstra denotantur (*Chiosa nel cod.*).

(3) Vipera est in vexillo .... quod raptum per imperatorem Federicum primum et civitate destructa et alie multe etc. *(Chiosa nel cod.).*

Vestibus ornata varius thesaurus in arca.
Hec populis alta preciosa sede perata (1) (*)
Cesaris augusta residens Constancia iusta
Moribus instructa forma, splendore venusta
Apula tunc nupta trino diademate fulta.
Hanc Henricus summa pietate peritus
Culmine pace fidei virtutum Marte beatus,
Tunc procerum fastus superavit mense reatus,
Fit regis siculi filia sponsa sibi.
Fit sol cum luna natura luminis una,
Est Dea iuncta Deo, sic tenet asta leo.
Omnia Cesar erat, quia pax sua regna tenebat;
Plus placuisse Deo nemo putatur eo.

De imperatore Friderico secundo.

Filius huic sapiens fulget diademate matris.
Sepe solet similis filius esse patris. (**)
Filius Henrici Federicus ad alta levatur,
Rite coronatur (2); fidei dulcore beatur;
Baiulat hic pondus Fredericus laude secundus,
Cui favet hic mundus, sors, gloria, fama, triumphus;
Imperium servat armis ac lege gubernat,
Nititur ut cernat et munera sordida spernat.
Florentes mores aliis designat honores,
Pullulat hic silva per flores, fructus, hodores,
Estitit huic proles regali dogmate moles.

(*) *Versi agg.*
Sic sedet alta rosa magna omnibus vel speciosa,
Et lucet ex more roseo perfusa colore.

(**) *Versi agg.*
Imperat augustus frameis deitatis honustus,
Iudicat hic iustus Michael velut ense venustus.

---

(1) *Corr.* parata.
(2) Questo monarca fù coronato in Roma da Onorio III nel dicembre 1212.

De uxoribus et filiis.

Trina sibi felix nupsit regina fidelis,
Cui veniet quarta post quinta sibilla vocata,
Filia lux solis parit cum sole creata;
Stant soboles reges comites proceresque leones,
Aurea regine refert diademate crine.
Sex gemini fratres diverse gloria matris,
Culmine quos ditat fecundi lancea patris
Lumine quos lustrat Corradi laurea fratris;
Hos fortuna regit, sors felix, prospera fatis.
Rex uniens favet, cui terra cui supplicat orbis,
Cui Deus aridet, populus famulatur et omnis. (*)

Dulcia dilectis deiectis tristia fundunt,
Munera subiectis suspectis funera iungunt,
Inter fautores discrimina iurgia condunt. (**)
Hos, Basiane, rege (1), qui regnas cum patre rege
Sirecusanus patria fuit hic Basianus
Laudensis presul, cui demon lepra fit esul.
Terra quidem mellis lactis sine turbine fellis.
Hic fluit ex stellis sapidus ros manna catervis,
Curia celestis dulcedinis aula vocata
Gens pia lauda ergo cedunt omnia grata,
Mente decorata faveant sibi singula nata
Non ibi laus sine re, neque res sine laude vocata
Hec scelus excessus castigat lege sacrata.
Iam tenet imperium, docet hic prescriptio nata,
Sceptra, corona, spata, crux, vestis, lancea sacra

(*) *Verso agg.*
Forma sibi Paridis, manus Hectoris astus Olixius.

(**) *Verso agg.*
Sub Domini lege tu, Basiane, rege.

---

(1) *Frisi:* Sub Domini tu Basiane rege Siracusanus patria etc.

Reliquiis veterum sanctorum purificata
Tempore, lege, fide, numero nexuque ligata
Cesar et hii reges felicia regna gubernant,
Predecessorum pratum vestia servant;
Regna paterna colunt et avorum iura ministrant,
Veraces dictant, fallaces ense maritant.
Implorant, orant sanctos, sibi numina rorant,
Leges divinas, humanas voce colorant,
Federe, marte, fide, studio super ista laborant,
Donec sub requie mundum sine murmure ponat.

De imperatore Friderico.

Prima Frederici spata regia sacra refluxit,
Italicas urbes sulcari vomere iussit,
Hasta secunda ducis sub eodem palmite luxit;
Vota patrum sequitur soboles non dissona gestis,
Vendicat antiqua sapienter crimina pestis.
Gratia principiis semper respondet honestis,
Predia sub spinis viduata est, vinea vinis,
Principibus, ducibus nobilibusque viris;
Menia castra nimis sunt strata ruinis,
Sunt obsessa nimis facta ruina cinis.
Hinc ratione patrum speculum, lux, splendor, ymago
Sol de sole micans crescit sua sancta propago (1).
Emula fex rabies languescit falsa vorago;
Princeps romanus rex est ierosolimitanus,
Ungarus et grecus cui confert munera letus,
Tuscia iam simplex sibi fervet, Gallia triplex
Apulus et calaber siculus sibi servit et affer,

(1) Federico II avea ordinato « d'invocare » in certi casi il suo nome (*Constitution. regni sicul.*, lib. I, tit. XV). E Guntero avea detto di Federico I:

Suscipe cunctorum regnator maxime regum,
Suscipe lux mundi, cui nullum parve priusve
Spirat in orbe caput: te gaudet principe mundus.

Ortus et occasus, aquilo sibi servit et auster,
Ytalus, yspanus sibi sistit in ense romanus (1).

Rivulus, emanans humilis prudencia scriptus
Sensus, forma, decus constans, facundia, virtus,
Lex animata (2) vigens, lux, pax, ars, gloria dictus,
Fedus, amor ratio, nexus, concordia mixtus,
Nodus et ordo, decor, iuris sapientia pictus
Spes, fons, flos, splendor, species, via, legis amictus;
Hic cibus et potus Cesar stat manna relictus,
Iudiciique vigor cedens pietate remissus.
Hunc regit arte Deus natus de Virgine Christus,
Omnia sic audet, ut singula regna dealbet,
Divisum imperium cum Iove Cesar habet (3).

---

(1) Nelle *Constitutiones regni siculi*, redatte da Pier delle Vigne e pubblicate nel 1231 da Federico II, questi è chiamato « imperator, Romanorum Caesar semper augustus, italicus, hierosolymitanus, arelatensis, felix, victor ac triumphator. » Federico I avea scritto a Saladino che le due Etiopie, la Mauritania, la Persia, la Siria ecc. appartenevano all'impero, perchè conquistate da Crasso ed Antonio, generali de' suoi predecessori (Matt. Paris opp., p. 146).

(2) La teoria romana del despotismo imperiale che l'imperatore fosse « lex animata in terris » (Pertz, *Mon. germ. hist.*, pag. 277), trovasi nettamente formulata non solo nelle lezioni dei glossatori e negli scritti degli annalisti devoti all'imperatore, ma nella stessa legislazione; « lux mundi » lo chiama il commentatore I. Spigel nel XVI secolo « propter immensam eius potestatem, dicitur enim animata lex in terris a iurisperitis. »

(3) Anche il Barbarossa diceva fastosamente di sè alla Dieta di Roncaglia:

Ipse quidem quamvis divino munere princeps
Summus in orbe ferar, legumque immunis et expers,
Non servire quidem cogar, sed condere iura.

(Cf. Gunter. *De gest. Frid.*, lib. VIII, p. 404 apud Pertz *Mon. Germ. hist.*, t. IV).

Anche questo verso è di Virgilio. A lui, come narrano i suoi biografi, veniva attribuito l'epigramma da lui composto e pubblicato senza nome d'autore:

Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane;
Divisum imperium cum Iove Caesar habet.

Il poetastro Batillo sapendo che Augusto, lodato in quel distico, ne indagava l'autore ma invano, se li ascrisse a se stesso e fu ricolmo d'onori

Ut gelide lune lustrat sua cornua Phebus,
Sic tepidis Cesar prestat pia lumina rebus.
Cuius ad imperium redit etas aurea mundo,
Ut genus humanum florescat semine mundo,
Cuius ut in speculo speculetur more (1) rotondo,
Ut populum clipeo tueatur Marte secondo.
Pax sibi vigeat, iaceant discrimina fundo;
Ille creat proceres, rectores moribus aptos,
Ordinibus variis titulis moderamine pactos;
Milicias veteres reparat ruinis, ille decorat
Tirones opibus altis et honore colorat,
Excolit alta Dei, titulavit laude tropheis,
Prevalet hic palmis, quia cautis utitur armis;
Hunc sapientia, magnificentia, gratia dotat,
Quia potencia firma, loquencia, gloria potat
Theologie sacra Sophie numine donat,
Gratia tanta datur sine pondere, nec numeratur,
Nec mensuratur, sed semper multiplicatur.
Ius conservatur, vindictas rex moderatur.
Putrida membra secat, ne pars sincera puniatur,
Quam bene venatur, spaciatur, rex operatur. (*)

(*) *Versi agg.*

Rex animata gerit, tria mundi climata querit,
Agmina prava querit, menia, saxa terit.

---

e di doni dal principe. Ma Virgilio offesosene, pubblicò all'istesso modo, ripetendolo quattro volte, sulla carta il principio del verso: « Sic vos non » vobis; » e chiedendo Augusto che desso fosse da alcuno compito, e nessuno sapendolo fare, Virgilio, riproducendo quell'epigramma, così continuò:

Hos ego versiculos feci, tulit alter honores;
Sic vos non vobis nidificatis aves;
Sic vos non vobis vellera fertis oves;
Sic vos non vobis mellificatis apes;
Sic vos non vobis fertis aratra boves.

Divulgatasi la qual cosa, Virgilio ebbe lodi amplissime e Batillo le beffe.

(1) Lege in orbe (*così nel ms.*).

Munera linguarum (1), parçarum, fata dearum
Atque poetarum disponit sacra viarum,
Septima namque via sibi musa Sophia
Gaudia mira pia cui confert Virgo Maria.
Qualiter arma gerat et in omni militet arte,
Corigat omnes, deleat hostes vindice Marte,
Visitet arces, tereat alpes stans sine parte.

Gesta ducum veterum felici carmine sanat,
Omnia iuncta simul cum Iove Cesar amat.
Per numen lumen sibi lucet dulce cacumen.
Crescit ei flumen laudis dulcedine culmen,
Augetur nomen sibi multiplicatur et omen.
Crescit et augetur, quia longior usus habetur
Curia feconda sapiens a crimine monda,
Curia regalis sacra felix imperialis.
Nec fuit huic similis neque cernitur altera talis.
Aula creatoris dulcedinis aula valoris
Cesaris aula docet quod valet atque nocet. (2)

De curia Caesaris.

Erigit hec egros, exaltat honore suevos,
Hec stimulat tardos, dissolvit compede claudos,
Larga manus plena sibi ridet lata crumena
Auri thesauri varia cum divite vena
Omnia terrena superat sua recta camena.
Hec docet, hec confert, largitur munera multa,

(1) Linguae fuerunt divisae in constructione turris Babelis *(Chiosa nel cod.)*.

(2) Piuttosto che la Corte, vuol qui il poeta intendere la persona dell'imperatore, nell'istesso modo che molti letterati e giuristi del suo tempo parlavano della supremazia politica della città (*urbis*), città fittizia, sottintendendovi il sovrano, usando uno stile adoperato da lui stesso, come allorchè dice: « Curiae nostrae praevidimus ordinare iustitiam, a qua, » velut a fonte rivuli, per regnum undique norma iustitiae derivetur » (*Constit. regni siculi*, tit. XXXVII).

Hec parit exempla felicia curia culta,
Moribus ac opibus vario moderamine ducta,
Fertilis et docilis quia spernit sordida stulta,
Instruit alta loqui sapientum gutura muta. (*)

Hec ferit, hec regit (1), hec legit alta corona
Culmina, semina, carmina, menia dat pia dona;
Hec rigat et punit, solvit, parcit, ligat, unit,
Sicut in axe poli nihil est equabile soli.
Sic similis proli nulla propago soli;
Qui putat hec aliud futurus sit pectore vanus,
Regibus an longans (2) nescit inesse manus.
Illustres reges melliflua pabula tradunt (3),
Arbore de dulci dulcia poma cadunt.
Nititur hic dominus gentes superare superbas,
Et steriles silvas amaras disgregat herbas,
Si plantat plantas ex dulci palmite sanctas,
Ut placat placida partha provincia pace,
Et taceat rapida resecata superbia falce.
Verbere se ledit, qui non sibi servit, obedit.

(*) *Versi agg.*
Alta triumphanti reddit sua vota tonanti,
Digna ministranti dat premia vel fabricanti.

---

(1) Haec serit *(Chiosa nel ms.)*.

(2) *Corr.* longas.

(3) Era massima accettata ed insegnata a que' dì dai leggisti, che l'imperatore è la sorgente della legge e che ogni potere emana da lui, superiore ad ogni legge e padrone del mondo e dei beni dei privati. L'arcivescovo di Milano parlando a nome degli Italiani disse a Federico alla Dieta di Roncaglia: « Scias itaque omne ius populi in condendis legibus tibi con» cessum. Tua voluntas ius est, sicut dicitur: quod principi placuit, legis » habet vigorem, cum populus ei et in eum omne suum imperium et po» testatem concesserit. Quodcumque enim imperator per epistolam con» stituerit, vel cognoscens decreverit, vel edicto praeceperit, legem esse » constat (Pertz, *Mon. Germ. hist.*, tom. IV, p. 111).

Sic viciis credit, spreta virtute recedit.
Qui numerare potest fulgencia sidera celi,
Multiplicare potest miracula voce fideli;
Cungrua si sedes tibi fit, non inde recedes,
Nunquam gaudebis, quia tristis forte iacebis;
Lucifer in summum voluit trascendere fastum,
Corruit et meruit Plutonis degere pastu.
Semina rodentes primi doluere parentes.
Cesaris aula fremuit fallacia calva.
Cesar in aspectus cognovit et hos cito gestus.
Proditor oblitus meriti super ede nutritus
Proditur, aufugens captus in ense ruit.

Ymnus principis post victoriam proditorum.

Stat Cesar (1) in palacio, regnat pius pre gaudio,
Letus manens in numine fecundus est in semine.
Triumphat hic in preliis, fulget simul cum filiis,
Cui laus manet, est gloria, Cristo canit preconia;
Favent sibi reges, duces, alti viri iam principes.
Perfectus hic virtutibus et graciarum dotibus (2)
Omnes sui stant divites ac gloriosi milites;
Proles viret, quam nobiles felix regit quam fertilis,
Fautor manet, suaviter hostis iacet crudeliter;
Hostes tremunt et emuli senes canunt et parvuli,
Omnis ruit fallacia, regi manet laus gloria (3).
Vivant, regnant in culmine cum rege magno Cesare,
Per gloriosa tempora Deo canantur carmina.

---

(1) Hic est genus metri, quod appellatur dimetrum iambicum iadia, quod est duo metri, quia duo pedes faciunt unum metrum. Iambicus ideo dicitur, quod iambicus semper dominatur in loco pari, ut habetur in poeta Horatio: sillaba longa brevi etc. *(Chiosa nel ms.)*.

(2) Anche di Federico I diceva Sicardo: « Fuit miles strenuus et magnanimus, mitis, affabilis, illiteratus sed morali experientia doctus » (*Chron.*, p. 598).

(3) Gratia *(Chiosa nel ms.)*.

De miseria rebellium.

Si Deus hunc nutrit, cur quisquam gutture rugit?
Vult temptare Deos furiarum legis amator;
Cantabit vacuus coram latrone viator.
A paucis multi superantur verbere stulti;
Hostes inbelles fiunt sibi quique rebelles (1).
Illis tempestas, mors moribus crescit egestas,
Dampna, doli, fraudes, periuria, furta, rapine,
Impetus, ira, furor, tenebre, formido, ruine;
Hiis dolor ac gemitus, lacrime, discordia, terror,
Planctus, tristicia, penuria, pallor et error.
His furor et langor, rancor, gemitus quoque, clangor,
Hos ferit angusta manes tribulacio iusta.
Quam mala canicies, tussis et esuries,
Hiis timor ac hodium, rabies, dissensio, rixa, (*)
Dampnum, debilitas, infamia, pena, reatus;
Qui pavet huic regi, dives stat sorte beatus,
Non hic ambigui graditur fortuna meatus;
Hic salus atque quies, lex, pax et gloria felix.
Lux sine candelis, medicus manet hic sine telis,
Hic opibus, donis fulgens in honore fidelis,
Spes miseris, medicina reis, recreacio fessis,
Hic cibus et potus varius, stat copia messis.
Forma, figura, modus, numerus, mensura pudoris,
Hic pietas, hic vera fides, hic fedus amoris.
Hinc decor et mores, pax, lux, lex, vita valores,
Milicie flores, fidei virtutis hodores,

(*) *Verso agg.*
Lis, sitis atque fames, cancer, lasivia fixa.

---

(1) Ribelli sono qui chiamate le città lombarde confederate contro l'imperatore. Contro di queste era stata ripristinata da lui medesimo la legge romana *Iulia maiestatis*, uno dei principali stromenti di Tiberio. Di essa dice Radevico: « Nequaquam se ignorare legem Iuliam maiestatis, quae » in eos qui contra imperatorem vel rempublicam aliquid moliti, suum » vigorem extendit » (I. 20).

Iusticie rores, sua curia donat honores.
Hic fugat herrores gladio referente dolores,
Hunc hequitat mundum, ducit sua dextra secundum. (*)
Fert ducibus rite sine turbine vel sine lite,
Hoc regimen mite sapidum dulcedine vite.
Hunc Deus exaudit, orbem sua dextera claudit,
Gentibus aplaudit, simulantes nec scelus audit;
Sol novus est ortus, pax, gloria, semita, portus.
Lux, calor, ordo, decus, iam silet omne pecus,
Gloria, palma, salus sibi sit sine turbine laus.
Hinc fugiat fraus actor hostis ab arce malus,
Hic lateat fletus, lis, pudor, ira, metus. (**)

Supplicatio auctoris.

Mens hebet et linguam connectunt vincla pudoris,
Cordis et officium munus non suscipit oris,
Me titubare facit prudencia tanta virorum;
Nam quis non titubet trutinam subiturus eorum?
Ergo Pierides, precor, aspirate caventi,
Et me reddatis mihi dicere pauca (1) volenti.

Si fuerit soli permissa licencia digno
Rara avis in terris nigroque similima cingno
Non ducibus solis resplendent lumina solis;

(*) *Verso agg.*
Omnibus exemplum placidum per corda potentum.

(**) *Versi agg.*
Nomen et agnomen sibi crescit laudis in omnem.
Est fidei dives qui dicit munere cives,
Sic premit in mundo, dum deprimit alta profundo,
Ni ius rimatur cum cuspide conta minatur;
Inde Fredericus fidei stat iuris amicus.

(1) Grata *(Chiosa nel ms.)*.

Per mare piratis aditus patet et reprobatis,
Et pluit iniustis sceleratis sordibus ustis,
Indomiti moris gaudent dulcedine roris.
Omnipotens eterne Deus, qui conta gubernas,
Astra regis, terrena seris, generancia servas,
Da calamo, lingue scribere grata loqui.
Suscipe carmina, tolle precamina, Virgo Maria,
Portaque regia dux mihi pervia, lata Sophia.
Dirige semina celica semina, stella marina,
Deprime prelia, des mihi premia, flos sine spina.

De statu malo humani generis.

Dum genus humanum nesciret cernere sanum,
Ut pecus austerum renuens disponere verum,
Absque Deo trino degebat more ferino.
Lex vetus eterna latuit cum lege moderna,
Nec soboles certa nudi sine lege reperta,
Murmure clamantes per silvas sorte vagantes.
Mortales primi ructabant gutture glandes,
Per varias partes venerunt dogmatis artes.
Cuius et ad nutum matres glomerantur in unum,
Coram natura statuantur singula iura,
Nec siluit virtus mater concordia pura,
Reges rectores formentur et undique mores.
Fiat rex magnus Deus ac homo Christus et agnus,
Qui doceat reges, prelatos condere leges,
Conveniant gentes servus pauperque potentes,
Qui genus humanum precioso sanguine missus
Rex redimat populumque Dei sine crimine Christus.
Ut solis radius intrat innoxius fenestram intra,
Sic Dei filius multo subtilius aulam virgineam
Preco puella, Deus, grex, pastor, stella, sabeus
Fert, parit et rorat, timet, audit, ducit et orat.
Virginis hic natus oriens de sole creatus

Omnibus hiis gratus relevet delicta reatus,
In cuius speculo ferveat omnis homo.

Descriptio naturae (?) et domus ipsius.

Hic nitet alta domus, fons, ortus, palmaque, pomus, (*)
Vinea cum silvis aurum manabat ab illis.
Per medias edes revigebat regia sedes
Basibus ex denis statuis stabilita catenis;
Hic sedet alta Dea residens sibi grata chorea,
Aurea cesaries sibi frons erat, ut decet, alta,
Forma, decor, species, oculus sed lingua beata;
Claudit eam vestis auri perfusa colore,
Scintillans lapide duodeno pondere rore.
Splendet in argento, gemmis prefulget et auro,
Cui nitor et splendor sceptri diadematis ardor,
Anulus et mitra nituit sibi regia virga.
Hic statue septem sustentant undique sedem,
Undique sculpturis gemmis sub mille figuris; (**)
Ianua cristalli placet aurea sculpta metalli,
Ordinibus florum retinens diadema decorum,
Auro cum gemmis miris et ymago deorum
Mirificis, puris sculpturis sydere curis.
Iungitur hiis donis quedam clamis imperialis,
Auro consuta splendet et illa satis.
Ex variis petris nitidis stellata coruscat,
Illam conseruit adamans, zaffirus adornat,
Ut speculum lucet, quo quis speculatur et optat;

(*) *Verso agg.*
Scripta pavimentis cameris talamis documentis.

(**) *Versi agg.*
Ystoriis muris pictis tenet ordine iuris,
Omnibus inde tipis fabulis per secula scitis,
A geminis ovis pascite terga bovis.

Recta manus signum gestabat laudis asilum,
Ordine vexillum crucis alme pace benignum.
Hic scola conventus rationis laudibus emptus,
Qui corus atque scole nunquam stabant sine sole.
Hec domus ornata gradibus scalis reperata
Sedibus optentis variis sculptis pavimentis,
Purpureis variisque notis residebat in alto
Vestibus ex setis titulis similantibus auro,
Agmine suscepto miro diademate sceptro,
Laudibus ac ymnis cum flamis tribus ignis,
Muneribus dignis crucibus sub palmite signis,
Luminibus, lignis, foliis in hodore benignis,
Floribus et palmis sertis et laudibus almis.
In iubilis, psalmis, ymnis, sub cantibus altis,
Vestibus ex albis, variis celestibus armis,
Undique pace deam tunc venerantur eam.
Hinc aderant grata temptoria fixa novata,
Ordinibus prata fuerant virtutibus apta,
Artibus et viciis furiis variis variata.
Labitur ex saxis fons vivus laudibus aptis,
Litoribus cultis lapidum sub marmore sculptis
Floribus insertis sub odoribus inde repertis,
Hic instrumentis nulla dulcedine lentis, (*)
Hic orientis aque scaturit fons dulcis et alto,
Quod geminis rivis partitur littora vivus,
Et rigat has silvas crebro, palmas, prata et olivas.
Vox avium cantus dulcoris in agmine sanctus
Tunc volucres solvunt, 'odas per guttura volvunt,
Lilia ros flores redolebant fructus odores.

(*) *Verso agg.*
Ulmus (1), oliva, salix sibi vinea iuncta socialis.

---

(1) vel laurus *(Chiosa nel ms.)*.

Hic dea fortune variatur ymagine lune, | De fortuna.
Hec rota solatur multos, ferit illa, vagatur,
Axe premit, scandit, gloria magna cadit.

Non parcunt parce, quia spargunt pascua parce; | De parcis.
Cloto colum portat, Lachesis trahit; Antropos secat.
Voce sua rauca clamabat Baccus et alta. | De Bacco.
Hic dea stat cursus recitans miracula rursus, | De dea cursus.
Iuno, Venus, Pallas silent discordia fallax | De tribus deabus.
Noctua rex bubo refert presagia ludo,
Quatuor hic venti siluerunt murmure lenti. | De XII avibus.

Fixica florebat, nusquam sua fata silebat | De astronomia, physica et theologia.
Astronomia, phylosophya, theologia
Virginibus dictis alto diademate pictis.

Sol Ve. Mer. (1) et luna Saturnus, Iupiter et Mars, | De VII planetis et XII signis.
Libra, leo, cancer, virgo, bos, scorpio, pisces
Stant caper et geminus ariesque sagitat aquarus.

Profert, discernit, orat numeratque, potitur | De VII artibus.
Virga voce polo stellis arsque politur.

Hic furie viciaque iacent sub voce trementes, | De furtis et vitiis.
Ne leges fiant, neque noxia iura petentes
Quilibet arbitrio vivat (2), discordia clamat,

(1) L'imperito poeta segnò con le sole iniziali i nomi di due pianeti, Venere e Mercurio, tentando di salvare la misura del verso, già abbastanza irregolare.

(2) « Dignum namque extimamus, ut bona facientes nostra laude et protectione tueantur, quorum scientia mundus illuminatur ad obediendum Deo et nobis eius ministris, vita subiectorum informatur etc. » Così Federico I nel suo *Privilegium scholasticum*, carta fondamentale delle università (V. Pertz, *Mon. Germ. Hist.*, t. IV, pag. 114).

Et socias fervore ruens cum sulfure flammas,
Iura poli cum iure fori discordia dampnat;
Hec dea defendit, obstat prescriptio pura,
Nil valuere preces, iacuit sterilis sua cura,
Inter utrasque deas fremuerunt iurgia dura.

De pugna et fuga discordie.

Gaudet et assentit nature curia tota,
Approbat et recipit rationis dulcia vota.
Stridet et in lacrimis fugiens discordia mota
Hec dea tristatur, quod ab agmine iam separatur,
Culmine privatur, prescriptio non (1) operatur;
Anxia hunc plorat, laniatis crinibus orat.
Huic occulus rorat, gemitu furiosa dolorat,
Demones implorat, mox gesta sinistra laborat.

De tribus virginibus quae fecerunt leges, scilicet theologia, civilis sapientia et rhetorica.

Virginibus doctis fuit hic concessa facultas
Reges condendi leges sub dogmate cultas;
Ordinat alta locos causas discrimine blando:
Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando,
Leges, rectores, prelatos arte creando;
Laudat civilis iuris sapiencia nodos,
Et varios casus iungit et illa modos.
Singula recta pia disponit theologia
Munera grata quia subiungit phylosophya;
Qui gerit astra poli gemino pro crimine viso
Vindictam coluit in terris, et paradiso
Angelus ex alto culpa ruit agmine lato.
Terras gradiente gula spoliata est Eva cucula,
Adam Eva mater ructarunt semina seva,
Sub patre pars leva stetit his per tempus et Eva
Non tenui culpa stabilita est vita caduca,
Pro vetito pomo stans maledictus homo,
Virgine pro vera rediit cito vita severa.

---

(1) Nil *(Variante nel ms.)*.

Labitur ex fonte sacro sine murmure rivus,
Iura fori pariens gemini dulcedine unius.

Cesaris in pratis iacuerunt frondis opacis
Floribus optatis copia magna satis.
Flore ligant flores, faciunt sibi serta sorores,
Nec sicant rores solis radiisque calores;
Quam bene quam clarum statuit ius queque dearum,
Omnibus est carum plusquam preciosius aurum,
Actibus istarum stabilita est forma viarum,
Quam cito regine concludunt themate fine,
Conseruere simul sumpto quo themate dictant
Regibus has leges, prelatis iura ministrant,
Regia scrutantur, referunt simul ac operantur;
Protinus edicta statuerunt lite relicta,
Iura placent scripta, quia nulla fuere sinistra,
Ordine descripta firmat regina magistra,
Ut patet in dictis pandectis versibus istis,
Et latet in priscis bibliis ratione ministris.

Regine fecerunt leges et obtulerunt.

Supplicat Orfinius rationis in arte latinus, (*)
Ut doceat populos magna Minerva suos.
Indicat ergo dea nova cantica sacra trophea,
Instruit hic Pallas vicium vel quid sit honestas,
Et regimen vitam quam servet quisque potestas,
Qualiter imperii fulgeat officium,
Qualiter anales renoventur hic officiales,
Qualiter equales operentur in arce sodales
Ordine papales, specialiter imperiales,
Quos docet ut mutet, ne fiant symoniales.

(*) *Verso agg.*
Legibus arte sinus regionis florida pinus.

Officiis mixtis Cesar renitescit in istis,
Arte nutrimentis prefulget in hiis documentis,
Qui docet ac ornat et amata sequencia format,
Ut regat imperium regna per ingenium,
Ut placeat mundus, vigilat super omnia mundus,
Regia quod servet Cesar super ardua fervet,
Sic regit officium regna magisterium (*).

Supplicat ille Deo rex dignus laude tropheo,
Pontifici, clero famuletur tramite vero
Ordine sincero laycis de corde severo.

Doctrina potestatis.

Primo (1) Deum timeat, servet mandataque legis,
Et teneat iussa felicis congrua regis,
Ut patriam paci iungat sit dedita cura,
Ordine, mensura disponat singula iura.
Furibus et tota sileat provincia lota,
Crimine purgata placeat gens cuncta beata;
Sit viduis medicina reis tutela pusillis
Dotibus et templis, miseris faveat peregrinis,
Non tamen ut ledat legem nec singula credat,

(*) *Versi agg.*
Non ibi spaciosus aliquis locus vel scrupulosus (2),
Frugibus umbrosus et fontibus est copiosus.

---

(1) Ante. - Anche Brunetto Latini pone fra i primi doveri del podestà il sentimento religioso e l'osservanza della legge divina: « Soveigne toi de » la loi de ses comandemans, et noblie pas Dieu et ses sains; mais va » sovent au mostier et prie Dieu de toi et de tes subgiez; car David li » prophetes dit: que se Diex ne garde la cité, por neant se travaillent cil » qui la gardent .... Soiez religeus et mostrez la droite foi, parce que il » n'a plus bele chose au prince de la terre, que avoir droite foi et veraie » creance, et il est escrit: quand li iustes rois sied en sa chaiere, nul mal » ne puet cheir contre lui. Et por ce garde les iglises, les maisons de » Dieu etc. »

(2) scil. lubricosus *(Chiosa nel ms.)*.

In dubiis magni scrutetur nota magistri;
Non in tormentis studeat sapientia mentis,
Creditur ille canis quem gloria vexat inanis,
Non nimis verbis largius, sit verbere parcus,
Non semper feriet quemcumque minabitur arcus;
Marchio, dux, preses seriter disponat in arte,
Puniat et pareat, pugnet concordia Marte.
Quemlibet officium docet hic quod curet honeste,
Crimina sub peste resecans sub iudice teste. (*)

Suscipiat rectos humilis qui iurgia poscunt,
Iam miseris solis irasci numina possunt;
Rex caveat talis vinis venerisque ruinis,
Non sua bursa nimis det grandia munera mimis,
Cenet ut est moris, servatis litibus horis.

Utatur virtute sacra, viciumque recidat,
In quantum natura potest humana, resistat.
Res sine candelis nusquam manet absque querelis,
Tempore nocturno pociatur sole diurno,
Iam sine mensura non stabit regia cura,
Ut medicus telis curat mala gesta medelis,
Sit sapiens, felix .... (**)

Armis dotatus sit, equis et veste beatus.

(*) *Verso agg.*
Ordine sub forma sub campo aere norma.

(**) *Versi agg.*
Principiis firmus leo stat rex finibus ircus,
Et bene sit fiscus sibi salvus tempore priscus,
Et proprius discus dapibus bene sit repolitus,
Nodus ubi est syrpicis *(?)* nullus in arte politus.

Rex regat ex arte, tueatur menia Marte,
Consulat et caute patriam teneat sine parte,
Rector mox iuret quod fidus singula curet.
Tunc ad cautelam sibi iuret quisque sequelam (1).
Militet hic letus miles dulcedine fretus,
Undique discretus iudex censere suetus;
Miles pungat equum, bene iudex iudicat equum.
Hic patrie leges conservet undique reges,
Et populi mores iuris pietate rigores.
Scandala, rumores satagat tenuare labores,
Mutua si spernit, rector sua lumina tergit.
Perfidie pingues contemnat et ille bilingues
Laudat adulator, nullus stat verus amator.
Si bene regna regis, es dignus nomine regis,
Dignus eris laude, careas si crimine, fraude.
Arceat errores, expensas atque furores,
Deleat usuras, habeat de paupere curas.
Post trahat ille moram populari examine coram:
Inquisitores scrutentur probra, pudores,
Perfidias, mores, rumores, falsa, dolores;
Perquirant laudes et crimina, munera, fraudes.
Non bene stant tuti proceres ab honore soluti,
Non sint mendaces, sponsores sive loquaces;
Esto memor mendax tua cum mendacia mendas,
Ne sibi credatur leviter, si vera loquatur;
Non sint vinosi, raptores sive gulosi,
Denique legati fiant probitate beati,
Vestibus ornati referant se nobilitati.

---

(1) Chiamavasi *sequela* e *sequimentum* il giuramento di fedeltà prestato al podestà dagli ufficiali inferiori e dalle terre dipendenti dal capoluogo governativo, qual era la città o la borgata principale, quando questa fosse indipendente.

Sindicus instructus placeat sub dogmate fultus,
Consultatores populi sectentur honores,
Sint vacui sorde, fugiant discrimina corde,
Inde reformentur quecumque placere videntur,
Nec secreta ferant, patrie felicia querant,
Sint ibi legales in sedibus officiales.

Transigat assessor, purget sua menia rector,
Fidus rectori sedeat studioque labori,
Et patrie mori populi se iungat amori,
Congrua dulcori memoret sociata decori.
Rector terrorem populi magis optet amorem,.
Gens petit et laudat quod rector menia claudat;
Non depredetur neminis ab igne cremetur,
Vel condempnetur dupli, quia lege tenetur.
Hunc qui pulsabit falso, de morte putabit;
Feudis contentus male querere sit pede lentus,
Rem publicam servet, fiscalia iura gubernet,
Sit bene vestitus, facondus in arte peritus.

Rex medicis doctis faveat dulcedine cordis,
Ut vigilet fortis spreta formidine sortis;
Dum residet sanus, timor hiis sit cottidianus,
Credat Abiceni medicinis vel Galieni.

Prandia qui censed, primo de paupere pensed,
Ne sit in ofensa neque dextera sit deprehensa.

Dux comedat caute, sobrie sine rusticitate,
Et bibat ornate, iaceat, vigilet moderate;
De mensa sobrius, de lecto surge pudicus,
Gaudia sepe tuis poteris subiungere curis,

Et sinum caste faveat tibi femina caute (*)
Non cuiquam nupta, ne sint ibi scandala multa,
Sit viduata viris non sociata diis;
Elige formosam et iuvenem speciosam,
Moribus ornatam.
Dulcior est melle facies speciosa puelle,
Non tamen hiis telis pereat tibi gloria felix.
Substineat frenis regimen tenus arbore velis,
Hoc tamen hocculte, ne sit duplicacio culpe;
Visitet hic terras ut possit spernere guerras.
Non pernoctabit preses foris, huc remeabit,
Ni foret ex certa causa de more reperta:
Plurima delicta veniunt regione relicta.
Hereticos perdat, manicheos ingne repellat. (1)

Sint famuli plani neque stent super ethera vani,
Qui domini noscant mores neque iurgia poscant;
Sint bene nutriti, triti bene veste politi;
Litibus exclusi sileant racionibus usi,
Ne cito confusi moveantur ab arce reclusi,
Ut bene laudetur sibi civis vix famuletur,
Vir patrie recte famulus famulatur inepte,
Largus in expensis, sodomitas puniat ensis,
Lenones tollat, facies incesta perorat,
Quam male iurgantis coniungit brachia collis,
Corruptus preses mala rerum examinat omnis.

Dulcis et asper erit, ut res pro tempore querit;
Si paciens fuerit, omnia victor erit.

(*) *Verso agg.*
Ne faciat peius positivo gaudeat eius.

---

(1) Fu ascritto a lode di Oldrado da Tresteno, lodigiano anch' egli, e podestà di Milano nel 1233, che « Catharos ut debuit uxit », come leggesi nell'iscrizione sottoposta al suo monumento.

Non irascetur facinus sibi vix lacrimetur,
Res concors fulget titulis, discordia luget,
Res minime crescunt pacis sed lite liquescunt.

Non regimen geminet, populis commercia stringet,
Mercibus equales statuantur hic officiales.
Hic bene doctores doceant medicamina mores;
Dux vicium cernet, animum virtute reservet,
Nec regimen spernet, ceptum sed rite gubernet.
Est ibi quam dura per leges pena futura.
Spernat rumores, mendacia, probra, pudores,
Nec cumulet gestus vindictas stulta modestus.
Invidia, avaricia, Venus, atra superbia cesset,
Iusticiam fortis prudens moderamina prestet.

Rector honoretur priscus, novus arte creetur,
Clauditur urbs portis, vigilet custodia noctis,
Ne fugiant capti, statuantur moribus apti,
Expiet hic captos sub penis criminis aptos.

Semper, ut est moris, resonet campana laboris,
Artibus impletis paveat campana quietis.
Tunc cito pincerna referat preciosa falerna,
Non ibi cisterna faveat sed clara taberna,
Undique tunc memorent populi felicia templent.

Virginibus nuptis, monialibus ore venustis
Rex placidis gestis faveat studiisque honestis;
Millitet in festis referens solamina mestis,
Actibus infestis societur congrua pestis.

Ut tepeat dira cunctis tristantibus ira,
Versibus arpa, lira, lituus germinet nova carmina diva;

Hic strepitus, cantus, sonitus clangorque tubarum
Floribus et sertis foliis rosarum seriesque.

De ornamentis.

Ornamenta ducis reputantur sidera lucis,
Ordine flos dulcis, ros, ars, lex vita salubris;
Sit domus armata cameris, thalamis decorata,
Armis, vexillis, clipeis, galeis reparata,
Et sociis, famulis et equis bene sit geminata,
Vestibus armentur socii, famuli decorentur,
Moribus ornentur, fidei dulcore beentur,
Vestibus et cappis pociantur moribus aptis,
Crinibus incisis regionis honore politis.
Vir suberis crescit, levibus sua planta quiescit,
Lancea vexillis baneria iuncta sub illis
In cameris lecti studio conamine recti,
Florida sit cultra vana sub ymayne pulcra.
Annulus ex auro graviter sociatur avaro,
Annulus ex petris precio tenus ordine letis,
Aula pro mulis et equis falleris sit dedita fretis,
In stabulis parvis asinus depascit in arvis,
Utilis est famulis bestia cum stimulis.
Denique iumentis quia sunt hec gaudia lentis,
Parcus in expensis, tenuis cui cingitur hensis.
Hic syphus argenti, duo bis dat vina bibenti,
Leticiam menti, decus aule, pignus egenti,
Hic lapides sculpi precii sub ymayne culti,
Ordine picturis variis domus apta figuris,
Sculpa pavimentis variis condita talentis
Sit talamis, scalis, cameris redimita metalis.

Hic sonipes frenis, sellis decorentur abenis
Hic equus et mulus sibi serviat alter et unus,
Aurea centura sibi sint munillia plura.

Sella nitens freno falleris sociata sereno,
Lancea, mucro, spata, calcaria sint germinata;
Hic varie pelles lorice contra (1) rebelles,
Gaudia cum sertis equitantibus arte disertis
Cum pilleis, terris, galleis, clipeis, cirothecis.

Dum iacet in lecto plumis vel bombice tecto
Rex nimis electo vario certamine secto,
Undique rumores claudat et inde fores.
Verna sit assiduus, dum cubat hic dominus,
Quod probus assistet, sibi pallia recta ministret,
Quadra super lecta placeant conamine recta.
Dux veteres panos largitur, ut innovet anos,
Carcer hic aptatus, quia punit probra, reatus.
Presidis in aula placidus sit ianitor alma,
Omnibus optata lateat domus apta cloaca,
Lana vel erba viris aut fenum sit sine spinis.
Sit bene tecta domus, sint ibi ligna, focus,
Ardeat eterna pro furibus apta lucerna,
Sulfura cum feris fricabunt tempore petris.
Cum totus abscondet meretricibus, omnia fondet,
Sit coqus arte bonus, sic erit unde loqus.

Officiis mistis et variis domus hec redimita
Sic viciis ista vacuetur sorde relicta.
Iusticie vita vigeat quasi rex herimita;
Purpura scarleta sibi sint variata trapeta,
In talamis leta zendalia sericha seta.
In cameris freta iaceant quamplura secreta,
Undique cortina circumdet grecha, latina,
Aurea vexilla, tentoria magna, pusilla,
Cera sit ex illa tenuissima sculpta sigilla.

---

(1) Sorte *(Chiosa nel ms.)*.

Perticha sit recta geminata ab arbore secta.
Falco, canis nisus ducibus dat gaudia risus,
Bellua silvestris tribuat sollamina gestis,
Symia docta rota simulet risoria vota;
Hic volucres solvant odas per guttura volvant,
Gula canis fortis vigilet pro furibus hostis,
Clauditur urbs portis, satagat custodia noctis:
In solitis horis resonet campana laboris,
Tinniat expletis gestis campana quietis;
Hiis ornamentis cito crescit fama regentis.
(1) . . . .

Caucius ex archa sit epistola rite redacta,
Scrinia sint arte super aurea munera marte,
Non dabit hic parce, neque plangat munus in arce;
Balnea vel stufe fiant per tempora multe;
Regibus est apta per tossica cauta triaca.

De moribus manducandi.

Aula sit ornata tabulis et sede parata
Ampla fenestrata.
Clara caminata spaciosa sit aurea grata,
Sedibus armata, sit fronde vel igne focata,
Aut paleis strata, foliis vel flore locata.
Luminibus cauta candelis sole novata,
Dolia sint clara, nova, vasa putredine rasa,
Armis, vexillis, clipeis, galleis recreata.
In faleris sellis sint lancea iuncta capellis;
Mensa sit aptata, mera dulcia, forcia, glauca,
Illa sit aut lunga spaciosa vel ampla rotunda,
Gens ibi iocunda, viciis et murmure munda,
Hic tripodes, dischi iaceant tenus ordine spissi,
Ferrea cultra satis nova sint cum gausape fixi.

(1) Manca qui un verso, che nel codice fu abraso.

Pocula clara data, tabulis mantilia lata,
Scribitur in carta, veniant in fercula quarta (1),
Panis frumenti sarmenti (2) vina bibenti;
Sint ibi cultelli tersi ratione duelli.
Ante manus famuli lavent, deinde tribuni;
Tunc sedeant bini, sit laus dedita fini,
Non sedeat dominus, ni velit ipse cocus.
Ut decet equales, epulentur amore sodales.
Tunc dapifer dicat domino que fercla ministrat,
Et ferat absque mora que (3) prandia sint meliora,
Scutifer inclinans nova fercula viva propinans.
Tunc manibus lotis geminentur fercula notis,
Sed domino prima, seriatim fratribus yma.
Provideat dominus que sint ...... (4) disco,
Ultimus et primus epulentur carmine prisco.
Pocula laudata
Prandia prelauta (*)
Fercula sint aucta conctis gustantibus apta.
Tunc referat domino dapifer sua fercula clausa,
Pregustet modice famulus, neque sit sine causa.
Tunc epulis gratis fiat benedictio patris;
Prandia qui censet, primo de paupere penset,
Ne sit in offensa sua dextera nec reprehensa.
Omnis edat caute, sobrie sine rusticitate.
Si quis edit solus, non sit inesse dolus,
Nil referat spurci neque vivat more bubulci.
Dum cibus aitatur, labiis quis pauca loquatur;

(*) *Verso agg.*
Quilibet inquirat que fercla coquina propinat.

(1) *Frisi* quarta.
(2) *Frisi* Carinti.
(3) *Frisi* quia prandia sunt meliora.
(4) Abrasione nel codice.

Gens bene farcita dapibus vel veste polita
Percipit audita vel obedit in aure nutrita.

Aula potestatis sit amicis hospita gratis,
Omnibus optatis sibi prandia nobilitatis,
Cum dapibus lautis clara falerna satis.
Virga facultatis moderetur munera gratis
Larga manus fratris, non prodiga fertilitatis;
Aut rebus placidis aut urbis cumsonet aptis,
Qui bibis argento, ditis Laxarique memento,
At bibat hic parce Loth commonet et patet arce.
Dollia sint plena precioso vetere amena,
Est locuples vena prandendi vita serena.
Substineat frena vel edat pectus avena,
Nocturna cena stomaco fit maxima pena.
Est ratio viva, quod sit sic cena nociva;
Dum brevis est hora, noctis vitare labora,
Si vis esse levis, sit tua cena brevis.
Non decet ad discum breve gausape scissum,
Non manibus inungat epulans, nisi pallia iungat.
Tunc manibus lotis geminentur fercula votis,
Et vigili cura referat sua dextera pura.
Non lupus aut porcus faciet sine murmure corpus;
Plus amat dentem lupus hic, quam quinque parentes;
Fercula cum vinis medientur, et absque ruinis
Prandia vicinis rex donet munera nimis.
Frondibus utetur famulus, nec musa minetur;
Non ibi sit fumus, sibi serviat alter et unus:
In dapibus munus disponat in arce tribunus,
Fercula pauperibus, ossa dato canibus;
Et famuli sileant, dum fercula, vina propinant,
Serviat inclinans dapifer
Dum domini prandent, noctu candelabra candent;

Pocio tradetur dum dentibus esca levetur,
Dum calor hinc cedat, caveat ne guttura ledat, (*)
Nec caro dentata redeat magis in piperata,
Undique libatos spernat et ille cibos.
Musta quidem prima sint dulcia forcia vina,
His acqua sit mixta, ne sint ibi turpia dicta.
Sint ibi silvestres volucres
Non sibi campestres radices semina pestes
Ventre tument sacra tunicata legumina macra;
Milia, panica fugiant non ventris amica,
Allia cum cepe
Pissibus optatis copia grata cratis,
Quadrupedes, pisces, volucres, animalia pingues
Sal, piper atque sapor, hinc liquor, inde vapor;
Non edat ille data, nisi sint ibi viva parata,
Nec decet in disco discumbere gausape sicco.
Ordine discreta sibi sit variata dieta,
Gaudet natura stomaci per fercula plura,
Fructus et assata placeant in fine locata.
Non socios fraudet dominus, neque prandia tradet,
Dux sedeat recte comedens, neque potet inepte;
Fertur in offensam cum pectore tangere mensam,
Nec spuat infeste contentus partis honeste.
Cenet ut est moris, servatis litibus horis,
Hii varii mores variantur per regiones.

Si nimis egrotus epuletur ab arce remotus,
Cui cibus ignotus non detur, sed bene lotus
Cum medici sensu medicantis munere censu.

(*) *Verso agg.*
Quilibet inquirat que fercla coquina propinat.

Sepius in pratis epuletur frondis opacis
Cum sociis gratis famulis sub amore paratis,
Vox litui rauca, resonet sibi dulciter arpa;
Tunc citharante lira geminentur carmina dira,
Cum vitula (1), rocta sibi sit suavissima corda;
Cornua curva tube vocitet super ethera turbe,
Versibus hic laudent, mox organa, timpana pulsent
Hic avium cantus nimia dulcedine sanctus.

Ystrio festinet, solamina grata propinet,
Cantores grati simulent fera gesta rogati.

Tunc manibus lotis referant pocula rotis,
Hinc vigilent, memorent, patrie felicia querent.
Prandeat et iaceat, ut meditata ferat. (*)

De iudicibus.

Iusticie clavis sit regis alma, suavis, (**)
Dulcis et equalis iudex decoretur in aulis,
Si nimis ille gravis regionis fit mala navis,
Si stet inequalis, moveatur ab ordine talis.
Ordine papalis residens aut imperialis
Munere venalis non sit neque symonialis.

(*) *Versi agg.*
Cophinus ornatus sit claudere grata paratus,
Aurea formata sint hic cyminilia grata.

(**) *Versi agg.*
In quali quali bene coit officiali.
Rara fides soli sistit in arte fori,
O fili, tu facias concordantias et glosas.

---

(1) *Vitula*, istrumento di musica, ossia la viola, detta anche *vidula*, e *vitulari* chiamavasi il cantar colla viola. *Rocta* altro istrumento musicale, di cui non s'ha memoria.

Iusticie virga stat duplex florida lingua (1),
Si bene distincta fuerit tenus ordine pincta,
Aspera sorde pigra fugiat quaxi toxica nigra.

Legibus est usus preceps si lege solutus
Unde fuit munda pia iuris dictio longa;
Singula mox iuret iudex quod recta proguret, (*)
Sit viduis, miseris, templis tutela, pusilis
Non precibus, precio, fraudibus, arte, dolo.

Non sedet in festis iudex, nisi pro male gestis,
Presidis a dextris meditetur rebus honestis;
Stulticie testis sit iudex aspera pestis,
Dulcis et asper erit, nisi res pro tempore querit.
Causarum trinum genus sermone latinum,
Iudicii trinus actus stat iure latinus,
Est dubius casus litis discrimine clausus,
Tristis et eventus cito cedit sorte putendus:
Non decet hic fastus in litibus aut malus astus,
Sed bene sit cautus iuvenis sub rege coactus.

Non sedeat mutus regionis culmine tutus (2),
Legibus argutus celestia iura secutus.

(*) *Verso agg.*
Tunc ad cautelam prestet sibi quisque sequelam.

---

(1) Anche l'autore dell'*Oculus Pastoralis* nel capit. *De modestia et disciplina Rectorum* scriveva: « Oportet vos armari armatura iustitiae, » ut possitis stare adversus insidias detractorum. Induite ergo pro thorace » iustitiam, accipite pro galea iudicium certum, sumite scutum inexpu- » gnabile aequitatem, et portate baculum in manu dextera non arundineum » sed ligneum et fortem similem baculo pastorali, quem tenet Ecclesia etc. »

(2) Brunetto Latini insegna l'amministrazione della giustizia dover essere prima cura di chi governa: « Moult est bele chose et honeste a segnor, » que quand il siet à court, que il entende volontiers as uns et as autres,

Blandimenta precum renuat, rex iudicet equum,
Moribus aut iure dirimat cito iurgia pure.
Ordine mensure mandabit singula cure,
Floreat ornatus sermonis in arte notatus,
Pluribus optatus sileat sine laude boatus.

Iudicis est ensis redimitus lingua forensis,
Hinc fugiat scripta male consona sordida dicto.
Munere coruptus male iudicat heris adustus,
Aut precibus ductus et amore, timore sepultus.
Aspera non dirimunt nullisque federa fingunt,
Iurgia protelant, enormia crimina celant;
Turpiter hii certant et avara stipendia velant,
Ut populos ledant, spoliati fine recedant
Munera quos cedant, geminant scelus, agmina fedant,
Partibus aplaudunt, et egenis viscera claudunt.

Dum petit hora, sedet, dum postulat hora, recedet,
Et notet atente rationes, iurgia mente,
Actor utrique forum sortitur honore reorum.

Sunt duo, que tristes faciunt monosilaba lites,
Verba quidem « sic non » atque « meumque tuum. »

Sepius in bellis iudex agit absque libellis,
Si persona nimis fuerit vel questio vilis.
Hic sine scriptura poterit decidere plura,
Que cito scire potes, si bene iura notes.

» mesmement les avocaz et les parties des chose (causes): car il si des-
» coverront la force des plaiz et manifesteront la matieres des questions;
» por quoi la loi dit, que lor offices est fierement bons et besoignables
» à la vie des homes, et tant au plus comme se il combatissent a lespee
» et a coutiaus por lor parens ou por lor païs. Car nos ne cuidons pas,
» fuit lampereres, que cil seulement soient chevalier qui ont escu et
» haubert, mais chevalier sont li avocat et li pairoin des causes etc. »

Iudex lege sciat ubi pura calumpnia fiat,
Illud iuretur quod lis sibi iusta videtur,
Et si queretur verum, non inficietur.
Ut lis tardetur, dillatio nulla petetur,
Nec promittetur nec falsa probatio detur.

Iudicii seriter si vis bene scire tenorem,
Iudicis, actoris nomina scribe foris,
Atque referentis (1) causam propone petentis.
Sufficit in lite causam proponere rite,
Que si discordat, cito dampna, pericula portat.

Si petitur fundus, sint fines et loca, fructus,
Sed facies scriptas sufficit esse duas.
Nomina nummorum generis scribenda reorum,
Propria servorum pateant vel matris eorum,
Materiam, speciem, pondus numerumque, colorem,
Singula que repetit, scribat quod regula dicit;
Ut residens fiat, certior ista sciat.
Dentibus infestos poterit lacerare libellos,
Articulos rectos teneat, sed spernat ineptos.

Multiplici causa iudex removetur ab aula,
Denique suspectus non sit de iure receptus,
Inde reponetur alius sibi vel societur.
Ex variis causis iudex suspectus habetur;
Iudicis arbitrio discucienda puto,
Qui ius censendi voluit non iura petendi,
Contentus propria quilibet pro arte sua.
Plus preciosa valent, sed speciosa placent.

Casibus undenis poterit quis certificari,
Non tamen est facile per singula sic numerari.

(1) requirentis *(Corr. nel cod.)*.

Iure satisdetur, si iussus in his dubitetur,
Quod si monstratur, caucio nulla datur.
Hoc fit in activo, non obtinet in fugitivo,
Actio ditetur vel saltem causa notetur,
Ordine citetur semel aut hiis lege docetur.
Ni presentetur, alii possessio detur,
Vel sic mulctetur latitans, ut rite videtur,
Si latitent partes, merito sibi pena notetur,
Si fuerit presto, cursus rationibus esto.

Solvere cogetur reus hic, si rite fatetur.
Quod si queretur, dillatio parva sequetur,
Illico dampnetur, si lis iniusta movetur.
Maior sponte sciens contra se ubi vis sit et hostis,
Nec natura rei favor lis aut ius ne repugnet,
Ut persolvantur sibi congrua tempora dantur.
Offerat imbellis actor detenta libelli,
Et petat ex causa cur res sit turbine clausa.
In ius clametur, veluti de iure docetur,
Lis contestetur, iuretur et inde probetur;
Tunc allegetur, ponetur et res trutinetur,
Post conclaudetur, sententia certa feretur,
Sportula tradetur, ut mos regionis habetur.
Nec retractetur, quia lex ratione tuetur;
Non proteletur, quia congrua pena iubetur,
Sed si ledetur minor, undique restituetur,
Aut appelletur; post hec nihil inde novetur.
Absque thenore datur residentis certa notatur,
Provocet in scriptis superatus illico dictis.
Nec sibi dampnosum reputet dux vel viciosum,
Obprobrium fieri non putet ille sibi.
Appellare vetant scellus, excellencia pacta,
Contemptus ..... una res, interdictio facta,

Arbitrium, res que periit non temporis apta.
Iurgia vesana renuit lex iustiniana,
Rex (1) intricate tepeant sub vindice late,
Intricare vetat iurgia musa secat.
Hic petit, ille negat, hic probat et reprobat,
Excipit ac replicat, ponit et inde cogat (2).
Hic agit et ille fugit, hic tenet, ille resurgit,
Provocat et ducit, hic suplicat atque recludit.

Cum pedibus plombi debet sententia fondi,,
Iudicium detur caute, non precipietur (3).
Sicut cum scripta fuerit sententia dicta,
Semper erit fixa meritis et sorde relicta,
In scriptis recitet residens, sententia fulget,
Nunquam festinet iudex, meditata propinet,
Audiat orantes, ascultans undique fantes,
Dirigat hic oculos in nova verba suos. (*)

Non malus est iudex, qui iurgia tarda subegit,
Gracior est fructus, quia spes prodiencior edit;
Litibus audita trutinentur lege nutrita,
Iurgia finita sileant racione sopita.

Per solitos mores faciat iudex rationes,
Dampnet in expensis, ut precipit aula forensis,
Undique mulctabit fatuos, scelerata levabit,
Ingeniis, studiis ferveat, officiis.
Audiat ille foris, servatis litibus horis;

(*) *Versi agg.*
Iudicio iustus placet auxiliando fidelis,
Conscilio cautus sit quisque favendo querelis.

---

(1) *Corr.* res.
(2) Et inde probat *(Var. nel ms.)*.
(3) *Corr.* praecipitetur.

Prandeat et iaceat, ut meditata ferat.
Tertia vel quarta dabit productio larga.

Iudice presente iuratur, parte vidente;
Tunc pariter caute testes interroget apte,
Condicio, sexus, etas, discretio, fama,
Sunt fortuna, fides in testibus ista notanda.
Ex variis curis oritur presumptio iuris,
Iudiciis certis lex credat lege repertis;
Ut referunt plures, oritur presumptio duplex,
Legibus et factis ac dictis, moribus aptis,
Testibus et scriptis dirimat rationibus istis.

Fert medicus passis medicamina, lex data causis,
Nil noviter temptet iudex, dum questio pendet
Ille sacramentis parcat sine murmure gentis;
Forma sacramenti fit dandi vel referendi:
Sepius ex aula male iurat iudicis aula,
Inde recusatur, iusta ratione probatur
Lite procurator, tutor, curator et actor.
Syndicus, ynconemus (1), custos, super omnia gestor
Sollicite reddant rationes, ne sua perdant.
Sub dubio liti respondent sepe periti,
Ut bona salventur, stipulari lege iubentur,
Qui perimit pactum, quod sit rationibus aptum,
Non placet hoc regi, quia rex est dissona legi,
Res periit in totum, difert ex opere votum,
Que proponatur, nisi constet et illa probatur.
Lis perit ex annis tribus, hoc fit non sine dampnis;
Causa manet firma per fata latencia bina,
Quatuor ista timor, hodium, dilectio, munus
Pervertunt animos, male iudicat alter et unus;

---

(1) Forse *oeconomus*.

Undique corruptus male iudicat heris onustus,
Fraudibus inductus, precibus precioque sepultus;
Moribus inbutus sit ab omni labe sepultus [1];
Non renuat pactum pretor rationibus aptum,
Denique con...... teneat de moribus aptum.
Tramitibus litis lex floret in arte petiti,
Lis cadit aliter sibi dans spiracula vite.
Iudicium pacto, spacio disolvitur artho,
Mortua vel rapta fit res vel lis minus apta,
Calculus accedat, qui iubet ipse vetat.
Res iacet incerta nixi lex sit tota relicta,
Iurgia deserta reparantur ab arce diserta;
De re comuni sua cras sociabitur uni,
Ne pereat tota, facit hec contencio mota.
Sepe solet lucta fieri sub iudice ducta,
Fraudibus occultis pugnatur crimine, culpis,
Qui simulat crimen hunc talio dapnat eidem.
Formula sublata cecidit sub lege novata
Silaba si qua cadet, integra causa iacet.

Litibus est requies fine secunda dies.
Iudicat inceste lites trutinantur inepte,
Disserat et penset, trutinet qui iurgia censet,
Plurima scrutatur fatuus, nihil hic operatur;
Actio si detur, rem quisquis habere videtur,
Lictera rextaurat casus bonus inaurat,
Lex bene declarata breviter que regula narrat,
Si tamen ex glosa reseretur nubilia prosa;
Inde sit explosa variabilis ars scrupulqsa [2],
Ordine res litis dirimit meditatio mitis,
Lex iubet atque vetat, promittit, consulit, artat,

(1) **Munitus** *(Var. nel cod.)*.
(2) **Lubricosa** *(Id.)*.

Ordinat et punit cito, difert, parcit et urit.
Hic bene scire potes, si bene iura notes;
Non irascatur legere, sed rex paciatur,
Pretor laudatur, subito si lis minuatur.

Utilis in arca sit epistola rite redacta,
Regula iura regit, quia iurgia vera subegit.

Arbiter exactus laudabis iure coactus,
Vilis et abiectus reputabitur artis ineptus,
Et quasi suspectus paciatur frigus et exstus;
Ordine disiectus vix novit sistere rectus,
Partibus elęctus sit constans turbine sectus
Sit neque deceptus, aut fraudis labe molestus.

Arbitrii forma velud est sub iudice norma,
Sic dirimit multas lites et amica voluntas.

Hos consoletur pius arbiter, egra medetur
Arbiter exactus merito laudare coactus
Proferat aut dictet, vel que sint congrua scribet,
Omnia scribantur et partibus exibeantur.

Arbitrii forma tenet instar
Arbiter electus laudet sine sorde receptus,
Undique sit rectus pietatis hodore refectus,
Fraudibus eiectus neque partibus esto molestus,
Moribus inbutus et ab omni labe solutus,
Tempore vel penis rata stat sententia legis.

Arbitrii species dicitur esse duplex,
Quod dirimit ficte, quod laudat fraudis inique,
Coriget hic iudex iuris in arte rudes.

Litibus aptatis respondeat ille thogatis;
Florida digesta dirimunt bene perfida gesta.
Sint ibi formosi libri, nusquam viciosi,
Aurit aquam cribris cognitor absque libris.
Iuste decernat, subtiliter omnia cernat,
Impia discernat et munera sordida spernat.
Ordine scripturas dictet sine turbine puras,
Iudex discretus sedeat sine murmure letus,
Audiat ille foris lites discriminis horis
Finiat et muniat causas per iurgia clausas.
Undique de plano leviter vel tramite sano
Iurgia sumatim trutinabit vel seriatim,
Sportula paulatim reseretur causa gradatim.

Tramitibus litis positis quasi palmite vitis
In ius clametur, veluti de iure docetur;
Offerat in bellis actor repetenda libellis,
Et petat ex causa cur sunt res turbine clausa.
Iudicet hic rite, trutinet per singula trite,
Proferat in scriptis residens vel vilia dictis,
Non minor infamis seu cetus stultus inanis
Arte fide dignus sit liber inde benignus.

Vix mulier censet, cantus solamina penset,
Iurgia finita sopita sileant ratione petita.

Proferat hic caute residens et dictet aperte,
Legibus immundas civiles temperet undas,
Sint ibi scripture deitatis nomine pure,
Suppleat in iure de facto sic sibi cure.
Terreat hic testes referentes scandala, pestes,
Si male testentur, merito iaculis ferientur,
Scandala, iurgia compescat iudex ut rixa quiescat.

Non erit ille bonus iudex simul atque patronus,
Maxima fit pestis!, cum iudex stat sibi testis;
In rebus propriis prohibet sapientia iuris,
Qua quis lance quidem trutinat, trutinabitur idem.
Non allios dampnet, nisi fraudis culpa videtur.
Iudicet hic alios similis, quia pena iubetur,
Non iusta faciem merito vindicta trahetur,
Sed meritis certis doctrinis legis apertis.
Mulctos mulctabit paupertas, quos revelabit,
Crimina dampnabit, que regula recta ligabit,
Inde relaxabit suspectos vel sociabit;
Sic curatores, tutores lege creabit.
Pignoribus captis tutores cogat in actis,
Hic male degentes moneat sociosque nocentes.
Sic interdicat veluti sapientia dictat,
Si meritis pactis faveat, residebit in altis;
Quod deportetur quis crimine iure cavetur,
Sive relegetur substantia vel publicetur,
Aut occidetur, si mortem pena meretur,
Exulabit patriam sine re vel spe redeundi.

Hic dirimat sorte, si res sit fervida forte
Iure comuni socii pars iungitur uni. (*)

Undique legatus servet mandata beatus,
Iudicis inpuram tenet arbiter arte figuram,
Cautus uterque reget veluti prudencia queret.

Servet et hic pacta, que sint civiliter acta.
Dividat ille bonos in litibus arte patronos,

(*) *Verso agg.*
Ne pereat tota, faciat hic commentio mota.

Omnibus archa fori fit gratia nobiliori,
Officio lauto pociatur in arce beato;
Arbitrio iusto revirescat corde venusto,
Et manibus mundis studeat civilibus undis.
Si favor augetur, sententia digna sequetur,
Iudicet ad simile solvendi pravior ille,
Dampnet in expensis convictos lex dirimentis,
Excipit hic actor latitans fugientis et error.
Sic alimenta feret, veluti si ubera queret,
Litibus inponat fines, sapiencia donat.

Inpositis feriis cesset repeticio iuris,
Iura relegantur, ubi vires predominantur
Inplicite falsi sub iudice non fabricantur,
Singula gesta libris monumentaque cuncta ferantur,
Sub recta serie tribuantur, si repetantur.

Deferat examen causarum presidis agmen,
Tempore bellorum reseras mala gesta reorum;
Non sedet in festo iudex, nisi pro male gesto,
Sepe repentine ferie sunt tempore trine,
Messibus et festis mera dant sollamina fessis.

Consulat antiquos vivens in arte peritos,
Et dirimat rite scrutans super omnia trite,
Lis cadit ex lite sibi dans spiracula vite

Nemo sit orrendus pro alio neque conveniendus,
Alter ut alterius hodium ferat, hoc prohibet ius;
Non nocet agnatis noxia culpa patris.
Nec solet elidi mulier pro sorde mariti,
Regula demonstrat, non culpa nepotibus obstat,
Presidis edictum pateat pro gramate scriptum,

Ne cadat intra album fatuus fugiendo reatum.
Est scelus hoc altum iussum ducis angere gratum,
Si male servetur, decretum pena paretur,
Si deludetur preceptum, mulcta dupletur.
Iussa potestatis terrene discuciantur,
Si sunt digna satis, ne leges diminuantur;
Nunquam dementi faveat quis prava iubenti,
Quod iubet assessor, non debet frangere pretor,
Ni foret iniustum nimium neque fraude solutum.
Congrua precepta teneat dux frangat inepta,
Nunquam divinis iubeant contraria reges,
Supremus furor est sacras contempnere leges,
Utile mandatum iubeat laudabile gratum,
Nec revocet gestum preses, nisi ledat honestum,
Deleat inceptum, si sit racionis ineptum:
Illicitum questum renuat tenus arte molestum,
Letificet mestum populum sua lingua modestum;
Quam cito cognoscit sapiens, que turpia poscit,
Qui petit iniustum neque sit de iure venustum,
Hic cito discedat, ne prava peticio ledat.

Iudex dapnatur sceleri, nisi pena promatur;
Qui differt penas, peccandi laxat habenas,
Qui facinus celant meritis ad peius anhelant,
Qui scelus ignorant, levius sua tella colorant;
Verbera quis demit, culpa perhempnis erit.
Est levius punire scelus quam crimina multa,
Non cumulet gestus scelerum male rector honestus,
Deleat hic parvas flammas quam flumine pravas,
Quam cito similis modicis fit fervidus ignis.
Actores proprios puniat aula suos.
Omnis vindicta nimis aspera sit maledicta;
Nullus vindictam capiat sine vindice dictam,

Casibus exceptis variis a lege repertis,
Vindictam teneant crimina queque suam.
Optima vindicta rationis sit benedicta,
Congrua si pena fuerit, tunc fertur amena,
Non superet culpas ulcio queque suas.
Os dolet ac pulpa, cum quis patitur sine culpa;
Non pateant duple pene sub iudice culpe,
Qui ferit in gladiis, hic perit in iaculis,
Ni feriat iuste legis virtute vetuste,
Qui ferit iniuste, gladio ferietur aduste;
Quod propriis culpis patitur, lacrimetur inultis,
Carceris in penis proceres moderentur abenis,
Carceris erompna [1] patris est pacis alumpna,
Carcere privato vetito sub iudice lato.
Nunciet, accuset, inquirat, crimina pulset,
Non tamen hic feriat, nisi plenius omnia querat;
Non gerat iratus, liqueat sed culpa reatus,
Verberibus, verbis fatui feriantur acerbis,
Rex feriat mulcte iaculo ne petet inulte,
Nec subito feriat, nisi primo crimina querat;
Penas sepe luit, quas homo non meruit.
Aspera pena gravis minor est ratione sodalis,
Ob populum multum latuit crebro crimen inultum,
Deleat ingentes culpas minimasque recentes;
Sepe duces trepidant scelerum punire potentes,
Et miseros feriunt leviter cruciando cadentes,
Quam cito muneribus satagunt leviare nocentes.

Si timeat ventum, regimen fit tramite lentum,
Non dubitet preses culpas dampnare nocentum,
Nec trepidet faciem procerum neque verba potentum,
Nec nimis lacrimis doleat super ora dolentum;

---

(1) *Corr.* aerumna.

Si pavet in verba fatuorum voce superba,
Ipse dabit terga, quia mens sua fervet acerba,
Nec nimium properet, ne sit sua messis in erba.
Ulcio tardetur, procerum gravis ira levetur,
Sumere vindictam tardet, dum mitiget iram,
Ne cadat in penas famulus plus crimine fedas;
Pluribus his culpas proprias rex laxet inultas,
Non sibi sit iubeo, neque pro racione voluntas.

Fit vicium multis, si rex vult parcere culpis,
Est gravis et turpis, si res sit consona spurcis.

Flagiciis digni feriantur in ense maligni
Supliciis ligni crucis atre carceris igni.

Corigat et moneat fatuos, iubeat quoque, stringat,
Differat et feriat, caleat tepeatque, relinquat.

Verna ferit sellam pavidus, non tangit asellam,
Percutit ille canem, quod temperet ille leonem.

Non feriat iustum, relevabit et ille nocentem,
Per miserum flentem non deprimat ille potentem,
Vitando Sillam, non incidat ipse Caribdim.
Non erit ex urbs deformanda ruinis,
Nec facies hominis est maculanda iuris. (*)

Verberibus verbis feriat, reprimatur lingua superbis,

(*) *Versi agg.*
Rex fidei cultor, sceleris bene criminis ultor
Non sibi seductor placeat nec criminis auctor;
Qui mala iura colunt, sibi precamina probant,
Qui pia iura docet, non sibi fama nocet.

Undique rumores renuat rex, probra, furores,
Non cumulet gestus vindictas stulta modestus,
Vindicet attente contemptus iniqua repente,
Mitiget hic penas, odii restringat habenas,
In scuticis gladiis vindicet assiduis. (1)
Crimina qui fingit, sua pectora fulgore tingit. (*)
Invigilet nec vincat eum tortura laboris,
Pandectam relegat, pandectam scire laboret.
Alte mentis opus colat, amplectetur, adhoret,
Nec minus est codex opus imperiale colendus,
Post dicta tamen divorum gesta legendus.
Terminat hic lites, fit questio iuris in illis;
Hic iubet, illa docet, lex pendet et ab hoc et ab illis.
Iusticie duo templa patent responsa petenti,
Thesaurosque novos aperit labor hic fodienti,
Dat nomen clarum, dat amicos, implet avarum,
Informat mores, animum regit, auget honores.
Ergo laboremus, qui noscere iura studemus,
Ergo malo mori, quam vertere terga labori.
Sumptus atque labor licet instet, non superabor,
Torquens tortorem superabo, labore laborem.
Ius civile solet vigilantibus esse paratum,
Quod non neglectis novit prebere ducatum.

Nec positiva dari poteritque negata probari;
Casibus in denis fit questio recta querelis;
Hec loca si queris, iura notare velis.
Iusticie telis lex est simulanda medelis;
Hec bona si queris, sapientum crede loquelis.

(*) *Versi agg.*
Si quis forte cupit iuris consultus haberi,
Conctarum (?) studium velit a quocumque doceri.

---

(1) Hic deficiunt multa carmina de iustitia (*Nota nel cod.*).

Ut medicina malo ira lex est dedita causis,
Publica pupille res simulata pusille.

Eius erit velle, qui possit iungere nolle.
Quattuor ac in terra datur natis iura trientem;
Semissem iura dant natis quinque vel ultra,
Arbitrium sequitur cetera substantia patris. (*)

Iudicis officium placidum per plurima spectat,
Que faciet rector, quia sic prudencia prestat.

Hec memini: meminisse iuvat sed cetera rector;
Ista tuli, que tulisse licet felicia pretor.
Scrutetur, memoret, relevet mea carmina lector,
Saxa movere solet lingue dulcedine recthor,
Sic regimen felix vireat virtutis abenis

(*) *Versi agg.*

Appoca (1) fit dantis, antapoca percipientis.
Casibus hiis binis conductor ab ede nudatur
Si male versetur vel cesset solvere census;
.... debet dominoque vel expedit edes.
Commoda qui sentit, dampnum sibi regula pendet,
Arva cui dentur, rem quis et habere videtur
Tollere semisses possunt comuniter omnes,
Sed mercatores stipulari posse trientes.
Casibus ex senis mulier spondere tenetur.
Si quis habet vires, aufert sepissime vires
Unde ..... invitum ..... que non ..... (2)
Si tua res fuerit, quam quis invadere querit,
Ipse dabit duplum, pena faciente quadruplum.

---

(1) *Apocha* è la quitanza rilasciata da chi ha ricevuto denaro, *antapoca* è lo scritto con cui il debitore dichiara di avere sborsato al creditore il denaro dovutogli.

(2) Questo verso e inintelligibile, essendone impossibile la lettura.

Ut fugiat funis, sit finis cantica, laus
Provida natura pro solicitudine cura
Arte nutrit tura, statuit civilia iura,
Ne dolus, usura producant iurgia dura
Ordine, mensura teneat rex menia, rura.

Causidici gesta sua purpura vendit honesta,
Letificat mesta lingua florente modesta,
Plurima funesta male ducit perfida testa,
Pratica precepta teneat theorica cepta,
Florida sic festa male vertit voce molesta.

Causarum trinum genus est sermone latinum,
Iudicum trinus est actus iure latinus,
Adque sit pronus, docilis sine sorde patronus.

Gloria patronis defertur vocis honoris,
Pro meritis moris fidei ratione laboris,
Sepe levata (1) foris producunt probra pudoris,
Lingua timet oris miseris sub tristibus horis, (*)
Unde carent roris dulcedine, lumine solis.
Nulli causidico reorum esse fidem neque dico,
Hosti pro modico fit amicus et hostis amico;
Ars male docta scolis non placet apta dolis. (**)
Inprobus orator quasi stat delirus arrator

(*) *Verso agg.*
Lingua ferox oris tumet hiis sub tristibus horis.

(**) *Versi agg.*
Sepe timore cadit patronus et intima claudit,
Predicat incassum, defensat crimine lapsum,
Advocat in vanum, graviter recitando profanum.

(1) tacenda *(Nota nel ms.)*.

Impius ornator quisquam stat iuris amator,
Recta cavillare minus est quam litus arare,
Intricare nocet, quod pia musa docet.

Inproba gesta ferunt et scandala iurgia querunt,
Arte colorata faciunt exordia grata,
Nil faciant fraudis referentes premia laudis,
Sint placidi corde spreta putredine, sorde.
Causidicus lites, piscator in equore pisces,
Vulnus amat medicus, presbiter interitus;
Argumentetur, meditetur et alta loquetur,
Undique soletur miseros qui iura tuetur.
Legibus armetur fatuus neque more notetur,
Casibus utetur, legum racione fruetur,
Aut vero simile vel verum differat ille:
Disputet ac dicat simul et moralia fingat,
Irritet, agumentet rationes, iura frequentet.
Hic petat, ille neget, hic probet et ille tenet,
Provocet in scriptis vel verbis illico dictis,
Pollicitis multis extorquent munera stultis,
Ac in consultis rapiunt sibi dona salutis.
Pondere sub formis modus insit regula normis,
Quod licet ex factis referat sermonibus aptis,
Viribus hii crescant, animi virtute virescant;
Iam nimis infestant proceres, sine lege molestant,
Barbarice gentis rapiunt metalla petentis.
Inproba dicta feriunt, simulata iuvanima querunt,
Quam male patroni sunt ad mendacia proni.
Suplicet ornate recitans rector meditate,
Dulciter et caute litis rationibus apte,
Quod sua ferventer retulit, scultet pacienter
Quod sedet ardenter dirimat pia fata decenter,
Proferat hac oret, meritum ratione coloret.

Causidici lati placeant super astra (1) vocati,
Sub facie cultus gestus sermone locutus,
Constantes grati fallaces sint reprobati,
Sint refrenati lingua felice rogati.
Legibus armati sint equa lance beati;
Vestibus ornati referant se nobilitati,
Quam male sunt nati, nisi pareant ebrietati.
Militant in curia quidam advocati,
Quos dotavit furia regina peccati,
Qui sunt lege fuffia (2), canina dotati,
Crimine dampnati, nisi sint ex fonte renati.
Sint oratores fugientes probra, pudores,
Falsos errores, rumores, vana, timores;
Hii memorent mores artis gestusque calores,
Artibus inmundis micant quadrata rotondis;
Non recitent lenti neque lingua percutienti;
Omnibus intenti rationis in arte loquenti,
Ordine maiores doceant ortare minores;
Est modus orandi, censendi, consiliandi,
Est locus ortandi, scrutandi vel meditandi,
Horet hic ornate, recitet meditata beate.

(1) Super alta *(Nota nel Cod.)*.

(2) La Legge Fufia *de comitiis* fu emanata da Q. Fufio Caleno, da cui prese nome, rammentata da Cicerone *post red. in Senat.* in Vatin. V. 7, 9.; e la legge Caninia riguardante la manomissione dei servi fu promulgata da Caninio cittadino romano e tribuno del popolo. Ne fa cenno Vopisco in Tac. c. 10 in fin. Pare però che qui rettamente debba intendersi la legge Furia Caninia, che alcuni altresì chiamano Fufia Caninia, intorno alla quale evvi il tit. 3, lib. 3 cod. Iustinian. Quintiliano però dice che i Furii dicevansi dapprima Fufii (l. 1. c. 4.). Intorno alla legge Furia si legge: « Fuit » etiam Furia Caninia de manumissionibus, ut in testamento ex tribus » servis non plures quam duos manumittere liceret; ex decem dimidiam » partem; a decem usque ad triginta tertiam partem; usque ad centum » quartam, usque ad quingentos quintam etc. » (Caius *Institut.* lib. 5, tit. 2, Paul. *Sentent.* l. 4. tit. 14).

Per fas sive nefas denigrant turbine metas,
Patroni iurent quod recte iurgia curent.
Hoc prohibet mores, tueantur templa minores;
Quod iuretur lege corumpetur,
Sed in consuetudine non habetur.
Displicet ornatus nimius gestusque beatus,
Si sit adoptatus, fugiat scelus atque reatus;
Intricare nocet quod pia musa docet.
Testis doctrinis careat bona pars peregrinis,
Fraudem cum fraude pellere iure studet.
Turpiter hic orat, cui sors scelerata laborat,
Turpiter inplorat, cui turpis fama sonorat,
Laudibus hic orat, cui mens intra vaporat,
Causidici sedes stabilis fulgebit in edes.

Dulciter orditur, blanditur, in arte potitur,
Qui mala iura fovet, perfida gesta movet.
Hii fabricant rixas, defensant crimina lixas;
Protelare student graviter ne iurgia curent,
Sic medici ledunt miseros et premia querunt.

Hic nimis infestat, rapit aurum dum dolor exstat;
In sene pax crescat, merito mala lingua quiescat,
Orditur, recitat precibusque coloribus ornat,
Blanditur, reparat, claudit, minus apta reformat;
Hic calet, hic alget, minuit, confutat et auget.
Temperat, incendit, iterum sua tela retendit,
Conlaudat, memorat, aplaudit, audit et aptat,
Cogitat, exquirit, studet, invenit, eligit, artat,
Ordinat, iniungit, petit, orat et inprobat, instat.
Que via, qui modus, locus ac instancia, nodus,
Quid genus in species divisum iudicet omnes,
Dirigit et iungit, notat, instruit, auget et unit,
Destruat, infirmet, minuit vel discipat, auget.

Denotet ex curis que lis sit questio iuris,
Aut etiam facti que sint fera vincula pacti,
Multa per antitesim delirant, recta fatigant
Federa facta rata federi per pacta novata,
Quot fera fata fori referunt sociata furori,
Sepe per anbages fit legum maxima strages.

Cur inportuni veniant ad castra tribuni,
Inprobitatis honus devitet quisque patronus,
Arguat et facinus seditionis opus.

Non de iure datur ut postulet, inmo vetatur
Luminibus cassus mulier muliebria passus,
Ab dictis pene servus puer actor arene;
Non erit ille bonus iudex similis atque patronus,
Insipiens, stultus patronus, gutture brutus
Sepe redargutus sileat vel ab ordine mutus
Vestibus ornatus placido sermone beatus. (*)

Femina vel servi iuventur mala fama protervi,
Hereticus cecus ubi sit residere suetus,
Nominet hic dominum, si tenet inde suum,
Aut se defendet, ne damna cadencia mendet.
Lingua sibi blesa (1), doleat pro crimine lesa
Flagiciis dignis meritis pro sorde malignis

(*) *Verso agg.*
Non ferat iratus hec ut meditatus.

---

(1) Blaesus, cioè balbuziente. Narra Ovidio che a'suoi tempi le ragazze affettavano fra gli altri difetti, anche quello di balbettare, come leggesi nel suo libro *de arte amandi* 3, 294:

Quid cum legitima fraudatur litera voce
Blaesaque fit iusso coacta sono?

Bleso fu un cognome, com'anche quello di Balbo, imposto ai Sempronii appunto pel vizio della lingua.

Garulus infestat, aurum trahit et dolor estat.
Erpeta res vilis mordax quasi fex puerilis,
Est ydiota nimis prestans sub frugia civis.
Discere qui nescit, laus est si lingua quiescit,
Cur dilatatur mala fimbra cur gemitatur.

Deviat ille pares per easdem curavat *(?)* aures
De (1) mendicatis suffragiisque datis. (*)
Sopnia Parnasi referunt sub ymagine falsi,
Quam male sunt falsi virtutis ab ordine clausi;
Fit color ex albo niger, albus cedit in atro,
Si malus est pictor, res cadit atque color.
Bos arat invitus, male sulcat vomere litus,
Sic simulat mixta conpulsus in arce sophista;
Sepe timore cadit patronus et intima claudit,
Predicat incassum, defensat crimine lapsum,
Advocat in vanum graviter recitando prophanum.

De officio notarii.

Scribite scribtores, vobis geminentur honores,
Scribere qui nescit, laus est si pena quiescit,
Conscilium formet calamis pretoris et ornet.
Scriba refert dicta que sunt, vel florida scripta;
Acta probe facta tribuat similis omnibus acta,
Undique vel pacta contractus more redacta,
Ob res scribendas bene noscit festa, kalendas.
Mensis habet nonas, ydus per tempus et horas,
Mensis et hora dies, locus annis ac homo princeps.
In publicis gestis signis indictio, testis
Illico scribantur, seriatim recta legantur

(*) *Verso agg.*
Quam male patroni sunt ad mendacia proni.

(1) Sub *(Variante nel ms.)*.

Partibus inducta publicentur ab arce reducta;
Sunt tamen occulta, que sunt super arce secuta (1).
Hic notet et sedeat, congrua verba ferat.
Iudicibus memoret, studiis moralia queret;
Murmura, rumores fugiant paciendo labores,
Omnia celata documentis vel publicata,
Penna sit ornata calamis et dextra parata.
Apta vel aptata vetus anseris et renovata.
Sint tibi quaterni veteres super acta moderni,
Omnia predicta publicentur sorde relicta.
Singula sint scripta serie pigritate remissa;
Scribere iam lenti tribuant bene gesta petenti.
Sint ibi scriptores scribentes probra, pudores,
Iurgia vel lites directo tramite mites.
Scribere sit velox notulas dictare libellos,
Omnia scribantur et partibus exhibeantur. (*)

De officio militis.

Militis officium spectat super arma novare,
Ut dominum, socios, populum valeat decorare,

(*) *Versi agg.*

A noto gens dicta, gens impia, gens maledicta,
Gens preciis victa, precibus virtute relicta;
Hanc focus exurat, meretricem namque figurat,
Que nullum curat, nisi quantum res sua durat.
Gens bona thesaurum studiis designat et aurum,
Officium clarum sibi stat vel fraudis amarum,
Nec nimis austerus sit in arte tabellio verus.

---

(1) Brunetto Latini parlando del consiglio a cui presiede il podestà ed intervengono i notai per redigerne il processo verbale, soggiunge: « Et quant ce est tout fait bien et diligemment, li sires li done congié, et se mestiers est, il commande creance (ciò è il secreto, d'onde derivò il nome di credenza a tal consiglio), et qui ne la tient, il doit estre dampnez comme traitres. »

Et scelus et rixas clipeis studeat tenuare.
Arte quidem miles moveat per tempora vires,
Ne sibi sint viles ludi per menia fines;
Is sequitur dominum laudibus ipse suum.
Militis asta ferit, iudex moderamina querit,
Miles pungat equum, sed iudex iudicat equum.
Hic forbanitos [1] perquirat fraudis iniquos,
Qui ducibus sociis ferveat ille suis.
Sic honus et pondus portet sine turbine mundus,
Iudicis et sociis famulis pociatur amore,
Ut simul his vigeat amor ex dulcedinis hore,
Nec scelus aut fidem faciat fervore, timore.

Vestibus ac armis paribus decoretur hodore,
Consulat et sedeat, stimulat honore,
Anuat, aplaudit, ascultat absque timore,
Virtutisque rore felix fulgebit hodore.
Hiis ornamentis virent pro laude regentis;
Sit gladio cinctus miles vel ad arma peritus,
Cui modicus risus placeat sine crimine visus.

Est oculus dester iudex milesque sinister;
Ergo pares faveant, civibus ut placeant.
Undique plateas curant statuendo coreas,
Ad bravium currant equites, per pallia ludant,
Milicias gratus statuant proceres decoratas
Aurea per scuta vexillis, lancea culta,
In falleris sellis refovet dulcedine mellis.
Rex sapiens sociis credat populisque ministris,
Iudicis ac equitis ferveat auxiliis.

---

(1) *Forbanniti*, da *forisbannire*, erano i banditi, cioè quelli che mediante promulgazione di editto o bando, *bannum*, venivano esiliati. Tale espulsione chiamavasi *forbannum*.

Sit tibi legalis in sedibus officialis
Dicit inequalis mente tenet ungula talis.
Hic medicus curet fera sompnia, fata figuret;
Arte senescalcus placeat sine murmure tardus,
Quod notet et scribat, rationis iura requirat.
Servus et ancilla famuletur et ille vel illa
Scutifer et verna referat preciosa falerna;
Sint tibi liberti, iuvenes dociles atque diserti,
Non capifer lixa, sileat contentio, rixa.

Marte marescalcus equitet super agmina cautus,
Ense, manu forti vigilet super alta choorti.
Clave camarlengus non sit per scrinia lentus,
Claviger in cameris dormiat in publicis.
Baiulus et preco resonet sub gutture leto,
Cornibus atque tubis resonabunt nectaris undis.
Sint animo tales ex laudibus officiales,
Munere doctandi meritis et in arte vocandi,
Scurra scelus querat, spiculator (1) crimina sperat.

Hic desperatus lateat mucrone paratus,
Vindicet in larva precio formidine parva,
Aut facie tinctus, gladio pro crimine cinctus
Si feriat parva quod sint provincia salva.
Hic latet oculte latitans sub iudice culpe,
Infula fert aquilam missi dominique figuram,
Aut aliquid signum procerum super arma benignum.

Forpice tonsores, rasores sint meliores,
Atque minutores cautores quam leviores.
Hic explorator, mediator, vite viator

---

(1) Gladiator (*Chiosa nel ms.*).

Presidis in scenis sit baiulus arte fidelis
Nuncius et missus faveat sine murmure fixus,
Voce sua preco clamabit gutture leto,
Cornibus atque tubis sonitus pociatur inudis.

Scutifer et missi male sunt sub iudice fixi,
Noncius officium vertit in exicium.
Plurima scrutator mala defert preco viator (1),
Quot nimis oculta retegunt quod crimina furta,
Quot simulant predas, rapiunt velamine fedas
Baiulus est leno, fallit, bibit heu sine freno,
Ludit et incendit socios, mala recia tendit,
Garit et offendit, validis mala premia pendit.

Occasum fatuus, sapiens considerat ortum,
Ut placidum valeat regionis condere portum.
Est dubius casus belli temerarius ausus,
Insidiis sorte ne sit deceptus ab hoste;
Si valet in pace, sit levis absque face,
Quod si non valeat, congrua bella gerat,
Ortetur populos viribus ille suos.
Sint acies dene, centene .... (2)
Cornibus atque tubis faveant pretoribus urbis,
Si superare nequit preses, bona federa querit.
Sint duo sub pace, cui sunt bella sub arce; (*)
Dedecus est parvum dubium pugnare superbum,
Si miserum ledit, nil sibi laudis erit.
Dux equitet sorte non arce situs ab hoste;

(*) *Verso agg.*
Arma parat martis sapiens rex tempore pacis.

---

(1) *Corr.* praeconizzator.
(2) *Adde* sive quaterne (*Nota nel ms.*).

Tunc mavet in palmis utendo thoracibus, armis,
Sit de captivis maxima cura nimis.

Undique taupinum reddit venus, alea, vinum, (*)
De ludis.
Alea vitetur quia sic de iure iubetur;
Sepe malus ludus producit verbera, vulnus,
Ludus scacorum variat cito corda duorum;
Qui nimium ludit, a se cito gaudia trudit.
Noxius est ludus gladiorum, vanus abusus
Torniat hic tiro, iocus asta sit ordine diro.
Luditur in dampno pavidus gladiante tiranno,
Non erit absurdum nocuum depellere ludum,
Undique dampnosos pellat ab arce iocos.
Allea, baccus, amor merretricum ledit amicum,
Hec ferit ut cecha, dat et aufert sed sine meta;
Hic numerus cautus par dispar multiplicatus
Abbacus et cifra germinant cito tossica trita.
Alea blanda placet, spoliat, iuvat et aurit et auget,
Una manus vulnus revocat, dat munere munus,
Et cadit inferior, qui fuit ante prior.
Hec vacuat cellas, male dotat in urbe puellas,
Terra fit inculta, viduatur femina nupta.
Inde cadunt furta, geminantur prelia multa
Femina captiva paciuntur ficus oliva.

(*) *Versi agg.*
Sepe malus ludus producit gaudia, fructus,
Sepe bonus ludus generat cito tristia, luctus;
Est tamen arcendus cito pravus ab arte movendus.
Sunt comites ludi periuria, iurgia nudi
Fraus, dolus et furta matres substantia curta;
Est pileus ludus de vertice tollere surdus,
Ne capitis macule sint sibi propatule.

Guerra fit activa populi per bella nociva.
Sit tabulis ludus modice vel schacus abusus,
Stet iocus amentis divisus ab ede potentis.
Prospera confundit, fatuus cito noxia fundit
Ad bravium cursus equitum .....

De legatis

Destinet ornatos laycos rex more paratos, (*)
Aptos et gratos sapientium more creatos,
Undique facundos verbi dulcedine cumptos.
Ordine legati renoventur ad alta vocati,
Vestibus ornati referant se nobilitati.

Primo nocent regi legati consona legi,
Quam recitent plebi, ne possint culmina ledi,
Vel referant genti super atria lata sedenti,
Ni fuerint missi legati principis ipsi.
Omnibus his motis fit amicis gracia votis,
Rector ad hec querit, legatus et inde recedit;
Deferat hic scripta legatus quilibet ista.
Recta ferent, orent vel per quasi vera laborent,
Quam male nituntur mendaces, falsa locuntur;
Fallere nituntur, fallaces decipiuntur.
Vana ferunt turbis, simulant pretoribus urbis,
Fraudis adulantur verbis, quia turpia fantur.
Sepe relaxantur fatui, sine mente fugantur.
Si malus est missus, oritur cito sordis abissus.

(*) *Versi agg.*
Militis est cursus bravii per pallia rursus,
Perditur ex punctis annus tenus ordine fontis,
Et clamis et vestis sit ludis orrida pestis.
Perditur inde capa, minima re fraudibus apta
Officii cura colitur male vinea rara.

Verba notent dicta, placeat legacio scripta,
Ut bene sit grata, populis ac more notata.
Ambaxatores geminentur tunc meliores,
Exploratores, precones ante barones,
Atque viatores ibi fiant tunc leviores. (*)

Hec nova premonstro, tibi nato (1) dogmata monstro,
Gaudia pro signo sub amoris vincula signo.
Sub levitate stili tibi mando carmina, fili,
Ordine subtili studio dispone senili,
Non iuvenili corde virili cunde (2) cubili,
Nec puerili murmure vili iungis (3) ovili.
Marche, nutrimenta tibi sint hec mente retenta
Absque manu lenta, quia legum sunt documenta.
Dulcia pulmenta sunt aurea grata talenta,
Nate, representa quia regum sunt alimenta.
Cesaris in mensa quia sunt fercula densa,
Lilia grata rosa nova munera sunt speciosa
Florida famosa redolencia quam preciosa.
Ansia spumosa sileant fera labra dolosa.

Livor edax cessed (4), ne me mala lingua molestet,
Carmina si ledit, saltem post fata silebit.

(*) *Versi agg.*
Gloria virtutis et gratia larga salutis
Sint tibi non parce, Marco, cui singula parco.

---

(1) Conchiude il suo carme il poeta con un'apostrofe a Marco suo figlio e giudice, come accenna la postilla seguente, scritta in fine del codice da mano contemporanea.

(2) *Corr.* conde.

(3) Stabis *(Var. nel ms.)*.

(4) *Corr.* cesset.

Parcite primates, relevetis carmina vates;
Hic teneat metricas ancora fixa rates.
Cetera prosa ferat, que sunt moralia querat,
Mixta poetarum titulis dulcore dearum.
Carmina ter [1] mille quasi sunt monumenta Sibille,
Cristalli glacies nimio vigilata labore,
Vade per urbana splendida castra toge.
Anthyocus dictus residebat rex Fredericus
Preses et invictus frameis regionis amictus;
Dux, comes abdictus legionis marchio mixtus,
Tunc fuit hic scriptus tractatus carmine fictus,
Cui stetit hic fautor iudex generalis et actor.

Gloria fert carmen, si gratia dixerit amen,
Regia virgo tamen tueatur omen et agmen.

Explicit Orfinus Ligurum de gente latinus,
Lauda sibi patria cuius [2] in Ytalia. [3]

---

(1) *Lege* bis *(Nota nel ms.)*.
(2) *Corr.* civis.
(3) Dominus rex Federicus de Anthiochia tunc erat vicarius in ducatu Spolleti et in Marchia Ancone et in Romania, domini imperatoris filius, et tunc auctor iste erat ipsius iudex generalis, et Marcus filius ipsius iudicis erat iudex et comes comitatus Auxi, quando inceptus fuit hic liber et alium librum fecit, qui iudici actiones animi scrutatur de omnibus magiis *(Nota nel cod.)*.

Explicit liber de moribus et sapientia potestatis.

ANTONIO MINUTI

VITA

DI

MUZIO ATTENDOLO SFORZA

edita da

GIULIO PORRO LAMBERTENGHI

PREFAZIONE

La maggior parte delle Repubbliche Italiane sul finire del sec. XIV, per le intestine discordie, avevano cessato di esistere ed erano cadute sotto il giogo di piccoli principi e di tiranni che, rifuggendo dal lasciare le armi in mano alle popolazioni, che prima ingannate poi maltrattate avrebbero potuto rivolgerle contro dei loro oppressori, con ogni mezzo cercarono di spegnere quello spirito militare che aveva fatto sì mirabili prove specialmente sui campi di Legnano contro il Barbarossa. Ed erano di tal fatta riusciti nel loro intento, che vediamo Giovanni e Luchino Visconti encomiati per le *lodevoli* consuetudini da loro introdotte (1), di non chiamare il popolo sotto le armi. E Galeazzo e Barnabò Visconti nel 1356 (2) accordarono persino ai nobili il permesso di riscattarsi con denaro dall' onere della milizia. Nè solo i principi ma anche le Repubbliche, dove la libertà sopravviveva, l'onore della milizia era tanto decaduto, che quella di Firenze nel 1351 dispensava i proprii cittadini dal servizio militare, e nel contado a lei soggetto lo ragguagliava ad un tributo in denaro proporzionato ad un tanto per ciascun uomo, che prima era tenuto di fornire (3). E per supplire alle decadute milizie cittadine assoldarono anch'esse quei mercenari, di cui primi s'erano circondati i principi che credevano trovare in essi maggior sicurezza che nell'amore dei popoli soggetti al loro dominio. Inglesi, Tedeschi, Svizzeri, Francesi calarono in Italia a saccheggiare più che far guerra. Ben presto quei mercenari si diedero dei capi delle loro nazioni, e formarono quelle compagnie di ventura che infestarono per tanti anni la nostra penisola. Infausti sono i nomi del

(1) Galvanei Flammae de Gest. Azoni *R. I. S.*, T. XII, col. 1042. Quinta lex fuit quod populus ad bella non procedat, sed domi vacet suis oneribus.
(2) Antiqua ducum Mediolani decreta, pag. 21 e 22.
(3) Matteo Villani, 11, 46.

Duca Guarnieri, di Fra Monreale, del conte Lando, dell'Acuto e di altri capitani di minor conto che riempirono di rovine la nostra bella Italia, finchè destatosi nuovamente lo spirito militare nei nostri sorsero dei condottieri Italiani. Il primo che levò alto il grido del suo nome fu Alberico da Barbiano dei conti di Lugo, il quale formò una compagnia tutta di nazionali, in cui aveva deliberato che niuno che straniero fosse potesse entrare, e vuolsi persino che dai suoi soldati esigesse giuramento d'odio contro gli stranieri (1). Con questa osò egli affrontare la celebre compagnia dei Brettoni e Guaschi comandata da Giovanni Malestroit, che Papa Gregorio XI, dopo conchiusa in Francia la pace di Bretigny, rovesciò sulla infelice Italia per domare la Romagna e sottomettere Firenze. Profondo dolore e ribrezzo si prova leggendo di quali rovine, stragi e sozzure quelle masnade segnarono ogni lor passo sulla nostra terra. Roberto Cardinale di Ginevra, Legato del Papa, che minacciava i i Bolognesi di volersi lavare le mani ed i piedi nel loro sangue, nella notte del primo di febbraio del 1377, dopo aver promesso pace agli abitanti di Cesena, v'introduceva di soppiatto i Brettoni, ed ordinava il sacco e l'eccidio della misera città troppo fidente nella sua promessa. Rifugge l'animo dal raccontare quelle scene di orrore, che furon tali da muovere a pietà persino l'animo efferato dell'Acuto, che cercò salvare una parte di que' sciagurati. Oltre cinque mila furono i cadaveri trovati nei sotterranei e nei poggi della rovinata città, quando l'anno dopo il Malatesta, cui erano stati venduti gli avanzi di Cesena, volle rifabbricarla. Nel 1379 moveva verso Roma la compagnia de' Brettoni, messasi al soldo de' Cardinali scismatici che tenevano per Roberto di Ginevra, da loro creato Papa sotto il nome di Clemente VII. Il Barbiano era in Lombardia, dove Urbano VI gli mandò lettere e messi supplicandolo s'affrettasse in suo aiuto. Alberico accorse celere a Roma, dove il Papa atterrito gli consegnò colle proprie mani il vessillo della Chiesa. Il 28 d'aprile, divisi i suoi Italiani in due schiere, l'una capitanata da lui stesso, l'altra da Giovanni de' Pepoli, allo spuntare dell'alba assaliva la feroce compagnia, e la sconfisse benchè più numerosa della sua. Dopo quello splendido fatto d'armi si formarono altre compagnie Italiane sotto capi nazionali. Più tardi nelle schiere del

(1) Barelli, De Alberico VII, cognomento Magno, nota 28.

Barbiano militarono due giovani che prima stretti da fraterna amicizia, si fecero in seguito aspra e lunga guerra, e furono capi delle due scuole che da loro presero il nome di Bracceschi e di Sforzeschi. Del secondo di questi celebri condottieri offro ai cultori degli studi storici una vita scritta da un suo famigliare, il quale potè dire in molte occasioni di aver veduto quanto raccontava. Le storie contemporanee sono piene delle gesta dello Sforza. Monsignor Paolo Giovio dettò la sua biografia: ma ben dice il Litta « che, scritta senza alcun ordine, le rimane il pregio dello stile e del nome dell' autore ». Un' altra ne scrisse Leodrisio Crivelli che fu pubblicata nel vol. XIX della gran raccolta dei *R. I. S.* Opina il Muratori nella prefazione da lui appostavi che sia stata scritta verso il 1460. Questa, che ora si stampa, lo fu nel 1454, ed io quasi crederei che il Crivelli non abbia fatto altro che tradurre in gran parte la biografia del Minuti; cosa non straordinaria in quel tempo. Egli era un letterato e dettò altri lavori. Si scorge in lui la pretesa di elevarsi all'altezza degli storici classici, e perciò la lingua latina gli parve più acconcia al suo fine, e quindi, come indegni della gravità storica, ommise tutti quei dettagli che rendono tanto interessante la lettura delle antiche cronache, dettagli che abbondano nel nostro autore, il quale dopo aver esordito con una prefazione latina, che non è certo Ciceroniana, prosegue il suo racconto in volgare. Come dice benissimo il Litta « il suo stile non è certamente colto, ma il suo lavoro è ben condotto ». E giacchè ho nominato il Litta osserverò che egli nel dare la nota degli autori che scrissero degli Sforza, non ha citato la vita di Muzio Sforza del Crivelli, e neppure quella citata dal Muratori nella prefazione alla vita suddetta, e che dice stampata a Bologna nel 1523 col titolo: « *Marci Attenduli Cotignolani* Sfortiae gestorum liber primus *e vulgari in latinum conversus Petro Mattheo Caranto interprete* ad illustrissimum et invictissimum Franciscum Sfortiam ducem nonum Mediolani. Mentre poi notò l'altra opera del Caranti *Ludovici Sfortiae captivitas ad Petrum Gryptum Protonotarium. Bononiae* 1507. L'ommissione della vita di Muzio scritta da Marco Attendolo mi aveva fatto sospettare che il Muratori fosse stato tratto in errore, e l'averla inutilmente cercata in molte biblioteche, ed il non trovarla citata in nessuna bibliografia mi avevano confermato nel mio dubbio. Ma alla fine trovai vera l' asserzione del Muratori, grazie alla gentilezza del

Bibliotecario signor Viggetti che mi informò che quel libercolo, forse unico adesso, esiste inserto in una Miscellanea nella Biblioteca della R. Università di Bologna. Quanto alla vita scritta da Marco Attendolo ne esiste una copia sincrona, se pure non è l'autografo, nella Biblioteca Trivulzio. Ignoro se esistano altre copie di quest'opera.

Due sono i Codici MSS. che a mia saputa esistono dell'opera del Minuti: l'uno trovasi nella Biblioteca Trivulzio col nome dell'autore: l'altro a Parigi nella Biblioteca Imperiale. Le note cronologiche che si trovano nel primo, sul quale vien fatta questa pubblicazione, mi dispensano dal parlarne: su quello che è nella Biblioteca di Parigi giova far qualche cenno. Il Montfaucon *Bibliotheca Bibliothecarum* MSS. 11. 890 dice che nella Biblioteca di Parigi esiste un MS. in pergamena col titolo: *Compendio de' gesti di Sforza Attendolo per Ant. Placentino.* Dopo di lui il Marsand che descrisse ed illustrò i MSS. Italiani della R. Biblioteca di Parigi (Parigi, Stamperia Reale 1835), scrive che al n° 9941 di essa trovasi la vita di Francesco Sforza, *scritta da Antonio Piacentino, membr. in fol. caratteri tondi Sec. XV.* Cita in seguito il principio dell'opera, che ommetto per brevità essendo uguale a quello del Codice Trivulzio, ad eccezione del nome dell'autore che non trovasi in quello di Parigi, e dell'anno che nel Codice Trivulzio è notato come opera fatta nel 1454, in luogo del 1458 che pure trovasi poi in fine anche nel Codice Trivulzio. Il Codice Parigino termina così: « Altri gesti del Conte Francesco per altro modo si scrivono particolarmente ed ordinatamente in altre carte. *Amen. Laus tibi sit Iesu Christe. Bartholomeus Gambagnola Cremonensis scripsit mandato Magnifici Domini Marchesini Stanghe Ducalis Secretarii die* 20 *septembris* 1491 ».

Il Poggiali, Memorie letterarie di Piacenza, pag. 118, all'articolo Cornazzano Antonio Piacentino, dopo aver citato un' opera di lui col titolo: *De gestis invictissimi et illustrissimi Sfortiae Ducis Mediolani*, segue dicendo: « Un altro antico apografo di questa stessa » opera credo che sia l'esistente nella R. Biblioteca di Parigi, » N° 9941, col titolo di *Compendio de' gesti di Sforza Attendolo per* » *Antonio Placentino*, che nell'indice si qualifica *Liber egregie scriptus* » *et elegantibus picturis initio ornatus:* imperocchè non essendovi » indizio alcuno che verun Antonio Piacentino descritte abbia mai » le gesta di Sforza Attendolo di Cotignola, fondatissimo diritto » abbiamo di sospettare, anzi di credere, che il compilatore del

» catalogo dei MSS. della R. Biblioteca abbia equivocato fra Sforza
» Attendolo padre, e il Conte Francesco Sforza figliuolo di lui,
» la cui vita Antonio Cornazzano prende a particolarmente descri-
» vere nell' opera presente con incominciare appunto dalla morte
» di Sforza Attendolo . . . . . ».

Il Poggiali errò nel credere ad uno sbaglio del Montfaucon. Il Marsand errò dicendo che il Codice citato dal Montfaucon contenesse la vita di Francesco Sforza. Il Codice citato dal Montfaucon è il medesimo che fu poi descritto dal Marsand, che una volta era segnato col N° 9941, ed ora invece porta il N° 372 del Fond Italien. Esso contiene la stessa opera che sta nel Codice Trivulzio, e le lacune che uguali si trovano nei due MSS. mi fanno credere che siano stati copiati dallo stesso esemplare più antico che forse ora più non esiste, o per lo meno ignorasi dove si trovi.

Della vita dell'autore nulla ho potuto raccogliere. L'eruditissimo e cortesissimo Conte Bernardo Palastrelli, cui mi diressi per averne notizia, mi scrisse che la famiglia Minuti non trovasi fra le Piacentine. Solo risulta dal suo libro che seguiva lo Sforza, ed era da lui adoperato in alti ufficii. Il Crivelli (*R. I. S.*, T. XIX, col. 682 E) dice: *Foschinum Attendulum cum magna militum manu et Antonium Minutum spectatae virtutis questorem in urbe reliquit* . . . . . Il nostro autore riportando il medesimo fatto pone soltanto il suo nome, senza l'elogio che gli fece il Crivelli, circostanza che mi persuade anche più esser egli il vero autore di quest'opera, come si ha nel Codice Trivulzio. Sull'anteriorità della biografia del Minuti a quella del Crivelli non ho alcun dubbio. Oltre alla data 1454 che sta nel Codice Trivulzio vi è un'altra ragione che parmi assai migliore, cioè non essere presumibile che un uomo, il quale fu testimonio dei fatti da lui riferiti, volesse attingere il suo racconto ad altrui fonte, e si facesse a tradurre un lavoro altrui. Se non sarà gradita questa biografia agli amatori della pura lingua toscana del trecento, spero sarà bene accetta a quei cultori di storia patria che preferiscono un racconto improntato alla semplicità di que' tempi alle storie pomposamente narrate molti secoli dopo.

GIULIO PORRO LAMBERTENGHI.

COMPENDIO

dei gesti del magnifico et gloriosissimo signore Sforza dal tempo della sua natività fino alla morte sua compilato in vulgare per Antonio de' Minuti Placentino dell'anno MCCCCLIIII in Milano sotto lo duca Francesco Sforza duca IIII. Cap. I.

Haec omnia qui legerit nec admirari incipiat cur conscripta sunt hoc primum intelligatur volumus, non alterius rei causa scripta esse, quam quod cupiam, ita visum fuit res illas tradere memoriae quae quamquam pro singulari praestantia ac claritate sua immortalem quondam laudem prae se ferant. Negligentia tamen et vetustate periisse et penitus obsoluisse potuissent. Indignum enim sibi manifestum invidiae argumentum videbatur, hiis rebus quas forte olim perire contingeret quod quis posset auxilium *invenire* quo et vivere perpetua memoratione meruissent et posteris traditae nonnullos *illis* quibus in rebus egregie gerendis confirmare suo exemplo, alios vero ad gloriam et virtutem non mediocriter accendere possent. Haec non si forte cuipiam breviori quam opporteret oratione comprehensa videantur. Ideo satis quandam quasi diffusius, de hiis scribendi materiam illis praebuisse qui et otio et facultate in eloquenda historia praevalere censentur.

De Sfortia agendum est qui vir in primis omni virtute praeditus, omni laude dignus, quamquam forte secus fortuna tulerit mihi quidem altius principia repetenti non videtur humiliori loco natus quam sua praestantia, indoles et virtus animi et corporis singularis prae se ferebat. Nam eius maiores ex praeclara quadam familia exortos accepi, quae in oppido quodam florentissimo et opulentissimo Datiae regionis inter primates habebatur. Ex qua quosdam migrasse in Italiam constat, qui Sfortiae progenitores extiterunt. Huius mihi auctor est Robertus de Bavaria rex Romanorum qui cum Patavi versaretur una cum Burgiano tunc Norimbergensi affini suo et duce Bavariae Ludovico nepote suo, Iohanne quoque duce filio suo et principe Bologostensi fratre magni monasterii Prusiensis, et domino Francisco de Carraria caeterisque inuumeris heroibus, ad eum salutandum visendumque missus est Sfortia legatus florentinorum, quem ea tempestate, propter eius egregiam gloriam armis *partam*, Florentini copiis suis praefecerant universique exercitus sui constituerant imperatorem. Hic vero inter heroas illos adeo egregie adeo eleganter versari coepit, ut sui omnes suaeque progeniei naturae studiosissimos reddiderit praestantia indole et robore ipso corporis prudentia, liberalitate animi, magnitudine, clementia, humanitate, quae omnia in uno viro excellebant, suadere omnibus nulli dignitati, nulli rei lustrandae sese imparem esse. Qui cum quodam die regis filio donum amplissimum et splendidissimum obtulisset, regem ipsum in tantam sui admirationem et benevolentiam dixit, ut eius praeclaras laudes rex ipse praedicare studiosissime videretur, virtutemque viri et gloriam in conspectu perpetuo habere. Rex igitur ipse viro affectus coepit ab eo de eius origine perquirere: cui se ipsum ex Muzolo

filio Iohannis de Tendolis progenitum respondit. Rex vero cui nullo pacto suaderi poterat ex tenui radice immensam hanc arborem processisse, in hanc opinionem illico ductus est: virum hunc ex Tendolis oppido Datiae opulentissimo originem trahere dixit, quae palam in media heroum corona sese existimare ac procul dubio credere Sfortiam clarissimum virum praeclara quadam Tendolorum familia productum fuisse. Quod autem in Italia non in Datia natus sit huius rei causam fuisse Longofredum de Sausonia imperatorem. Qui cum iter in Italiam pararet secum principes et primates Germaniae omnes aduxisse fertur, qui ad invadendum Italiam et ad comparandam imperii lauream auxilio forent. Inter quorum primos extitit quidam frater regis Datiae imperatoris nepos qui ex Datia magnas copias coëgerat ex Tendolorum praesertim oppido, propterea que Tendolani viri et robore corporis et peritia rei militaris ceteris longe omnibus praestare censentur, eo quod perpetuum bellum cum coeteris gerentibus eorum corpora et animi in aciem instructissimi redduntur. Hi igitur cum in Italiam venissent ex hiis Sfortiae genus habitum esse: huiusque rei sese firmum argumentum et nomine patris Muzoli, quod in Datianis tendis maxime celebre habetur, in Italia vero minime et ex patris nomine et Tendolae viribus quae in Datia une sunt (1), in Italia nulle trahere dicebat rex. Adiiciebat quoque hiis rex eum et robore corporis et clara habitudine nec non et hilaritate perpetua vultus ex media Alemania ortum facile argui posse, praeterea prudentia, audacia, fide in bellis gerendis, animi magnitudine cum Germanis persimilis esset, ex Germania traxisse genus nullo pacto

(1) Così tanto nel Cod. Trivulziano che in quello della Bibl. Imperiale di Parigi.

negari posse. Haec omnia ipse rex prudentissimus adstanti corona heroum magna auctoritate disserebat. Qua ratione ductus rex ipse ex sententia omnium heroum Sfortiam ipsum in singulis suis comitatus palatini (1) pranestis donavit leone videlicet aureo in azura superficie erecto pomumque cotanum dextera branca sustentante, pulcherrimumque cimerum addidit, eumque in numero heroum suorum conscribi iussit, veluti vera corporis et animi nobilitate preditissimum. Quod si huic nostrae historiae tanti regis testificatio non sufficeret, sunt res eius preclarissime gestae, sunt victoriae innumerae, sunt dignitates supernae quas ipse tum manu tum prudentia tum beneficiis clarissimis comparavit: sunt omnia animi et corporis ornamenta quae in eo excellebant; quibus in medium latis, facile probaretur sicuti ad summum prope locum dignitatis et gloriae perveniret. Ita non solum non obscuro eum loco prodiisse, verum ex clarissima et integerrima quadam stirpe genus habuisse. Et haec namque verae laudes existunt quibus rex ipse pariter respondere probatur. Haec vera nobilitas quae virtute nititur; verum haec omnia in Sfortia ipso egregie inveniuntur; in ipso tamen quasi quodam semine nitebatur. At vero ex se ipse filium genuit in quo quidquid in patre egregium quidquid laudabile extitit profusum habetur, adeo ut si quid in patre coepisset quod ad felicitatem corporis et animi pertineret, in hoc filio expressum videatur: in rebus enim bello gestis, victoriis, audacia, peritia, prudentia, solicitudine aequasse patrem; amplitudine vero imperii certe superasse videatur. Qui etiam affinitate et coniugii claritate, praeterea caeteras virtutes forte cum patre comunes habuit, iustitiam,

(1) Così nel Cod. Trivulzio. Il Cod. Parigino ha *praversis*.

clementiam, patientiam, animi humanitatem et mansuetudinem. At vero hic plus habet quam in media acie et pugna pacem afferre potuit, adeo animo suo imperare, adeo suadere hostibus valeat. Illam vero unam neque cum patre neque cum ullo hominum communem habere crediderim, gratiam scilicet imperandi. Licet enim forte caetera virtutum semina a patre acceperat, haec una certe adeo sibi in cunabulis infusa est, cum gentes ipsae imperaret ab ipso magisque imperari coepit. Quae enim humana vel sollicitudo vel industria per se facere potest ut ultro fieri ac diversi regiminis unius voluntati se imperandos crederent. Verum in hoc uno ita omnes consentire videntur, quasi omnium imperio ipsum natura genuerit nilque ei negaverit quod vel ad ministrandum rem publicam universam, vel ad illustrandam dignitatem imperii pertinere videatur. De quo non amplius dixerim quam eius laudes et preclara gesta hac oratione, sed magno volumine comprehendenda relinquo.

Rex olim Romam dum Longofredus adiret,
Italiam venit procerum comitante caterva,
Datia quos patria quos castrum Tendole misit
(1) Questo paragrafo nella carta originale è aggiunto dopo la sottoscrizione del notaio, ed è di carattere diverso ed, a quanto parmi, posteriore, ma non di molto.

areis, ita quod non exeat de illis rozalibus et areis, nisi redire eam facerent ad lectum veterem, et quod non ducant nec dimittant illam aquam ire seu fluere per brachia decem prope stractam de Monaca quae dicitur strata, et si quis contrafecerit componat nomine penae totiens quotiens contrafecerit solidos xx terciolorum: quorum sit medietas comunis Mediolani et alia medietas sit camparii, et quod dealbatores fustaneorum non possint trahere nec derivare illam aquam de lecto nisi quando habent fustaneos vel tellas in area vel prato: et si contrafecerint, camparius possit eos accuxare omni vice qua contrafecerunt. Et potestas teneatur eis auferre omni vice qua contrafecerunt sol. xx terciolorum pro quolibet, quorum sit medietas comunis Mediolani et alia camparii illius aquae.

Item dictum est de voluntate praedictorum statuentium quod praedicta omnia statuta jam facta et alia quae de caetero fierent omnia intelligantur facta sub hac forma, scilicet salvis praeceptis comunis Mediolani et rectorum et assessorum eius et consulatus, et statutis comunis Mediolani et ordinamentis et consuetudinibus praesentibus et futuris: ita quod praedictis servatis ultra illa praedicta statuta et ordinamenta locum habeant et alia quae fierent praedicta occaxione.

Ego Johannes de Socho notarius palatii comunis Mediolani jussu D.ni Nicholai de Melonibus judicis et assessoris D.ni Gandalioni de Dovera potestatis Mediolani firmavi et subscripsi hoc ordinamentum et statuta, salvis praeceptis praedicti potestatis et assessorum suorum et salvis statutis et consuetudinibus comunis Mediolani factis et quae de caetero fierent ut supra dictum est.

CHRONICON EXTRAVAGANS

ET

CHRONICON MAIUS

AUCTORE

GALVANEO FLAMMA

ORD. PRAEDICATORUM

SCRIPTORE MEDIOLANENSI

AB

ANTONIO CERVTI

NUNC PRIMUM EDITA.

Fra i più indefessi scrittori milanesi dei tempi di mezzo va meritamente annoverato Galvagno Fiamma, nato verso il 1283 da nobile e ricca famiglia, assai caro ai Visconti e loro ammiratore. Professò l'ordine dei frati predicatori nel monastero di S. Eustorgio in Milano, dove forse visse il più de' suoi giorni. Di lui l'Argelati enumera ben quindici scritti di vario argomento, e la fama della sua erudizione gli procurò, secondo che afferma il Piccinelli (1), le cattedre di S. Teologia, di Diritto canonico e di Medicina nell'Università di Pavia, cui tenne con non comune plauso de' numerosi suoi uditori, e quella di Filosofia morale nel suo cenobio, e visse caro a quanti era nota la virtù e la scienza sua, sin presso il 1344. De' suoi lavori conosciuti la maggior parte versa sulla storia milanese, narrata in cronache, di cui egli è l'eco fedele, sebben sovente manchevoli e non immuni da leggende favolose, nè acconsentite da una critica sagace e prudente, come per seguire il mal vezzo di que' tempi e per mancanza di fonti veridiche, accadde pressochè a tutti i vecchi cronisti, costretti ad attingere le notizie storiche a scrittori di dubbia fede ed alla credula tradizione popolare, che troppo si compiace del meraviglioso e di quanto a ragione o a torto crede ridondare a lustro del luogo natìo. E veramente fu costume del Fiamma raccogliere le sue narrazioni da istorie anteriori da lui sovente citate, pel che non gli fu agevole evitare i difetti che in esse si riscontrano, e forse ne derivò una

(1) *Ateneo de' Letterati milan.* p. 239.

certa varietà di stile, favorita altresì dal contemporaneo accudire del buon frate ad intervalli a più lavori, ciò che sembra fosse a lui famigliare. Ma se a quell'indefesso scrittore non può aggiustarsi intera fede nella parte antica della storia da lui raccontata, nelle cose però de' suoi tempi, benchè qualche errore inevitabilmente vi si trovi, e frequenti sieno le ripetizioni e le discordanze, tante sono e interessanti e minute le notizie da lui tramandateci, che non possiamo non avere in gran pregio i suoi libri.

Due sole Cronache di lui pubblicò l'illustre Muratori (1), omettendone altre, che si leggono in un voluminoso codice membranaceo in foglio a due colonne della Biblioteca Ambrosiana, scritto dal milanese Pietro Ghioldi nel sec. XV, perchè a suo giudizio, di minore importanza, quali la *Chronica extravagans,* il *Chronicon maius* dedicata ad Azzone Visconti e condotta fino all'anno 1216, e la *Politia novella.* Per altro quell'instancabile erudito avea troppa abbondanza di svariati materiali e di cronache inedite con cui arricchire que' tanti suoi dotti volumi, da dover scegliere in quella quasi vergine selva di ricchezze letterarie da lui usufruttata pel primo, solo il fiore eletto di quel vastissimo emporio di scelta erudizione. Tranne la *Politia novella*, ove si narrano le antiche ma favolose origini di Milano, l'altre due contengono notizie accuratamente narrate intorno all'antichità ed ai fasti milanesi, che sebbene frammiste a racconti ribelli a severa critica, e deturpate dagli errori che v'innestò l'ignoranza o la trascuratezza de' copisti, pure ci porgono antiche memorie che, per sentenza dello stesso Muratori, invano si cercherebbero in altri scritti di tal natura, e che tornano a non piccolo vantaggio delle lettere nostre; sicchè quei due lavori, come gli altri tutti di quel cronista imparziale ed accurato, ad onta de' lor difetti, han diritto di ottenere dagli eruditi riconoscente accoglienza, ragion fatta altresì degli infiniti ostacoli incontrati da chi imprese in quei rozzi tempi a tessere la storia antica, e degli sforzi sostenuti per tramandarci attraverso le tenebre medievali, salvandole dalla dimenticanza, i fasti dell'antichità.

Io mi proposi di rendere di pubblica ragione quelle due Cronache, tenue manipolo raccolto nella spigolatura, sceverandone,

(1) *Opusculum de rebus gestis ab Azone Vicecomite* nei *R. I. S.* tom. XI, e *Manipulus Florum* in op. cit. tom. XII.

ov'è agevole, quanto sa di più indubbiamente leggendario e favoloso, e dalla *Cronaca maggiore* anche la parte anteriore all'invasione longobardica e ciò che è estraneo a noi, onde limitarne la troppa sua estensione. Valgami il buon volere, con che tentai di aggiungere una modesta pietra ai monumenti di storia italiana e specialmente milanese, che l'età nostra anche frammezzo al turbinìo ed ai disagi presenti va con amore e fatica raccogliendo.

Milano, nel giugno 1868.

ANT. CERUTI.

GALVANEI FLAMMÆ

ORDINIS PRÆDICATORUM

CHRONICON EXTRAVAGANS

DE ANTIQUITATIBUS MEDIOLANI

Incipit Cronica Extravagans subalternata cronice galvagnine, quam edidit sive disputando determinavit ipse frater Galvagneus, de Antiquitatibus civitatis mediolanensis.

Sicut rethoris est persuadere, et philosophi per causam demonstrare, ita ystoriographi est dicta chronicarum simplici stillo contexere. Sed quia in cronicis multe insurgunt contrarietates, et diversi diversa de eadem ystoria conscripserunt; ideo ego frater Galvagneus de la Flama ordinis predicatorum, sacre theologie lector, qui magnam chronicam scripsi de actibus civitatis Mediolani, ubi multi michi contradicere incipiunt, aliquas questiones disputare proposui, ut emuli mei et veritatis inimici videant clare, quod illud quod scripsi de laudibus urbis Mediolani, totum ex libris autenticis est exaratum; in hoc philosophi magis quam hystoriographi modum ymitatus, quia probo per causas, quod simpliciter in alia cronica est conscriptum; et vocabitur iste liber Cronica extravagans, et sic allegabitur in aliis libris.

De aquis, fluminibus et lacubus.

Secundum Palladium in libro de agricultura, aquarum puritas atenditur quod non transeat. per loca metallica vel paludosa, quia cum sit mollis et humida, de facili inficitur, sed oportet quod sit coloris perspicui, nullo odore aut sapore vitiata. Eodem modo est aquis nostris; cum enim facto fossato, statim aque erumpunt viventes... Sunt in tanta copia quod in sola civitate ultra v̄i puteorum aquarum viventium, item in una sola villa dicta Barrigium in distantia ab urbe viii miliario reperiantur xxvii capita fontium currentium. Et ut de aquis veritas innotescat et aliqualiter videatur, sunt in nostro territorio lacus vivi xvii, flumina currentia sexaginta, rivuli innumerabiles, et quamplurima flumina. Nomina lacuum et fluminum sunt hec:

Lacus maior
Duo lacus de Blandrono
Lacus de Bobiate
Lacus de Galliate
Lacus de Sartirana
Lacus de Caprizate
Lacus de Luano
Lacus de Canobio
Lacus de Monteorphano
Lacus de Conserrio
Lacus de Puciliano
Lacus de Mairaga
Duo lacus de Anono
Lacus de sancta Brigida
Lacus de Serego
Lacus de Mandello
Lacus de Leuco.

FLUMINA.

Flumen Tycinus
Flumen Abdua
Flumen Lamber
Flumen Lambri merde
Flumen Sperzolla
Flumen Scellera sive Muzia
Flumen Andamen
Flumen Barona
Flumen Muluca sive Morgula
Flumen Coironus

Flumen Bevera
Flumen de Cantono
Flumen de Setirana
Flumen de sancto Mutio
Flumen de Lisigollo
Fons latus
Fluvius de Conserrio
Fluvius Abdua nova
Fluvius Luyra
Fluvius Sevixius
Fluvius de Caravazio
Fluvius Tronus
Fluvius Nero
Fluvius Victabia
Fluvius Restochanus
Fluvius Orona
Fluvius Olonella
Fluvius Refrigidus
Fluvius Refrigetus
Fluvius Mischa
Fluvius Conscilii majoris
Fluvius vallis de Megiano
Fluvius Tycinellus
Fossatum civitatis
Fluvius Arnus
Fluvius Marogia
Fluvius Strona
Fluvius Ontia
Fluvius de Trevedona
Fluvius de Gaminella
Fluvius vallis de Zemonio
Fluvius vallis de Cuvio
Fluvius de Anasca
Fluvius Tressa
Fluvius de Travallia
Fluvius vallis de Mercuriolo
Fluvius de Vallasca
Fluvius de Lischa
Fluvius de Brana
Fluvius de Cunasino
Fluvius de Senaqua
Fluvius de Anza
Fluvius de Bencha
Fluvius de Barasio
Fluvius de Scayrana.

Isti sunt lacus et flumina nostri comitatus, aque siquidem non paludose, non turbide, ymo clarissime currentes, ubi conducuntur ultra tria milia rote molendinorum, ubi generantur pisces optimi et cancri in mirabili copia; unde dicit cronica Bonvesini, quod omni die portantur ad civitatem ex nostris fluminibus et lacubus, computatis diebus solempnibus cum ferialibus, quatuor summe sive equorum pondera piscium grossorum recentium, et plures quatuor sextariis minutorum. Quid dicam de cancris?

Dicit Bonvesinus in cronica, quod veritate dilligenter ab ipsis piscatoribus examinata, est inventum quod a festo carnisprivii usque ad festum sancti Martini plures septem modiis cancrorum omni die in hac civitate comeduntur.

De portubus civitatis.

Civitas Mediolani habet unum portum per Tycinellum usque ad civitatem, per quam deportantur vinum, ligna et huiusmodi. Item habet alium portum, scilicet flumen Tycini in distantia unius parve diete, et faciliter posset fieri portus de mari Venetiarum usque ad civitatem; nec indiget portu ista civitas, in qua nascuntur omnia necessaria ad vitam.

De mercatoribus et eorum utilitatibus.

Civitas sic est situata, quod per mercatores possit inferri quod deficit, et extra aportari quod superfluit. De mercatoribus exportantibus quod superest urbi Mediolani primo dicendum evenit, et plura numero. Inter alia sunt armature militares; inveniuntur enim in nostro territorio armorum fabricatores in mirabili copia, qui cottidie fabricant cuiuscumque generis armaturas, scilicet loricas, thoraces, lamerias, galeas, galerias, cervelleras, collarias, cyrothecas, tybialia, femoralia, genualia, lanceas, pilla, henses, pugiones, clavas, et sunt omnia ex ferro terso et polito, speculorum claritatem excedentes. Soli enim fabri loricarum sunt plures centum, exceptis innumerabilibus subiectis operariis, qui macularum mirabili artificio cottidie insistunt. Sunt scutarii clipeos fabricantes et arma in numero indicibili. Mirum est videre nostros milites super maximos destrarios a planta pedis usque

ad verticem armorum fulgore coruscantes, dextrarios falleratos tumultuantes, sonaclorum strepitu perstrepentes, hostibus timorem incutientes et generis nobilitatem declarantes. Additur insuper clangor tubarum terribilis, cui non est alter in toto mundo a nobis auditus consimilis. Ista omnia armaturarum genera hec civitas ceteris Ytalie civitatibus comunicat, ymo etiam ad Tartaros et Sarracenos per mercatores maritimos deferuntur.

Secundum quod per mercatores habundamus, est equorum magnorum multitudo admirabilis; sunt enim apud nos equi magni sive destrarii pulcriores et maiores aliis destrariis mundi, qui venduntur in duobus diebus cuiuslibet septimane, et venditur interdum unus equus VIII centum florenis, qui Parisiis venditur plus mille florenis. Istorum autem equorum numerus poterit scieri ex senechalcorum numero, qui equis soleas figunt ferreas, qui inventi sunt LXXX numero, per quod notatur equorum copia et equitum. Selle equorum fabricantur cohoperte aut serico aut argento aut corio nobili. Calcaria, frena interdum deaurata in maxima copia. Fallere equorum sunt ut lorice, et in capite portant nostri equi mirabilia ornamenta, pectoralibus aduntur sonaclia ex auricalco, equorum auditui dulcisona. Ex magistrorum sonaclorum numero sciri potest numerus magnorum equorum, qui sunt XXX numero. Hos tam mirabiles equos mercatores nostri conducunt in Franziam et ad diversas partes ultra montes.

Tertium quod habundamus propter industriam nostrorum mercatorum, est pannorum copia; ipsi enim mercatores discurrunt per Franciam, Flandriam, Angliam ementes lanam subtilem, ex qua in hac civitate texuntur panni subtiles nobiles in maxima quantitate, qui tinguntur omni genere tincture, qui per totam Ytaliam deferuntur.

Portant etiam nostri mercatores de partibus ultramontanis pannos scarlatinos et pannorum maneries universas; item hermelinas fodraturas et variorum; item zendalia et pannos velutos et nachorum auro purissimo textorum, ex quibus habunde refunditur cunctis civitatibus Ytalie. Fiunt etiam panni grossiores et telle lini candidissime, que etiam usque ad Tartaros deportantur. Item panni bombacis, sirici, credonum, pelliperiorum, quorum numerus, si scriberetur, esset incredibilis.

Quartum quo habundamus per mercatores, est omne genus aromaticum. Ipsi enim discurrunt per aquam et per terram ad civitates maritimas, scilicet Ianuam et Venetias, et inde afferunt piper, zinziber, zuchara et omne genus aromatum, ex quibus fiunt confectiones mirabiles deauratas in mirabili copia. Et ut de ceteris aromatibus pertranseamus, profecto est inventum, quod in sola civitate Mediolani plus expenditur de pipere quam in duabus civitatibus simul, que sint citra mare.

Quintum quo habundamus per mercatores, est diversorum liquorum adventatio, ut oleum olivarum, vinum de vernazia, vinum de malvasia, de creta, et multis aliis generibus vini. Apportant etiam pisses salsos de riperia Padi, scilicet tingas, lucios, anguillas, tuninam et plura alia genera pissium in tanta quantitate, quod postea toti provincie habundanter refundimus. Portant etiam de partibus maritimis pannos de auro, de sirico, ut supra dictum est.

De situ civitatis.

Primo dicitur fortis per naturam, quia naturaliter est duobus magnis fluminibus a dextris et a sinistris communita, quorum quilibet distat a civitate per xx miliaria in equali distantia, ideo dicitur Mediolanum, sive Medio-amnium,

quasi media lance sive statera inter amnes situatum. Secundo dicitur fortis per artem simul et per naturam, eo quod in margine suprascriptorum fluminum sunt castra fortissima cum pontibus et portibus, que prohibent hostibus ne possint ad nos transire, et nos faciliter possumus ad circumstantes civitates convolare. Castra que super Abduam fundata sunt, his nominibus cognominantur, scilicet Leucum cum ponte, Tritium cum castro et portu, Vaprium cum castro et ponte, Casanum cum ponte et castro. Super Ticinum sunt Casteletum, Abyate, pons de Vigievano et plura alia. Versus Papiam non comunivit nos natura, quia flumine a nobis non dividitur, sed per artem sic, quia sunt intermedio vallo Ozinum, Morimundum, Setezanum et Binascum. Versus Laude fluvius Lamber nos dividit, ubi habemus castrum de Melegniano cum ponte. Versus Cumas natura nos dividit montibus, et per artem Mons Orphanus cum Canturio. Tertio civitas nostra fortis redditur per naturam fossato et muris duobus per artem. Murus exterior habet in circuitu x̄.xli cubitos; est autem cubitus mensura duorum pedum magni viri; hunc murum construi fecit Emanuel imperator constantinopolitanus, murum interiorem erigi iussit Azo Vicecomes quantum ad circulum cum c turribus, cuius ambitus est x̄.xlv brachiorum; portas civitatis cum turribus incompletis fecit Emanuel imperator constantinopolitanus supradictus. Inter murum exteriorem et interiorem sunt xxx brachia, et ista distantia dicitur fossatum admirande pulcritudinis et latitudinis, continens non paludem aut stagnum, sed aquam vivam scaturientem, piscibus et cancris fertilem. Porte civitatis sunt fortissime, quia quelibet habet tres portas. Hic dicit cronica Bonvesini: perambulentur universe mundi civitates, et vix aliquis inveniet tanti tamque mirabilis pulcritudinis opus. Quarto civitas fortis redditur curia comuni sive broleto.

Quid sit broletum cum sex portis et palatiis et turri.

Broletum est edifitium quadrum alto muro circumdatum in medio civitatis fundatum, cuius plana superfities habet circa decem perticas. Est enim ab oriente versus occasum habens cxxx cubitos, ab aquilone versus meridiem habet cxxxvi cubitos; est autem cubitus, ut supra dictum est, mensura duorum pedum magni viri. In circuitu muri sunt sex porte. Prima dicitur porta vercellina, sive porta sancti Michaelis ad gallum, adiacente ecclexia eiusdem nominis, super cuius campanile est gallus aureus. Secunda porta dicitur porta cumana, sive porta curie ducis, quia ad curiam ducis directe aspicit. Tertia dicitur porta nova, sive porta ferrea, ab armaturis ferreis que ibi fabricantur. Quarta dicitur porta orientalis, sive porta sancti Ambrexii, quia sub capella sancti Ambroxii situatur; dicitur etiam porta piscium, quia ibi sunt nundine piscium (1). Quinta dicitur porta romana, sive porta

(1) Questo mercato di pesci ci viene attestato da un testamento del 20 dicembre 1197, pel quale Amizone prete della chiesa di s. Tecla dispone « ut statim post meum obitum habeat ipsa ecclesia seu canonica s. Teglae seu prebendarii ipsius ecclesiae, qui modo sunt et qui pro tempore erunt, illud banchum quod habeo ex meo patrimonio subtus piscariam, et quod tenetur per Orivettum et fratrem ibi ubi pisces venduntur etc. ». Nel 1177 Passaguerra giudice e console dei mercanti di Milano pronunziò una sentenza in *pescaria Mediolani*. Le antiche Consuetudini milanesi compilate nel 1216 fan cenno *mensurae petrae de pischaria*, a cui doveano esser conformi le misure da usarsi nel commercio. Il Fumagalli dice che a' suoi giorni una rozza e trascurata pietra, in cui erano scolpite tre differenti misure, stava per terra innanzi all'ufficio dei Panigaroli in Piazza dei Mercanti, e dubitava che in quella pietra vi fossero appunto i modelli delle misure prescritte. Ora essa non esiste più. In un'altra carta dell'8 gennaio 1213 leggesi che Alraldo da Segrate vende ad Ugone detto Preallone arciprete dei decumani e primicerio della chiesa milanese « stallum unum sive banchum unum, quod est subter Pescariam suprascriptae civitatis pro pretio argen. den. bon. imperial. libras novem minus sol. quinque ». Aggiungo il Fiamma: « Reaedificata civitate, mensurae publicae sculptae in marmore positae sunt in piscaria » (*Cron. mai.*).

potestatis, quia adiacet introitui ad palatium potestatis. Sexta porta dicitur porta tycinensis, que est clausa. In medio per traversum est palatium magnum valde. In parte orientali est palatium longum, quantum se extendit quadratura muri; ibi sunt sale, camere, atria pro persona potestatis et familie; ibi est capela s. Ambroxii. A septentrione est aliud palatium longum secundum longitudinem quadrature muri broleti. Ab occidente est aliud palatium eiusdem longitudinis. A meridie est aliud atrium; ibi est lobia marmorea, que attingit usque ad portam sancti Michaelis ad gallum; ibi subtus sunt campsorum tabernacula plurima. In broleto est turris alta, ubi sunt quatuor campane; qui autem potest has campanas pulsare ad libitum et broleti dominium optinere, faciliter totius urbis dominium habebit. Posset autem istud broletum dici castrum civitatis.

De broleto veteri.

In alia parte civitatis est alia curia comunis, que dicitur broletum vetus (1); et ista curia tempore Turrianorum

(1) Oltre al broletto il Fiamma nella Cronaca maggiore asserisce anche l'esistenza del brolo: « tunc temporis prope murum civitatis consitum fuit pomerium, quod dicitur brolium, ex omni genere arborum et fructuum in tanta densitate, quod nemoris densitatem incurreret, ubi nulli personae nec habitare nec arare licitum fuit; in medio fuit fons vivus....... In processu temporis parvum pomerium constructum fuit, quod diminutione per respectum ad brolium magnum dictum fuit broletum etc. In latere ergasterii erat pomerium sive brolium in loco, ubi usque nunc dicitur brolium. Ex adverso erat broletum etc. ».

Altreve afferma che « parvum pomerium sive broletum idest parvum brolium deabus Furiarum consecratur, de quibus Titus Livius clare fecit mentionem, dicens quod consuetudo tuschorum regum fuit, quod extra murum civitatis tangens murum constituebant unum hedificium rotundum altissimis muris circumseptum arboribus fructiferis in tanta densitate insitum, quod ibi generabatur quaedam obscuritas. In isto loco non erat

anno Domini .... fuit tribus palatiis communita per talem modum, quod cum ecclesia maiori fatiebat claustrum quadratum. Ab oriente erat porta versus verzarium, in quo scilicet verzario erat forum victualium; et versus occidens erat alia porta versus arengum, ubi erat forum vestimentorum. In broleti palatio maiori habitabat potestas civitatis cum sua familia. In latere ecclexie maioris erat collegium iudicum et sedes tabelionum. Translato broleto veteri, Matheus Vicecomes emptis ab illis de la Flamma eorum domibus, a tergo palatii maioris erexit aliud palatium cum turri magna. Deinde Azo Vicecomes emptis *(domibus)* ab illis de Arengo et de Paganis et de Concoritio, totum illud spatium miro modo decorum rediit; ibi sunt palatia pulcra nimis cum turri fortissima, ibi sunt camere, sale, deambulatoria mirabilia, ubi currunt duo fontes limpidissimi, ibi est capella regalis cum sacristia ornata excelentissimis reliquiis, paramentis, vasis, calicibus; ibi est iuxta capellam campanille rotundum venustatis nimic. Si quis autem vellet per singula distinguere opera istius hedifitii, que fecit Azo Vicecomes et facturus est, opus esset spetiali libro. Sunt etiam in civitate plura palatia, ecclexie et turres, que sunt ad magnum robur civitatis et magnum decorem. De his novis hedifitiis aliqui versus habentur:

licitum alicui habitare vel arare vel quodcumque opus facere. Ibi erat fons, super quem sacerdotes suas faciebant incantationes, et dicebatur iste locus pomerium sive brolium... Et recte si quis bene consideret dispositionem civitatis veteris, brolium erat extra civitatem iuxta murum, et broletum erat intra civitatem quasi contingens murum civitatis » (*Polit. nov.* cap. 33). « Iuxta murum civitatis interius erat aliud hedifitium rotundum arboribus fructiferis plenum simile primo (al brolo) sed parvum, et dicebatur pomerium parvum sive broletum idest parvum brolium. Et ad istum locum conveniebat regina cum filiabus et uxoribus principum, ubi flamines et augures et alii nigromantici conveniebant et phantastico spiritu praedicebant » (*Polit. nov.* cap. 34).

Tribus pro muris cingitur Metropolis altis,
Lapideis castris, lynphis fortissima nimis.
Ars munita muris centro subrigitur urbis
Soldano carris laurus tutissima bellis:
Broletis binis vetus novatur ab ymis,
Excedit meniis faustis in coclea fanis,
Distinctis horis onager miratur in illis;
Caupo fabrilis, sacer acus, gloria cinis
Proditur Chirub allis ymbres aut climata lacus etc.

De muro civitatis.

Civitas ista aliquando fuit maior quam modo sit, aliquando minor. Dicit enim cronica Datii, quod ista civitas habuit in circuitu murum, cuius latitudo fuit XXIIII pedum viri magni illius temporis; qui faciunt ultra XXX pedes magni viri istius temporis. Altitudo habuit LXXIIII pedes, qui fatiunt plus quam LXXX istius temporis (1). In circuitu muri erant CCCX turres rotonde. Ex his possumus arguere de magnitudine muri, et grossitie muri et turrium et ipsarum distantia. Facta solerti computatione, murus in circuitu habuit $\overline{\text{XX}}$.CCC.XX cubitos, et satis plus, habita conscideratione pedum istius temporis ad pedes illius; unde convenienter computatur quod habuit $\overline{\text{XXX}}$ cubitos. Est autem cubitus mensura duorum pedum viri magni istius temporis; ergo fuit in triplo maior quam sit modo.

(1) Altrove dice il Fiamma (*Chron. mai.*): « habetur ex chronica Leucipi, (Marcellus) murum urbi circumdedit, qui habuit in grossitie XXIV pedes qui faciunt XXX pedes istius temporis. Eius altitudo fuit LXXIV pedum, qui faciunt LXXX pedes istius temporis. In circuitu muri erant CCCLXV turres in circuitu muri grandi opere erexerunt, et super sex portas civitatis domicilia altissima rotunda fabricaverunt, et ante portalia triangularia altissima ante portas fundaverunt atque compleverunt, que hostibus barbaris quasi natura communita introytum denegabant ». Su questo argomento V. la nota « Sulle antiche mura milanesi di Massimiano » in fine di queste Cronache.

Cum autem nunc habeat in circuitu tria miliaria, sequitur quod tunc habuit novem miliaria. In cronicis legitur quod Nero adhuc Cesar et nundum imperator murum civitatis ampliavit, et flumen ad civitatem traxit, quod ex suo nomine flumen Neronis apellavit. Et de Maximiano cive mediolanensi imperatore scribitur, quod inter alia plura hedifitia que fecit, murum civitatis quamplurimum ampliavit. Stante ergo primo muro circumdata fuerunt civitati duo alia promuralia; et fuit ultimum promurale, ut scribitur in cronicis, habens in suo circuitu xv miliaria et plus. Hoc etiam probatur ex magnitudine hedifitiorum contentorum in ista civitate. Tunc temporis fuerunt hedifitia publica permaxima et plura numero in hac urbe, sicut habetur ex hystoria beati Barnabe, scilicet capitolium, theatrum, arenam, amphyteatrum, yporomum circi, aumatium, compitum, verzarium, ergasterium et spectaculum. Item fuerunt templa ydolorum permaxima, item palatia imperialia cum termis, item hedifitia apta sedibus imperialibus. Insuper erant domus familiares nobilium et popularium. Ex his expresse colligitur, quod fuit maxima in ambitu, quia hedifitia publica occupassent spatium unius civitatis, exceptis aliis hedifitiis. Hoc etiam probatur ratione quod totum et pars, continens et contentum debent esse proportionata; sed archus triumphalis, ut dicit cronica Campana, habuit in longitudine tunc temporis ultra duo miliaria, nec umquam fuit per romanos in toto mundo fabricatus tam magnus archus. Si ergo pars debet proportionari suo toto, et archus, qui pars est civitatis, fuit permaximus, ergo civitas tunc temporis fuit permaxima.......

Atilla rex hynorum supradictas munitiones destruxit, et pluribus vicibus destructa fuit et rehedificata, de quibus nichil legitur de quantitate muri. Hoc legitur quod

tempore quo Lanzo de la Curte dominus populi fuit, quod ista civitas dum obsideretur per partem nobilium, habuit murum altissimum; et super sex portas civitatis erant sex domicilia imperialia; ante quamlibet portam erat una turris triangularis in distantia iactus lapidis. Inter portam et turrim erant muri altrinsecus altissimi, ita quod civitas videretur munita potius a natura quam ab arte. Et in tantum duravit obsidio, quod nichil habuit ad comedendum, nisi quantum intra muros civitatis agri dabant panem et vinee vinum. Ex quo expresse colligitur, quod circuitus civitatis erat permaximus, dum sufficerent agri et vinee tantum pascere populum, precipue quia ibi erant palatia ecclexie et domus familiares. Tempore quo Federicus primus dictus Barbarubea hanc civitatem destruxit, dicit cronica Bonacursi, quod murus fuit valde altus, in cuius circuitu erant centum turres; quod autem murus esset valde parvus, patet ex cloacharum situ, que in muris infixe erant. Postea facti sunt duo muri, de quibus supra dictum est.

De Archiepiscopis Mediolani et de Federico Barbarubea.

Omissis illis que facta sunt ante Christi nativitatem, quia tunc de factis ecclexie non erat mentio, statim post Christi ascensionem beatus Barnabas predicavit civitatem mediolanensem; quid autem iniuriarum et persecutionum sustinuerint sancti archiepiscopi a populo mediolanensi, cronica Bonvesini in medium aducatur, ubi dicitur quod beatus Gayus archiepiscopus mediolanensis fuit pro fide Christi exul factus extra civitatem. Beatus Kalimerius similiter, et Maternus, Dionisius et beatus Ambroxius; et ut de presentibus loquamur, in memoria hominum nullus archiepiscopus fuit, qui non fuerit per cives de

Mediolano exulatus; verbi gratia frater Leo de Perego ordinis fratrum minorum fuit exul et in exilio mortuus in Legniano; Otto archiepiscopus ex Vicecomitibus fuit exul XVII annis; Rufinus Luchanus morte preventus nunquam pervenit ad suam sedem; Francischus Parmensis exul factus pluribus vicibus, mortuus est in castro de Angleria. Castonus de la Turre captus exulatus mortuus est in Florentia, iam factus aquilegiensis patriarcha. Frater Aycardus exul fere XX annis fuit, cuius exitum ignoramus. Ex his clare videtur, quod populus mediolanensis non fuerit multum ecclexie devotus.

De hiis que fecerunt cives de Mediolano in obprobrium pape et ecclexie universalis dicamus, et primo de Federico Barbarubea; ipse enim fuit iuste et recte ellectus in regem romanorum et per papam confirmatus et verus ecclexie filius. Ex tunc potuit omnes actus regales exercere, et ad ipsum spectabat rectores et vicarios in civitatibus et castris Ytalie ponere; super totam Ytaliam habuit merum dominium cum alta iustitia, et in omni civitate habuit introitum liberum, potuit imperialia tributa pro preteritis temporibus exigere. Unde quecumque civitas, que prohybet imperatori introitum, facit contra iustitiam, vel si petit pacta aut denegat censum, vel non recipit ejus nuntios vel rectores, talis civitas comittit crimen lese majestatis. Modo videamus quomodo cives de Mediolano ista servaverunt. Quia imperator statim post suam ellectionem in Constantia concilium convocavit; mediolanensibus clementer scripsit, ut ab iniuriis civitatis abstinerent, et quod pacifice viverent. Cives de Mediolano verberaverunt nuntios imperatoris, verba et litteras despexerunt, quod factum vulneravit cor imperatoris. Deinde imperator intravit Ytaliam et venit Mediolanum, sed portas civitatis clausas invenit, nec aliquo modo intrare

potuit; atamen extra civitatem fuit coronatus; et propter tales iniurias et iniustitias imperator habuit iustum bellum. Ex tunc incipit guerra; tandem imperator per papam Adrianum fuit iuste et recte coronatus. Interim cives de Mediolano in obprobrium imperatoris civitatem papiensem fidelitatem fecerunt iurare comunitati mediolanensi; civitatem laudensem iam dudum in quatuor suburbia redactam totaliter destruxerunt. Tunc papa Adrianus amicus spetialis imperatoris misit duos legatos Mediolanum, scilicet Ardizinum de Rivoltella et Ottonem de Brixia, ut concordarent cives de Mediolano cum imperatore, sed cives de Mediolano verba pape despexerunt, sicut et verba imperatoris despicere consueverant. Finaliter imperator cepit obsidere civitatem nostram. Interim papa Adrianus moritur, et Alexander papa subrogatur. Incidenter papa Alexander turbatus est contra imperatorem, qui fugit in Franchiam, et multas litteras scripsit mediolanensibus, quod fortiter pugnarent contra imperatorem, et potius elligebat mori quam civitatem mediolanensem deserere. Ex tunc cives de Mediolano cum papa convenerunt in uno volito. Si quis dilligenter consciderat, istud non fuit pugnare pro ecclexia, ymo fuit pugnare pro factis propriis.

Deinde Otto quartus fuit factus imperator, et statim fuit hostis ecclexie excomunicatus et depositus, quem mediolanenses dillexerunt sicut animam suam. Contra istum Ottonem tyrampnum papa misit Federicum secundum; mediolanenses semper pugnabant in servitium Ottonis contra papam et imperatorem, unde civitas fuit interdicta; unde Federicus factus est hostis mortalis contra mediolanenses. Accidit quod imperator turbatus est contra papam; ex hoc papa factus est amicus mediolanensium contra imperatorem; certe istud non

fuit pugnare pro ecclexia, ymo pro factis suis. Eodem modo fuit istis temporibus, quia Lodovicus Bavarie quondam rex et imperii usurpator hostis ecclesie manifestus intravit nostram civitatem, ubi fuit coronatus in vituperium et despectum ecclexie, et pugnabant mediolanenses pro eo contra ecclexiam manifeste et totis viribus.

In processu temporis orta fuit turbatio inter mediolanenses et Lodovicum supradictum, et pugnabant contra eum in quocumque loco. Tunc papa et mediolanenses convenerunt in uno volito contra Lodovicum. Sed hoc non fuit pugnare pro ecclexia sed pro factis propriis. Ex his manifeste apparet quod civitas mediolanensis numquam fuit destructa nec aliquam iacturam passa in servitium ecclexie, ymo intulit ecclexie plus de vituperio quam de honore. Si quis bene consciderarent, ista civitas ita modicum servivit imperio sicut et ecclexie. Hic excipitur honor exhibitus Henrico quinto et Henrico sexto; similiter excipiuntur archiepiscopi, qui imperium honoraverunt.

Heresiarche maiores mundi vocati sunt ad dominium civitatis mediolanensis.

Si quid dicetur de hiis, que facta sunt nuper contra ecclexiam, primo dum ista civitas esset integra, factus fuit dominus istius civitatis Manfredus marchio Lanzia vir hereticus et hostis ecclexie publicus, qui fuit avunculus regis Manfredi, si debuit dici rex. Secundo pars nobilium de Mediolano prefecit sibi in capud illius partis dominum Yzillinum de Romano dyocesis vicentine, qui erat unus hereticus nigromanticus per incubum genitus, crudelior homo mundi et peyor, contra quem ecclexia fecerat predicari crucem. Tertio Turriani fecerunt dominum

civitatis istius Ubertum Pelavicinum, qui fuit hereticus excomunicatus et hostis ecclexie manifestus, contra quem ecclexia fecerat crucem predicari. Quarto Vicecomites vocaverunt ad dominium civitatis Lodovicum Baverie, qui erat excomunicatus et hostis ecclexie publicus, contra quem ecclexia fecit crucem predicari. Item Conradinus hostis ecclexie transivit Lambrum, et Turriani potuissent optime contradicere, et non curaverunt, ex quo secutum est tam grave scandalum in ecclexia. Ex his omnibus expresse concluditur, quod civitas mediolanensis nunquam fovit ecclexiam, sed laceravit ut novercam.

De hedifitiis.

Nunc restat determinandum de delitiis hedifitiorum (1), quorum quatuor sunt genera, quia aliqua hedifitia dicuntur regalia, ubi habitant reges et principes cum suis familiis; aliqua dicuntur hedifitia publica, in quibus fiunt actus pertinentes ad comunitatem, sicut broletum et brolium. Aliqua dicuntur hedifitia propugnacula civitatis, scilicet murus, fores et fossatum; aliqua dicuntur hedifitia privata, in quibus habitant singule familie; aliqua dicuntur

(1) « In capitulo (così il Fiamma stesso nel *Chron. mai.*) ubi agitur de queremonia beati Benedicti archiepiscopi, ita dicit chronica Datii: Romani principes expulsis Senonum Gallorum populis, longe amplius civitatem mediolanensem amplificaverunt, et mirifice decoram reddiderunt, circuentes in ea more patrio eximium erexerunt palatium imperiale, et theatrum et aumatium, thermas, viridarium amoenum diversis floribus amoenissimum, quasi esset paradixus delitiarum. Item arenam diversis magisteriis et lapidibus ornatam, in qua totius Italiae milites simul consedere, et ab uno oratore poterant competenter audire. Ibi etiam infra muros urbis fuit palatium imperatoris Maximiani, et palatium Traiani iuxta thermas s. Georgii constructum fuit. Ista si bene computata fuerint, invenitur e grossitie muri et distantia turrium, quod ista civitas habuit plusquam XV miliaria in circuitu etc. »

hedifitia ecclexiastica, in quibus celebrantur divina, et de istis queretur per singula.

De hedifitiis imperialibus.

In legenda beati Barnabe dicitur, quod civitas mediolanensis cunctis civitatibus preheminere et principari videbatur structure hedifitiorum eminentia, atque post Romam magna imperii dignitate ac edictione potita est. Ista civitas fuit multo tempore sedes imperii; ideo imperatores multa construxerunt pallatia magna, scilicet capitolium et plura alia; et Nerva imperator in medio civitatis iuxta capitolium sibi fabricari fecit eximium agustorum palatium opere mirabili, ubi et termas fundavit pro imperatrice Agusta, et dictum est palatium nervenianum et terme nerveniane (1). Fuerunt etiam duo imperatores de Mediolano, ut dicit cronica Bonvesini. Hii in Mediolano sederunt, et quis dubitat quod multa palatia construxerunt, licet non legantur. Item Maximianus imperator natione mediolanensis erexit in ista civitate plura palatia, sicut habetur in cronica Danielis, quod ipse magnificavit civitatem istam dignitatibus, muro civitatis et turribus. Ipse erexit pallatium mire pulchritudinis cum porticu XVI columpnarum, quas laminis ereis vestivit, miris animalium figuris decoravit; et tale hedifitium nunc

(1) « Privilegium principum romanorum fuit quod in hac Roma secunda essent omnia haedifitia publica quae erant in Roma. Unde legitur in legenda beati Barnabae, quod in civitate florentissima dicta Roma secunda erat eximium imperatorum palatium dictum capitolium, item theatrum, amphitheatrum, iporomium, circus, verzarium, pomerium, compitum, ergasterium, aumatium, spectaculum, termae, palatia regalia, turres frequentissimae et deorum fana, quae quanti essent pretii, quantorum ornamentorum auri, argenti, eboris et lapidum pretiosorum, non faciliter posset explicari lingua » (*Chron. mai.*).

dicitur ecclexia sancti Laurentii. In isto fano erat tronus marmoreus, in quo residebat ydolum Herculis, quod dabat responsa, et ab universo populo adorabatur, et fuit singulare ydolum imperatoris Maximiani, unde cognominatus est Herculianus. Item aliud fecit pallatium, ubi de causis judicabat sedens in ypodromio circi in loco, ubi nunc est ecclexia s. Marie ad circulum. Item aliud construxit pallatium, ubi reposuit ydola sua in loco, ubi nunc est monasterium maius. Item aliud fuit pallatium iuxta ecclexiam s. Ambroxii, ubi imperatores habitabant tempore sue coronationis. In ystoria Lanzi de Curte habetur, quod supra sex portas civitatis erant sex domicilia imperialia. Item in quibusdam cronicis habetur, quod Nero adhuc Cesar et nundum imperator rediens de Gallia hanc civitatem aliquo tempore inhabitavit, flumen ad civitatem introduxit, quod ex suo nomine flumen Neronis appellavit, civitatem magno muro ampliavit, multa palatia construxit. Plures alii principes similia construxerunt hedifitia, que per singula scribere longum esset. Ad argumentum factum in contrarium est dicendum, quod talia palatia aut vetustate sunt consumpta aut per hostes destructa.

De hedifitiis publicis.

Habetur in ystoria beati Barnabe, quod in ista urbe erant theatrum, amphitheatrum, arena, aumatium, ergasterium, spectaculum, compitum, yporomium circi, verzarium, broletum, brolium et plura alia. Circa istam questionem est dicendum, quod ista civitas sicut excessit in muro, turribus et archu triumphali, ita excedebat in publicis hedifitiis; et ut ista clarius innotescant, per singula discurramus. Et primo dicamus de capitolio.

Capitolium fuit ubi est ecclexia sancte Tegle.

Capitolium dicitur quasi capud omnium pallatiorum et principium, ubi stabant imperatores, et erat pallatium altissimum cameris, termis et solariis distinctum deo Iovi dedicatum, unde et augustale palatium dicebatur. Istud capitolium beatus Barnabas consecravit in ecclexiam sancti Salvatoris, que nunc dicitur ecclexia sancte Tegle (1).

De arena sive arengo.

Arena fuit hedifitium altum et rotondum ex albo et nigro marmore contectum (2). In circuitu muri erant ccc camere et lxv, quot sunt dies in anno, tante capacitatis quod omnes milites Ytalie ibi sedere poterant, et quicquid ab uno oratore dicebatur, faciliter audire et sine impedimento videre. Et erat locus atrocitatis, quia in ipso puniebantur rei (3), et nunc dicitur arengum. Ibi juxta

(1) « Iuxta istud capitolium fuit palatium Nervae cum thermis. Potest dici quod capitolium fuit ubi nunc est broletum vetus, et palatium Nervae ubi est ecclesia s. Theclae » (*Chron. mai.*). « D. Barnabas quoddam magnum palatium, quod erat civitatis contra Ungarorum incursum singulare praesidium, in ecclesiam consecravit, quae dicta est ecclesia Salvatoris etc. » (*Ibid.*).

(2) « Inter capitolium et palatium Nervae non erat tunc temporis nec ecclexia maior nec baptisterium aut aliquod aliud aedificium, sed erat quoddam magnum spatium etc. » (*Op. praed.*). « Erat insuper arena in urbe ipsa lapidibus et magisteriis diversis ornata, albo et nigro marmore distincta, tota rotunda etc. » (*Chron.* Bencii *de moenib. et aedif.*).

(3) « Et cum bestiis pugnis exponebantur. Unde in legendis sanctorum martyrum saepe dicitur quod martyres iubebantur in arena pugnare » (*Chron. mai.*). « Locus unus sive asium brachiorum 6 in utroque latere situs in porta orientali parochia s. Theclae prope portam Arenghi versus Borsinarios, videlicet a fenestra camerae sitae in Cantonzello prope dictam portam versus monte partem usque ad fortalitiam dicti Arenghi, et a dicta fortalitia versus mane parte tantum quantum est anditus dictae ecclesiae, cui cohaeret a mane strata, a meridie platea Arenghi, a sero suprascripta camera, et a monte murus dictae fortalitiae » (*Istrom.* 23 *ott.* 1405).

fuit pallatium maximum, inerant multe stantie, et una sala tante capacitatis, que continebat x̄ personarum et plus. Erat ibi una cathedra marmorea posita super duos leones marmoreos, qui tenebant duas cruces in branchis. In ista cathedra sedebat imperator sive princeps, quando volebat super populum arengare, ideo tota illa contrata dicta fuit arengum. In introitu istius palatii in platea erat unus leo ex marmore, qui tenebat unam crucem in brancha.

De compito sive computum.

Compitus non fuit hedifitium sed spatium sive strata, ad quam plures concurrunt vie sive strate; ad istam plateam festivis diebus conveniebant iuvenes ad coreyzandum, ideo tales dies festivi dicta sunt festa compitalia (1). In illo loco nunc est ecclexia sancti Pauli in compito, et si quis dilligenter avertat, ibi sunt due vie cruces in parvo spatio. Quidam dixerunt quod dicitur compitus, quia ibi computabantur introytus communitatis; alii dicunt quod dicitur compitus quia ibi fuit finitum sive completum quoddam prelium, sed prima oppinio est verior.

De verzario.

Verzarium non fuit hedifitium sed spatium, quod mirabili amenitate florum et arborum aromaticarum virebat,

(1) « In uno angulo verzarii erat quaedam magna platea, ad quam plures viae concurrunt, quae secundum Papiam, dicitur compitus, ubi pueri certis diebus festivis coreas ducebant » (*Chron. mai.*). « Circa annum 1186 Petrus de Bussero archipresbyter cardinalium ecclesiae maioris construxit de suo patrimonio in ordinaria unum palatium per portam quae ducit ad compitum, et voluit quod duo cardinales ibi habitarent, qui prius habitabant dispersi per ecclesias etc. » (*Ibid.*).

unde a viriditate dictum est verzarium [1]. In medio verzarii in magno trono eburneo albissimo erat ydolum dee Februe matris dei Martis, que de eventu bellorum predicebat; et apud filium deum bellorum pro victoria civium de Mediolano exorat, quo tempore instabant bellorum discrimina. Et iste locus usque hodie dicitur verzarium.

De theatro.

Theatrum fuit hedifitium semicirculare altissimum fenestratum; exterius erant scalle, per quas ascendebatur ad fenestras, et totus populus stabat in fenestris exterius intus aspitiens [2]. In medio theatri erat unum puplitum rotondum ex marmore. In isto puplito ystoriones cantabant aliquas pulcras ystorias vel actus virtuosos aut ystorias bellorum [3]. Finito cantu ystorionum, adveniebant mimi pulsantes lyras aut cytharas et decenti motu corporis se circumvolvebant [4]. Et fuit istud hedifitium in loco qui dicitur ecclexia sancti Victoris ad theatrum sive ad trenum.

De ypódromio circi.

Ypodromium circi non fuit hedifitium sed spatium permaximum, ad quod iuvenes nostre civitatis festivis diebus

(1) « Ex adverso capitolii erat quoddam nemus arborum et florum amoenitate spectabilis, ubi erat avicularum inclusarum concentus admirabilis. Iste locus fuit quasi paradixus delitiarum, ubi imperatores et urbis rectores post causarum strepitum sua recreabant corpora » (*Chron. mai.*). « In summitate turris viridarii erat baculus pastoralis in signum quod ecclesia dominabatur civitati » (*In Catal. Primicerii* in Bibl. Ambros.).

(2) « Ego namque Fulchuynus habeo aedificatam capellam unam iuris mei in terra propria mea intra hanc civitatem prope locum, ubi theatrum nominatur in honorem s. Genitricis Mariae etc. » (*Ex tabula fundat.*).

(3) « Sicut nunc in foro cantantur de Rolando et Oliverio » (*Chron. mai.*).

(4) « Sic populus delectabatur melodia et instruebatur historia » (*Op. praed.*).

conveniebant super magnos destrarios et exercitabant se ipsos in duellis, astiludiis, torniamentis; inde dictum est ypodromium idest cursus equorum (1). Ibi postea Maximianus imperator construxit pallatium, ubi de causis judicabat (2). Unde in cronicis legitur, quod Maximianus duram contra christianos movens persecutionem, ypodromium circi coronatus ascendit, statuens ut christiani deo Herculi sacrificarent, aut diversis penis interirent. Iuxta ypodromium sub divo in platea in trono aureo erat statua Solis dans responsa, que ab universo populo adorabatur. Erat autem istud ypodromium circi in loco, ubi nunc est ecclexia sancte Marie ad circulum.

De amphiteatro.

Amphiteatrum fuit hedifitium rotondum altissimo muro circumseptum, in quo erant due porte, una versus oriens, altera versus occidens, et quocienscumque instabat alicuius questionis controversia vel criminis impositio, non requirebatur iurista aut lex (3), sed illi duo, inter quos erat questio, in equis albis cum galleis aureis alter per portam orientis alter per portam occidentis calcaribus

(1) « De hyppodromo circi, ubi dicitur s. Maria ad Circulum, subtus terram erat strata usque ad theatrum, idest aedificium semicirculare, quod constructum erat in loco, ubi nunc est monasterium maius » (*Manip. flor.*).

(2) « Circus erat aedificium semicirculare, quod ab ecclesia s. Mariae ad Circulum usque ad monasterium maius protelabatur. Ipodromum proprie erat locus eminens per modum cathedrae, quod erat in angulo circi positum, ubi stabant imperatores cum de causis iudicabant. Unde de Maximiano imperatore legitur, quod cum martyres ad mortem iudicaret, conscensit ippodromum circi, licet interdum circus pro ipodromo et e converso accipiatur » (*Chr. m.*).

(3) « Hinc est quod in hac civitate non fuit opus collegio iudicum seu sapientum » (*C. m.*). « In legenda B. Barnabae legitur, quod in

urgentes destrarios in tantum astis et gladiis perseveranter dimicabant, quousque in alterius mortem prosiliret. Unde in ista civitate antiquitus non fuit opus lege, ubi insaniens gladius disputabat. Et ista fuit causa, quare romani in archu triumphali inscribi fecerunt: qui vult modico tempore vivere, Mediolanum inhabitet, ubi vires pro legibus et iura in ossibus describuntur. Erat autem istud hedifitium fundatum ubi nunc est brolium (1).

De ergasterio.

Ergasterium fuit hedifitium altissimis muris circumseptum diversis cameris et stabulis distinctum, in quibus erant tauri indomiti, leone, ursi et tygrides, ubi certis diebus aspitiente universo populo iuvenes sive tyrones nostre urbis adveniebant, et cum bestiis pugnabant gratia furoris sed non criminis (2). In isto loco nunc est ecclexia sancti Nazarii in brolio.

De spectaculo.

Spectaculum erat quedam magna platea, ad quam pueri parvi confluebant certis temporibus ad diversos ludos peragendos, aut archu sagittas emitendo, vel astas librato corpore proyciendo, vel laterum complexu se prosternendo, vel saltu altiori vel longiori prosiliendo. Et erat iste locus (3) ubi nunc est pratum comune.

civitate florentissima dicta Roma secunda erat eximium imperatoris palatium dictum capitolium, item theatrum, amphiteatrum etc. » (*Chron. mai. et Polit. nov.*).

(1) « Non longe a spectaculo » (*Op. pred.*).

(2) « In ipso loco ponebantur martyres ut lacerarentur aut interficerentur » (*Op. praed.*).

(3) « Versus oriens » (*Op. praed.*).

De cloacis.

Cloace [1] fuerunt voragines subterranee patentes, muro civitatis infixe, per quas tempore ymbrium aque pluviales reciperentur, ne murus aquarum impetu destrueretur [2].

De aumatio, sive de cameris privatis.

Aumatium fuit hedifitium rotondum in centro civitatis fundatum [3], ocultis et transversis cameris distinctum, purgationi ventris deputatum, quod est in magnis civitatibus perutile nimis, aliter omnis locus stabulatur. Ex his tam mirabilibus hedifitiis nostra civitas quondam ornata fuit, sed nunc omnia ista hedifitia in ecclexias transierunt, sicut patet ex supra dictis.

De archu triumphali, sive romano.

Archus triumphalis fuit hedifitium longum per duo miliaria in alto aere columpnis sustentatum [4], amplum non multum, hinc inde muris altissimis vallatum, in quibus erant fenestre oblique, ample interius et stricte

(1) « Murus antiquus urbis Mediolani ab ecclesia s. Victoris ad portam romanam porrigebatur versus oriens usque ad cloacam pontis necis, sive pontnugo, ita quod hyatus cloacae erat intus infra murum. Postea vergebat versus oriens usque ad cloacam s. Michaelis ad murum ruptum ... deinde ibat usque ad cloacam, quae est in capite palatii hospitalis brolii, et dimittebat hospitale extra civitatem Mediolani etc. » (*Chron. mai.*).

(2) « Sicut usque hodie apparet in muro civitatis veteri » (*Op. praed.*).

(3) « Alto muro circumdatum, aqua decurrente inferius » (*Op. praed.*). « Aumatium quoque in ea urbe (Mediolani) erat, idest secretus locus publicus sicut theatrum » (Benc. *in Chron. Mediol.*).

(4) « Non multum altum a terra, quantum poterat asta militis attingere » (*Op. praed.*).

exterius, que dicuntur archerie (1). In medio erat coclea idest turris rotonda in tantum alta, quod totum planum Lombardie faciliter aspitiebat. Quocienscumque aliquis hostis invadebat civitatem, cui non poterant resistere in campo, ne civibus nostris posset imputari quod essent obsessi, super archum ascendebant qui erat extra civitatem protensus, et positi in alto faciliter resistebant. Capto archu, statim civitas subiitiebatur hostibus. In isto archu erat scriptum: qui vult modico tempore vivere, Mediolanum inhabitet, ubi vires pro legibus et iura in ossibus describuntur. Hic archus positus erat in loco, ubi nunc est hospitale sancti Lazari sive leprosorum, unde usque hodie dicitur leprosis, quod sunt de archu triumphali sive romano. Iste archus pluries fuit destructus, et nunquam in prima magnitudine reformatus (2).

(1) « Super portam civitatis quae respicit Romam, construxit arcum triumphalem, ubi sic in marmore sculpi iussit: qui vult modico tempore etc. Et dicit cronica Campana, quod archus iste fuit longus per duo miliaria, fundatus super frequentes columpnetas, in cuius medio erat turris rotunda, quae totum planum Italiae aspiciebat » *(Chron. mai.)*. Tuttavia nessuno degli scrittori milanesi moderni accetta la favolosa descrizione dell' arco romano dataci dal Fiamma, che nel *Chron. mai.* descrivendo la guerra dei milanesi contro il Barbarossa, ci dà ben altra idea di quell' edificio. Altrove dice che rimpetto all'antica porta romana posta ov'era la chiesa di s. Vittorello, « de foris fuit arcus longus per duo miliaria, qui destructus fuit per Atillam, et tunc factus est arcus super quatuor pillas, ubi fuit turris altissima nimis, et dicebatur porta Saturni » (*Chron. mai.*). Sull'Arco Romano V. il Grazioli *De praecl. Mediol. aedif.* cap. III, il Fumagalli, *Le vicende di Milano* ecc.

(2) L'architettura romana di quel monumento smentisce la favola ch'esso sia stato distrutto da Attila, e non più riedificato nella primitiva grandezza.

Il Fiamma pretende che in Milano fra gli altri edificii cospicui eretti dai Romani vi fosse anche un labirinto, dicendo, in prova della sua asserzione, che « in marmore pallatii habentur isti versus:

In Mediolano stante lamberinto prophano
Homine troyano ruit estu palladiano ».

Aggiunge poi che: « forma autem lamberinti secundum Ysidorum talis fuit, quia erat hedifitium constructum ex perpessis parietibus, et quando porta aperiebatur, tonitruum terribile resonabat. Ibi erant simulacra et monstra

De porta nova et fuerunt VII porte civitatis.

Porte civitatis fuerunt sex in muro facto per romanos, de quo supra dictum est. Cum Marcellus rex mediolanensium ydola dispiceret coactus a veritate naturalis intellectus, archiflamen civitatis ipsum ad culturam ydolorum precibus et persuasionibus invitabat, asserens esse deos futura predicentes. Cui Marcellus rex ait: si ydola predicere sciverint per quam portam sum cras exiturus pro venatione aprorum, credam esse deos. Archiflamen ydolis thura dedit sciscitans istius rei veritatem. Dyabolus totus malitiosus optime cognoscebat regis versutias, et cogitavit directe quod rex volebat facere, et respondens ait: rex Marcellus cras erit exiturus per portam magis de novo factam. Tunc rex cogitavit per nullam portam exire, sed jussit frangi murum et per fracturam exivit. Qui ad se reversus cognovit quod ydolum verum de futuris predixisset, quia exiverat per portam magis de novo factam. Ex tunc factus est ydolatra permaximus, et in fracturam quam fecerat, portam civitatis extrui iussit, et portam novam nominavit usque in presentem diem. Tunc super septem portas civitatis septem ydola secundum septem planetarum nomen fabricari fecit, quarum nomina sunt hec.

De septem ydolis super septem portas civitatis.

Solis ydolum positum fuit super portam dei Apolinis idest Solis, que nunc dicitur porta romana. Mercurii

horribilia et obscuritatis quasi noctis. In istud hedifitium si quis introysset, nunquam reddire sciebat sine glomere lini; nec poterat aliquo modo dissolvi seu destrui, sed igne poterat annichilari » (*Polit. nov.* cap. 38, 39). Non pare però provata da altre testimonianze attendibili l'esistenza di questo labirinto.

ydolum positum fuit super portam dei Mercurii, que nunc dicitur porta tycinensis. Veneris ydolum positum fuit super portam dee Veneris, que nunc dicitur porta vercellina. Iovis ydolum erat super portam dei Iovis, que nunc dicitur porta zobia. Martis ydolum et Saturni ydolum et Lune ydolum erant super alias tres portas, sed quomodo essent per portas distributa, nulla certa scriptura invenitur. Item statuit rex Marcellus ut quicumque portas ingrediretur, aut ydolis genuflecteret aut capite plecteretur. Et ista fuit causa quare beatus Barnabas in suo adventu portas civitatis non fuit ingressus, sed habitavit iuxta fontem sanctum inter murum et promurale. Et est hic notandum, quod sicut murus civitatis sepius fuit destructus, et nomina pluries sunt mutata, ita et nomina portarum multis vicibus translatata sunt (1).

De deferentia portarum et pusterlarum.

In cronica Bonvesini dicitur quod porte civitatis sunt sex et pusterle decem, in quibus omnibus mirabilis fortitudo cernitur et fundamentum firmissimum. Circa istam questionem est sciendum, quod porte civitatis sunt in duobus gradibus, quia alique dicuntur porte, alique dicuntur pusterle. Porte principales sunt sex, scilicet orientalis porta et porta nova, porta cumana, porta vercelina, porta tycinensis et porta romana. Et conveniunt in hoc omnes porte principales, quod quelibet altrinsecus habet duas turres a destris et sinistris. Pusterle autem

(1) « In ista civitate licet aliquando fuerint pro muralia xv milliariorum cum portis xxxvii, interius tamen fuit murus parvus et altus, cuius circuitus habuit fere duo miliaria: super quamlibet portam civitatis erat unum palatium rotundum, cuius cohopertura erat rotonda sed pyramidalis, sicut apparet in turigero s. Laurentii » *(Chron. mai.)*.

sunt que sub una turre coangustantur, excepta pusterla sancti Ambrosii, que habet portas duplices et similiter turres. Item est alia differentia, quia omnes porte principales sunt duplices, excepta porta tycinensi, et omnes pusterle unam tantum habent portam, excepta illa sancti Ambrosii (1), que habet duplices portas et duas turres. Item est alia differentia, quia porte principales dicuntur porte, sed pusterle due etiam dicuntur porte, scilicet porta tonsa et porta zobia (2). Item quelibet porta habet in broleto novo portas sibi corespondentes in situ et nomine, et habet spetiale vexillum et certos capitaneos; pusterle nichil horum habent. Item omnes porte habent duas pusterlas a dextris et sinistris, exceptis porta nova et porta cumana.

Termini portarum.

BRACHIA X̄.XLI.

Porta tycinensis usque ad fabricam CDLXXX.
Fabrica usque ad pusterlam sancti Ambroxii DCCCXV.
Pusterla sancti Ambroxii usque ad beveratorem CC.
Pro beveratore XL.
A beveratore usque ad portam vercellinam CCC.
Pro fagia monasterii clarevallis .....
A porta vercellina usque ad primam turrim CXXX.

(1) « In loco ubi nunc est ecclesia s. Mariae ad Circulum, fuit condam porta dicta porta deae Lunae... Ista porta dicta fuit porta s. Ambrosii, quae nunc inter pusterlas deputata translata est post monasterium s. Ambroxii » (*Chron. mai.*).

(2) « In loco ubi nunc est porta Zobia, condam fuit porta dicta porta Iovis. Super istam portam erat palatium rotondum, in cuius pyramide fuit ydolum dei Iovis ..... Destructa civitate, ista porta fuit inter pusterlas computata, sed adhuc retinet nomen portae, et sola inter omnes portas habet adhuc nomen ydoli, quia dicitur porta Zobia idest Iovis » (*Op. praed.*).

A prima turre usque ad portam Iovis DCCCXXVII.
A porta Iovis usque ad pusterlam de Aziis CCCLXXXIV.
A pusterla de Aziis usque ad portam cumanam CCXVII.
A porta cumana usque ad pusterlam sancti Marchi CDXLVIII.
A pusterla sancti Marci usque ad portam novam MII.
A porta nova usque ad pusterlam novam DXC.
A pusterla nova usque ad portam orientalem CCII.
A porta orientali usque ad montem fortem CCCXLV.
A monte forti usque ad portam tonsam DCCCXX.
Pro beveratore XXIV.
A porta tonsa usque ad portam romanam MCCXLVIII.
A porta romana usque ad sanctam Eufemiam DCCCXIV.
A s. Eufemia usque ad clusam CDVIII.
A clusa usque ad portam tycinensem CCCVIII.
Latitudo fossati XXX cubitorum.
Murus exterior habet in circuitu $\overset{M}{X}$,XLI cubitos.
Dyameter habet cubitos III millia et tertiam partem.
Semidyameter habet cubitos MDX.
Broletum habet ab oriente versus occidens CXXX cubitos, ab aquilone versus meridiem cubitos CXXXVI.

De situ pusterlarum
per respectum ad portam romanam.

Porta romana dicitur eo quod nomen antiquum civitatis retineat, que condam dicebatur Roma secunda; habet enim portas duplices et turres duas altrinsecus ex vivis saxis aut marmoreis. Ista habet duas pusterlas versus oriens, pusterla que dicitur porta tonsa, unde exiit fossatum civitatis quod dicitur navirium; ex altera parte versus occidens habet pusterlam sancte Eufemie, que super ceteras pusterlas est decentiori opere fabricata et

clariori marmore. Ista pusterla habet de foris ex opposito monasterium sancti Celsi. Isti porte romane deputantur clipei ex toto rubri. Vexillum est similiter totum rubeum; ejus capitanei sunt illi de Carrogiis. In hac porta romani antiquitus in marmore sculpi iusserunt istos versus:

Dic homo qui transis, dum porte limina tangis:
Roma secunda vale, regni decus imperiale,
Urbs veneranda nimis, plenissima rebus opimis,
Te metuunt gentes, tibi flectunt colla potentes,
In bello Thebas, in sensu vincis Athenas (1).

Ante istam portam fuit archus trihumphalis, de quo supra dictum est. Hec porta fuit antiquitus in loco, ubi nunc est ecclexia sancti Victoris, et Sevisus erat fossatum civitatis. In ista porta erat ydolum Appolinis idest Solis.

De situ pusterlarum per respectum ad portam orientalem.

Porta orientalis sive porta renza dicitur, quia respicit versus orientem, et habet duplices portas et turres altrinsecus ex saxis et lapideis marmoribus; per istam portam intrat fluvius Sevisus, et exit per pusterlam cluse. Ista porta habet unam pusterlam versus aquilonem, que dicitur pusterla montis fortis, et ex alia parte versus austrum participat medietatem pusterle nove. Extra istam portam est monasterium sancti Dyonisii. Isti porte deputantur clipei albi ubi sunt leones nigri, similiter et in vexillo; istius porte capitanei dicti sunt capitanei porte

(1) In altro luogo il Fiamma aggiunge:

Sus fuit in ista, quae moenia docuit ista
In medio tergo lanam tullit; accidit ergo
Per signum laneum me dicet Mediolanum.

(*Chron. mai.*).

orientalis (1). Antiquitus ista porta fuit ubi est ecclexia sancti Babille (2), et Sevisus implebat fossatum civitatis in illa parte. Istius porte ydoli nomen non habetur.

De situ pusterlarum
per respectum ad portam novam.

Porta nova dicitur quia post alias portas facta fuit, sicut supra dictum est; habet duplices portas et duplices turres; sola inter alias portas caret burgo. Ex una parte versus oriens participat medietatem pusterle nove; ex altera parte versus austrum participat medietatem pusterle sancti Marchi. Ista sola porta inter alias non habet pusterlam integram, ymo ex utraque parte participat medietatem duarum pusterlarum, scilicet sancti Marchi et pusterle nove. Isti porte deputantur clipei, ubi sunt leones albo nigroque colore quadrati superius in parte sinistra et inferius a dextra fuschati; in aliis duabus partibus dealbati. In ista porta sunt capitanei illi de la Turre. Ista porta fuit antiquitus ubi est ecclesia sancti Domnini ad mazam. Et fluvius .... implebat fossatum. Istius porte ydoli nomen non habetur (3).

(1) « Quorum genus deficit » (*Chron. mai.*).

(2) « In loco ex opposito ecclexiae s. Babilae citra flumen erat porta dicta porta dei Solis sive Apollinis, ubi erat palatium rotundum, in cuius pyramide fuit ydolum Solis... Destructa civitate, ista porta translata fuit ad locum, ubi nunc est porta dicta renzia idest orientalis » (*Ibid.*).

(3) « In loco ubi nunc est ecclexia s. Domnini ad Maziam, erat unum palatium rotundum, in cuius pyramide erat ydolum Herculis mactantis leonem cum clava sive mazia, quem cauda tenebat; unde dicta fuit condam porta Herculis ad Maziam, et hoc cognomen adhuc retinet ille locus, quia dicitur ecclexia S. Domnini ad Maziam. Destructa civitate, translata fuit porta ubi nunc dicitur porta nova » (*Chron. mai.*). Quantunque altri scrittori anche moderni, appoggiati forse sull'unica testimonianza assai dubbia del Fiamma, abbiano dedotto da quell'effigie d'Ercole il nome di quel luogo, io penso che da una vicina fabbrica d'olio, che facevasi *ad mazam*, come

De situ pusterlarum
per respectum ad portam cumanam.

Porta cumana dicitur a civitate cumana, quia respicit versus illas partes. Habet duplices portas et duas turres ex vivis et marmoreis lapidibus. Ex una parte versus austrum participat medietatem pusterle sancti Marchi; ex alia parte versus occidens habet pusterlam Aziarum, per quam intrat fluvius Neronis, et refluit ex pusterla de clusa. Hunc fluvium Nero imperator ad civitatem introduxit, et ex suo nomine flumen Neronis appellavit. Istius porte capitanei sunt illi de Badagio. Huic porte deputantur clipei, ubi sunt depicti leones tabulati albo et rubeo colore. Antiquitus ista porta fuit ubi nunc est pons porte cumane (1), ubi fructus venduntur. Istius porte nomen ydoli determinate non habetur. Per istam portam ingrediuntur per ocultos meatus terre duo vivi fontes usque ad broletum vetus, quos Azo Vicecomes ad civitatem introduxit.

De situ pusterlarum per respectum ad portam vercelinam.

Porta vercellina dicitur quia respicit versus civitatem vercellensem (2). Habet duplices portas et duplices turres

si diceva nel medio evo, cioè con torchio o strumento consimile, sia piuttosto derivato quell'appellativo. Quell'Ercole così effigiato, ora a Monaco in Baviera, non consta che fosse nel luogo indicato dal nostro cronista, e nell' a. 1063 esisteva già nella basilica di s. Ambrogio allorchè prete Liprando subì la prova del fuoco onde convincere di simonia il vescovo Grossolano; non si sa d'onde nè quando siavi stato trasferito.

(1) « In loco ubi nunc est ecclexia s. Iohanis ad quatuor facies, quondam fuit porta Iani quadrifontis.... Destructa civitate, porta translata fuit ad locum ubi nunc est porta cumana, et in muro civitatis fuit inventum istud ydollum in marmore » (*Chron. mai.*).

(2) « In loco ubi nunc est monasterium maius, condam fuit porta

ex vivis et marmoreis lapidibus; ex una parte versus austrum habet pusterlam zobiam ab ydolò Iovis denominatam, et ista sola usque hodie retinet antiquum nomen ydoli, ex quo apparet quod antiquitus fuit porta principalis, unde et nomen porte semper retinuit; ex altera parte versus aquillonem habet pusterlam sancti Ambrosii, que sola inter pusterlas habet duplices portas et duas turres. Huic porte deputantur clipei habentes balzanam, qui inferius sunt rubei et superius albi; similiter et vexillum. In ista porta fuerunt capitanei Crassi de Treno. Ista porta fuit antiquitus ubi nunc est hospitale peregrinorum. Istius porte ydolum fuit ydolum Veneris.

De situ pusterlarum per respectum ad portam ticinensem.

Porta ticinensis dicitur quia respicit versus Tycinum; si enim fuisset denominata a civitate tycinensi sive Papia, tunc diceretur porta papiensis, quia tempore rehedificationis istius urbis, illa civitas non Tycinum sed Papia dicebatur. Ista porta inter alias portas non habet nisi unam portam et duas turres ex vivis saxis et marmoreis factas. Huic porte clipei deputantur ex toto albi, similiter et vexillum. In ista porta fuerunt capitanei illi de Bustis. Ista porta fuit antiquitus ubi dicitur carubium porte tycinensis. Eius ydolum antiquitus fuit ydolum Mercurii. Versus occidens habet pusterlam fabricam, per quam ingreditur civitatem fluvius Orona sive Vedra; ex parte aquilonis habet pusterlam que dicitur clusa, quia ibi fossatum civitatis clausum fuit, quod civitatem circuire non potuit, et habet murum altissimum ultra fossatum

vercellina; ibi fuit ab antiquis temporibus super portam palatium rotondum, in cuius summitate fuit ydolum deae Veneris » *(Op. praed.)*.

civitatis; hinc inde munitur murus merlatus, et habet duas portas ex opposito situatas. Hinc exeunt flumen Vedra et flumen Sevixus et duo fontes supradicti, et flumen Neronis. Hinc ex latere fluit flumen Tycinelus, et si coniungerentur ista flumina in unum, cui coniungeretur flumen dictum Navirium, quod exiit iuxta portam tonsam ex fossato civitatis, fieret faciliter portus tendens in fluvium Lambri, inde per Padum faciliter naves possent ire usque Venetias. Versus autem continens nomina capitaneorum portarum civitatis sunt hii:

Ex senis portis sumptos capitaneos urbis
Nove, Cume, Tycinis, Orientis, Rome, Vercellis,
Turres, Badagios, Busti, Oriens, Carrogia, Crassos
Hos statuit pugiles in Arriana perfidia magnos.

De fortitudinibus VII civitatis in generali.

Generales fortitudines portarum habentur, si quis aspitiat quod porte et turres sunt ex marmoreis et vivis saxis fondate firmissimis fondamentis, et sunt grosse ultra modum, licet imperfecte sint. Ulterius super portas sunt bathfreda lignea et lapidea. Item sunt valve in portis, que clauduntur fortissimis serraturis. Ante valvas posite sunt porte sarrazinei dentibus ferreis rostrate. Postea sunt pontes levatores super fossatum latum xxx brachia; item est murus exterior fortissimus. Perambulentur universe mundi civitates, nec poterit inveniri tanti tamque mirabilis pulcritudinis opus.

De fortitudine murorum civitatis.

In quadam obsidione civitatis hostes non potuerunt exteriorem murum diruere propter muri mirabilem

fortitudinem; quanto minus tunc, quia interior postea factus est. Circa istam questionem est dicendum, quod civitas mediolanensis cingitur fluminibus a remotis et fossato vivis et scaturientibus aquis pleno. Item cingitur duplici muro, portis et anteportalibus, ita quod est insuperabilis hostibus. Et de his omnibus dictum est supra, cum de muris civitatis ageretur, et in pluribus aliis locis. Ex hoc patet quia murus exterior licet non sit altior terra, est tamen fortissimus opere et de se, et profundus super vivas aquas, quod est quasi orribile precipitium ad intuendum.

De pulcritudine domorum familiarium.

In cronica Bonvesini dicitur, quod in ista civitate sunt pulcra palatia, domus frequentes non disperse, sed continue decentes decenter ornate. Circa istam questionem est dicendum, quod secundum philosophum differentia est inter pulcritudinem artifitialem et naturalem, quia pulcritudo artifitialis est in superfitie rei, pulcritudo vero naturalis est in superfitie et profundo. Et ita est de hedifitiis, quia aliqua hedifitia exterius ornantur marmoribus et picturis, intus carent aere, aqua et terra ad habitandum. Sed hoc non accidit in nostris domibus, quia in qualibet domo est unus fons vivus vel plures, quia nulla sicitate exsicantur, sunt platee in modum claustri et aëris clarissimi mirabilis ubertas; habent solaria sallas cum nobilibus picturis, et habent exitum ad plateas numero xiii. Sunt insuper per plateas sub aere per parentelas constructa cohoperta, ubi nobiles ludunt ad scachos et alia exercent solatia, et sunt numero lx. Videres iuxta ista cohoperta non solum nobiles sedere et ludere, ymo aspicere posses circumquaque ligatas ancipitres ad perticas aut falcones

seu astures. Et nota quod tantus est numerus ancipitrum, quod numerari non potuit, sed est inventum quod tota provintia non habet tot aves rapaces. In diebus quoque festivis videres super portas familiares matronas et virgines sedere, que tantis ornamentis fulgent auri, argenti, smalti et perlarum sive margaritarum, quod videantur esse regine vel filie regum; a capite ipsarum usque ad pedes protellantur ornamenta. Adsunt per plateas pueri decori nimis, tumultuantes, nunc huc nunc illuc incessanter discurrentes; et numerati sunt in uno die vel subtiliter computati per solerter inquirentes pueri masculi per plateas discurrere ultra $\overline{\text{LXXX}}$. Per vias et plateas iuvenes in equis civitatem perambulant; et dicit cronica Bonvesini, quod in civitate cum comitatu faciliter inveniri possent $\overline{\text{VIII}}$ destrariorum in domibus nobilium, exceptis stipendiatis. Non solum dominarum aut virginum sive puerorum istius civitatis ornant domos vel plateas, ymo adest populus mirabilis, qui sunt numerati tantummodo in civitate plus quam $\overline{\text{XL}}$, qui sunt viri bellatores et tyrones fortissimi. Ex numero virorum potest computari numerus puerorum, et maxima pulcritudo domorum, quod fuit istius capituli principale propositum.

De aliis hedifitiis ecclexiasticis.

Hedifitiis et domibus supradictis, que sunt numero $\overline{\text{XIII}}$ inseruntur ecclexie mirabiles cum turribus et tuguriis, que ultra modum nostram redunt decoram civitatem (1).

(1) « In libro descriptionis urbis habetur, quod in ista civitate erant templa quamplurima, quae quantis imaginibus ex auro et argento et quantis eburneis decorabantur caelaturis, quantis lapidum praetiosorum tegebantur ornamentis, lingua explicare nec manus conscribere faciliter posset. Omnia autem supradicta publica aedifitia vel fere omnia Atilla rex Unnorum destruxit et igne incineravit, nec unquam fuit maior iactura in hac urbe » (*Chron. mai.*).

Capelle idest ecclexie, ubi sunt sacerdotes benefitiati, sunt circa centum et plus; in universo computatis omnibus ecclexiis sunt circa cc, in quibus sunt altaria quinquecentum et plus; turres sive campanilia sunt cxx, in quibus sunt campane plures cc, et quod non caret admiratione permaxima, in civitate et terretorio sunt plures $\bar{x}$ viri, qui de benefitiis ecclexiasticis vivunt singuli in sibi deputatis prebendis. Inter ecclexias civitatis maíor et mirabilior est ecclexia sancti Laurentii, quam construxit imperator Maximianus in honorem Herculis, sicut supra dictum est (1). Ferunt architectores periti, quod LX magistri in LX annis ipsam ecclexiam construere non possent; forte in tota Roma non inveniretur ita pulcra ecclexia. Certe audeo dicere, quod LX magistri in LX annis erigerent omnes ecclexias unius civitatis ex nostris circumstantibus. Huic ecclexie adiacet capella regine, quam construxit Galla Placidia prophyriticis lapidibus et opere mosayco contecta (2). Secunda capella inter nobiliores est capella, quam construxit Azo Vicecomes in broleto veteri, que quantorum exstat hedifitiorum et

(1) « In loco ubi nunc dicitur ecclesia sancti Laurentii, imperator Maximianus ad honorem dei Herculis, ad cuius presagium imperium susceperat, construxerat fanum rotondum magnae capacitatis superius musayco opere ex auro et azurro et diversis figuris ornatum. Inferius autem quadratis saxis pavimentatum, quod fuit oculis mirabile ad videndum. In circuitu erant quatuor turres, deambulatoria et diversae structurae. Ante faciem istius fani erant XVI columpnae marmoreae laminis deauratis cohopertae cum sculpturis animalium, avium, piscium et fuerunt mirabilis altitudinis. In medio istius fani erat tronus eburneus, in quo sedebat ydolum Herculis, quod dabat responsa. Hic locus finaliter exclusa omni ydolatria consecratus fuit in honorem Salvatoris et omnium Apostolorum et Evangelistarum et s. Laurentii; unde modo dicitur ecclexia s. Laurentii » (*Chron. mai.*).

(2) « In latere istius ecclesiae construxit capellam rotundam musaico opere miris figuris ornatam, et vestivit parietes interius laminis marmoreis pretiosis, et dicitur capella reginae, ubi ipsa dormit » (*Chron. mai.*).

ornamentorum, nulla lingua faciliter posset exprimere; ibi est coclea idest turris rotonda miro modo ornata, ibi campane, ibi ornamenta lapidum et columpnelorum marmoreorum, ibi est omnis decentia hedifitiorum. Quid dicemus de faustis religiosorum hedifitiis, turribus, ecclexiis? Certe summum pontificem cum sua curia in suis conventibus recipere possent. Itidem est de abatiis nigrorum aut aliis prelatis urbis nostre. Ecclexia maior que dicitur ecclexia beate virginis, cuius turris extat mirabilis operis et indicibilis altitudinis, et quod est mirabile auditu, in sola civitate sunt ecclexie beate virginis .... In hac ecclexia maiori sunt mirabiles ymagines ex marmore rubeo XII apostolorum, leones, grifones, quos fecit Urbanus papa civis mediolanensis ex nobili domo de Crivellis. Ex his que dicta sunt, potest quilibet iudicare istius civitatis hedifitia mirabilia, si coniungantur que superius scripta sunt de hedifitiis publicis et domibus privatis et ecclexiis et cohopertis et muris civitatis et portis; percurrantur universe civitates, et omnes iudicabunt arenam exiguam respectu istius nobilissime urbis.

Epylogus dictorum et dicendorum.

Postquam dictum est de his, que pertinent ad nostre civitatis plenam originem, et quod excedit fere omnes mundi civitates in delitiis, hedifitiis et ecclexiis, nunc restat dicendum de ipsis habitatoribus, et quod excedunt fere omnes alios cives in nobilitate et fortitudine. Primo ergo queritur que fuerunt dignitates et privilegia data nostris civibus propter eorum virtutem; postea dicetur de personis virtuosis in spetiali.

De privilegiis datis isti civitati.

Ista civitas condam fuit sedes imperatorum. Circa istam questionem est dicendum, quod si quis dilligenter libros discurrat, inveniet quod ista civitas post Romam nobilioribus fuit antiquitus ornata dignitatibus super omnes alias mundi civitates, quod sic probatur evidenter. Et primo ratione nominis, quia condam fuit dicta Roma secunda, quod nomen principes romanorum imposuerunt. Invenitur quod alique civitates denominate sunt ab imperatoribus, ut a Tyberio Thyberias, et a Cesare Augusto Cesaraugusta. Aliquando alique civitates sunt denominate ab aliquo offitio rei publice, ut Ariminum, quia armarium erat armorum romanorum, et Forum iullii, quia Iullius Cesar forum romanorum ibidem statuit. Sed numquam invenietur quod aliqua civitas dicta fuerit Roma nisi ista, et istud fuit signum amoris romanorum ad nos, sicut rex quando suo primogenito suum nomen imponit, et istud nomen fere DC annis duravit, et tunc dicti sunt nostri cives romani. Secundum privilegium datum fuit isti civitati ratione fortitudinis et prudentie, videlicet quod sicut ista civitas Roma cum nostra civitate comunicabat in nomine, ita et populus noster diceretur romanus, et facti sunt ambo populi unus populus. Unde dicit cronica Bonvesini, et habetur in libro descriptionis urbis, quod in signum egregie fortitudinis populi mediolanensis romanorum principes quotienscumque ad bella progrediebantur, populum mediolanensem cum vexillo mediolaneo precedere fatiebant, et primas acies concedebant. Ubi est dilligenter advertendum, quod cives de Mediolano per diversas mundi partes citra mare et ultra mare cum ipsis imperatoribus multas exercuerunt victorias. Tertium privilegium fuit ratione situs,

quia imperatores derelicta Roma magna, hanc secundam Romam habitaverunt, et sedem imperialem ibidem statuerunt. Unde dicit cronica Bonvesini, quod in hac secunda Roma (1) sepius imperatores imperialem sedem posuerunt, ut Nerva, Trayanus, Adrianus, Maximianus, Filipus, Constantius tertius, Constantinus cognominatus Gallus, Iovinianus, Vallens, Vallentinianus, Gratianus et Theudosius. Et in libro descriptionis urbis dicitur, quod beatus Barnabas de se ipso loquens dixit: ego Barnabas apostolus Iesu Christi perveni ad civitatem mediolanensem, que post romanam arcem famosissima habebatur, parique dictione sublimis, que structure hedifitiorum eminentia cunctis civitatibus principari videbatur, et occidentalis imperii infulas retentabat. Ubi est advertendum, quod beatus Barnabas venit Mediolanum, antequam Nerva vel alius imperator ex supradictis factus esset imperator; ergo si tempore beati Barnabe civitas mediolanensis gerebat infulas sive dignitates occidentalis imperii, hoc oportuit fieri vel per Iullium Cesarem vel Octavianum vel aliquem alium imperatorem romanum. Ex quo patet quod ista civitas fuit sedes imperii ante Christi nativitatem; unde Stephanardus:

Urbs nota et felix longoque cellebris evo
Imperii condam sedes ac emula iuris.

Quartum privilegium fuit imperatoris coronatio, que habet fieri in ista civitate. Et hoc est signum nobilitatis istius civitatis, quia sicut homini datur corona propter

(1) Dice la Cronaca maggiore di Galvagno Fiamma che « in cronica Bonvesini de nomine Roma secunda habetur sculptum in marmore super portam romanam ». Su quella porta or distrutta era così scritto:

« Dic homo qui transis, dum portae limina tangis:
Roma secunda vale, regni decus imperiale etc. »

come leggesi al capitolo « De situ pusterlarum per respectum ad portam romanam ».

virtutis eminentiam, ita et civitatibus conceditur coronatio propter virtutem et excellentiam. Unde dicit cronica Bonvesini: archiepiscopus mediolanensis romanorum reges Mediolani coronat, et per manum dextram beato Petro et eius vicario representat. Quintum privilegium romanorum fuit, quod ista civitas haberet archiflamen idest episcopum principem omnium flaminum sive episcoporum Ytalie. Ex hoc apparet quod civitas mediolanensis habuit archiepiscopum ante Christi nativitatem. Sextum privilegium fuit quod in nostra civitate fuit studium generale ante Christi nativitatem, quia dicit Vicentius quod Virgilius, qui fuit ante Christi nativitatem, studuit Cremone, et in Mediolano togam magistralem suscepit, id est fuit licentiatus magister, et post Christi nativitatem beatus Augustinus rethoricam in studio generali legit in hac urbe. Septimum privilegium fuit quod imperium fuit in Mediolano, ita quod non in Roma (?), et archiepiscopus mediolanensis elligebat regem Ytalie et coronabat, et summo pontifici presentabat. Ad argumentum factum in contrarium est dicendum, quod licet ista civitas non habuerit multa privilegia ab imperatoribus theutonicorum, recepit tamen multas dignitates ab imperatoribus romanorum.

De civibus illustribus istius urbis.

In cronica Bonvesini dicitur quod ista civitas habuit duos imperatores. Circa hanc questionem est dicendum, quod in hac vita duo sunt maximi status, scilicet papalis et imperialis; in statu papali tres summi pontifices de Mediolano traxerunt originem, videlicet Alexander secundus natus ex Capitaneis de Badagio, et Celestinus quartus ex illis de Castiliono, et Urbanus tertius ex

illis de Crivelis (1). Fuerunt insuper duo imperatores romanorum ex Cathaneis de Soresina, videlicet Vallerianus et Galienus filius eius. Cardinales romani fuerunt sex, videlicet Petrus mediolanensis, beatus Galdinus de la Salla, Ubertus de Pirovano, Zonfredus de Castiliono, Comes de Casate et Petrus Grossus. Invenitur etiam in cronicis, quod Maximianus imperator fuit genere mediolanensis; Actor:

Papas tres summos totidemque Cesar agustos,
Et cardinales senos protulit hec gleba romanos.

Legitur in quibusdam ystoriis, quod Felix natione mediolanensis ecclexie romane cardinalis cum Merlino de multis desputavit. Cui ait Merlinus: Et tu, Felix, natus de illa magna civitate Mediolano ecclexie romane cardinalis, et cetera. Et isto computato fuissent septem cardinales. Quid dicam? Tempore nostro fuerunt in ecclexia quatuor maiores prelati mundi, simulque eodem tempore viventes, scilicet Comes de Casate et Petrus Grossus cardinales, et Raymondus de la Turre patriarcha aquilegiensis, et Otto Vicecomes archiepiscopus mediolanensis.

De regibus natis de ista civitate.

Viros illustres alios fere innumerabiles ista civitas genuit, inter alios fuit Maximianus de castro Seprii, qui fuit rex Ytalie (2). De domo comitum Englerie fuerunt septem reges coronati totius Ytalie principes, et talia

(1) Una postilla in margine del codice aggiunge: « Pius IV ex illis de » Medicis, Gregorius XIII ex illis de Sfondratis ».

(2) Una nota marginale del sec. XVI in questo luogo del codice dice: « Iacet in s. Ambrosio, et super sepulcrum decantatur evangelium et epi- » stola etc. » Nessuna autorevole testimonianza appoggia questa asserzione, e neppure i racconti narrati dalla favolosa cronaca dei re e conti d'Angera.

fere innumerabilia dici possent. Cives istius civitatis fuerunt nimis negligentes in scribendo magnalia istius civitatis, non tamen propter hoc tollitur quin fuerint multi insignes principes nati de ista civitate.

De diversitate populi istius civitatis.

Circa istam questionem est dicendum secundum sententiam phylosophi in primo polliticorum, quod natura quidem impetus est ad talem comunitatem, que non solum deservit ad esse, sed etiam ad sufficienter vivere. Et talis est comunitas civitatis, ubi in uno vico exercetur ars fabrilis, in alio vico ars textoria, et sic de ceteris artibus. In ista autem civitate exercentur omnia artifitialia, et omnium civium gradus mirabiles reperiuntur; ergo est civitas perfecta, quod ut clarius ellucescat, per singula discurramus. In primis super iuditium sanguinis est potestas civitatis, qui ipso facto est comes, et habitat in pallatiis broleti novi cum suis iudicibus et alia sua familia. Hunc ad iuditium personarum privatarum causarum sequitur in eodem broleto collegium iudicum, ubi comuniter sunt CXX iurisperiti viri per totum mundum famosi; horum datas sententias scribunt notarii, qui sunt plures MD; nuntii comunitatis dicti servitores sunt numero DC et plus.

De studio, doctoribus et scriptoribus.

Circa actum studii licet ab antiquo in hac civitate fuerit studium generale [1], nunc etiam sunt in civitate

(1) « Dicitur in libro *De gestis archiepiscoporum*, quod in latere aquilonari yemalis ecclexiae erant scolae philosophorum, rethoricorum, astrologorum et omnium fere artium, scientiarum, quae longa archiepiscoporum consuetudine ex ecclexiae stipendiis sustentabantur » (*Chron. mai.*). Quanto

doctores iurisperiti, qui publicas scolas regunt in iure, quos audiunt scolares multi. Doctores artis gramatice et loyce sunt plures xv, quorum quilibet habet scolarium multitudinem magnam. Magistri vero puerorum quantum ad initiales litteras sunt plures LXX; scriptores librorum sunt numero XL.

De medicis et apothecariis.

Artis medicine professores et phylosophi nominati computatis cyruicis sunt plures CLXXX, inter quos sunt plures sallariati per communitatem, qui gratis tenentur pauperes infirmos medicare. Hiis super serviunt apothecarii omnibus aromatibus et confectionibus habundantes, quorum numerus pre nimia multitudine numerari non potuit. De aromatibus et de arte textoria et de fabricis armorum et mercatoribus pannorum et magnorum equorum et similium habetur supra (2).

allo studio generale antico asserisce che « in ista civitate ante Christi nativitatem fuit studium philosophorum generale, unde dicit cronica Sicardi, quod Virgilius in Mediolano togam magisterii suscepit; et post Christi nativitatem istud studium perseveravit, sicut patet quod Augustinus magnus derelicta Roma hic rethoricam docuit » (*Op. praedicto*).

(2) In una cronaca ms. di frate Bonvicino da Ripa comasco leggesi una curiosa statistica di Milano relativa, a quanto pare, all'anno 1288, che non manca di un certo interesse. La trascrivo qui togliendola da un ms. del secolo XIV. dell'Ambrosiana qua e là infarcito d'errori:

« Anno Domini usque MCCLXXXVIII frater Bonivicinus de Ripa composuit quoddam opus de Magnalibus Mediolani, inter quae haec annumerantur usque:

Hostia domorum cum portis et ianuis........................	n°	XIID
Coperta comuna..	»	LX
Circhuitus muri civilis misuratus..........................	br.	XCXLI
Fossatum civitatis in latitudine..........................	br.	XXXVIII
Portae principales civitatis sunt..........................	n°	VI
Secundariae vero sunt....................................	»	XII

De pompiniis ciborum, furnariis, tabernariis, bechariis et piscatoribus.

Ciborum preparatores sunt furnarii plures cccc, tabernarii sunt mille et plus, macellarii sunt ccccxl, pischatores cccc, de quibus omnibus superius est dictum.

Ecclesiae civitatis tantum sunt	n°	CC
Altaria	»	CCCCLXXX
Regina Galla Placidia fecit construi s. Laurentium cum columnis		XXIV
Ecclesiae s. Mariae in civitate	n°	XXXVI
In comitatu vero	»	CCXL
Campanilia	»	CCXX
Campanes	»	CC
In comitatu vero innumerabiles.		
In comitatu sunt burgi decentes	»	L

Ultra praedicta sunt

Plebs de Proleza cum villis	n°	LXII
In Valle Sesia villae	»	LIV
Sub burgo Leuchi villae	»	IX
Sub Chanobio villae	»	XXIII
In Valle Soldi villae	»	XI
In Verganto villae	»	XLVI
In Valle Bellegni et Leventinae villae	»	CC
Quae omnes villae cum burgis sunt circa	»	DC
In quibus sunt plures viri apti ad bellum	»	$\overline{\text{XXX}}$
Ecclesiae comitatus	»	MMD
In comitatu hospitalia	»	XV.
Viri saeculares civitatis episcopatus apti ad bellum	»	$\overline{\text{CC}}$
Canonicae et curiae regales	»	X
In comitatu	»	LX
Capellae in civitate cum burgis	»	DCCXCIV
Coenobia in civitate	»	XIV
In comitatu	»	LIV
Hospitalia	»	X

Nota quod Guifredus de Busero fecit construi illud de Brollo anno MCXLV.

In quo aliquando reperiuntur pauperes	n°	D
Et pulisi baiulati	»	CCCL

(Credo che l'originaria lezione di questo capoverso sia « et pueri baiulati », intendendosi parlare dei bambini allattati dalle nutrici

De fabris, textoribus, hospitiis, sartoribus.

Fabri equorum sunt LXXX, fabri sonaclorum sunt XXX, exceptis discipulis, opifices textorum lane, lini, bombacis, serici, cerdonum, pelliparìorum, sartorum sunt

mercenarie o balie, compresi forse quelli ricoverati nell' ospitale degli Esposti, detto Senodochio, istituito il 22 febbraio 787 dall'arciprete Dateo).

Ordines s. Augustini	nº	LX
Domus paupertatis	»	IX
Exemptae a saecularibus	»	X
Bucharum humanarum civitatis et comitatus	»	$\overline{DCC}$
Parochiae civitatis	»	CXV
In aliquibus quarum habitant familiae	»	D
Et in aliquibus	»	M
Buchae habitancium in civitate tantum sunt	»	$\overline{CC}$
Quantitas bladi quae dispensatur seu comeditur in civitate tantum est modiorum omni die	»	MCC
Viri in civitate apti ad bellum	»	$\overline{XL}$
Equites civitatis et episcopatus	»	$\overline{X}$
Legistae et decretalistae	»	CXX
Notarii	»	MXL
Servitores	»	DC
Tubatores	»	VI
Fixici	»	XXVIII
Ciroichi	»	CXL
Magistri gramaticae	»	VIII
Doctores in cantu ambroxiano	»	XIV
Scriptores librorum	»	XL
Furni	»	CCCC
Tabernarii	»	M
Carnifices	»	CCCCXL
Piscatores	»	C
Hospites	»	CXL
Marescalchi	»	LXXX
Salarii	»	.....
Borsinarii et corezarii	»	XXI
Frisarii	»	XXXV
Armolarii et sic de supra sine numero	»	XX
Magistri sonales	»	XXX
Capitanei et Valvasores qui tenuerunt falcones et astores	»	C
Urnae lapideae idest monumenta	»	MM

in numero indicibili. Hospitia pro extraneis sunt numero CL. Quid plura? tota civitas est plena mercationibus, mercatoribus et artificibus.

Epylogus multarum nobilitatum.

Hec illustris civitas non solum excedit in artificibus et mercatoribus, ymo prepollet fere ceteris contratis in suorum civium nobilitate, que civitas citra mare est, que isti urbi possit comparari in nobilitate civium. Hic inveniuntur inter nostros cives destrarii $\overline{\text{VIII}}$, si comunitas imposuerit, hic sunt gyrefalchi, falcones, astures plures C; ancipitrum numerus computari non potuit; canes inventi sunt plures $\overline{\text{C}}$, quorum magna pars est pro venationibus nobilium. Viri bellatores sunt in civitate circa $\overline{\text{XL}}$. In universo sunt habitatores plures $\overline{\text{CC}}$; rote molendinorum sunt $\overline{\text{III}}$, et consumuntur omni die in civitate bladi modii MCC.

De quattuor nundinis generalibus et cottidianis.

Ut autem nulli possit aliquid deesse de necessariis

. . . .

In territorio Mediolani paria boum .... n° $\overline{\text{XXX}}$
Conducuntur cotidie ad civitatem plaustra LX ciresarum.
Prata carnevalis annuatim dant plaustra foeni.......... » MMM
Et in comitatu toto fiunt omni anno plaustra foeni $\overline{\text{CC}}$ et $\overline{\text{C}}$ vini.
Comburuntur in civitate omni anno plaustra lignorum. » $\overline{\text{CL}}$
Cancrorum quotidie comeduntur in civitate plus VII modiis a carnevale usque ad s. Martinum.
Quotidie mazantur boves .... » LXX
Piscium grossorum quotidie somae.................... » X
Piscium minutorum somae............................ » VI
Molandina cum rotis .... » MMMDCCCC
Consumantur salis stara .... » $\overline{\text{LXV}}$DCCCXXX
Feriae quatuor generales fiunt omni anno.
Merchati autem fiunt diebus veneris et sabati. Amen.

ad vitam, fiunt in ista civitate quatuor generales nundine, una in festo beati Ambroxii, secunda in festo beati Laurentii, tertia in festo Asumptionis beate Virginis, quarta in festo sancti Bartholomei. Insuper in civitate fiunt continue nundine bis in septimana, scilicet in die veneris et die sabati; imo nundine fiunt omni die, quia per portas civitatis et per plateas et vias ubique venalia reperiuntur.

De sepulcris nobilium.

Nobilitas nostrorum civium non solum apparet in ipsorum vita militari, sed etiam in morte circa mirabiles expensas in vestibus, testamentis et sepulturis. Inveniuntur enim urne marmoree aut ex silice vel alio quocumque lapide vivo ii, et est talis que constitit ultra xx marcas argenti.

De militari apparatu, et primo de vipera.

Antiquitus nostri cives totum suum studium in armis posuerunt. Primum quod apparere consuevit in exercitu est vexillum vipere; istud vexillum prefertur exercitui, nec licet alicui figere castra, nisi prius vipera fuerit in aliqua alta arbore collocata. Hoc privilegium est Vicecomitum (1), quorum est illud vexillum, quod datum fuit Ottoni Vicecomiti, qui super portam civitatis Ierusalem singulari duello de capite cuiusdam regis saracenorum optinuit. Depingitur enim collore azurrii anullosa

(1) Nel *Chronicon maius* dice il Fiamma che dall'istituzione dei consoli in Roma « traxit originem dignitas vicecomitatus in urbe mediolanensi, quia sub consulibus semper fuit unus vicecomes comunitatis, qui ante se portari faciebat ensem evaginatum, quia eius erat facere iudicium sanguinis.

circulis terribilibus occulis quendam rubeum sarracenum devorans.

Item archiepiscopus mediolanensis, qui in multis terris habet facere iudicium sanguinis non per se sed per aliam personam saecularem, qui dicebatur Vicecomes archiepiscopi. Hic secundum Beroldum in processionibus archiepiscopi ipsum cum baculo verzellato in manibus praecedebat cum suis famulis praeparans viam, et faciebat iudicium sanguinis super illos qui erant de foro archiepiscopi, cui in certis solempnitatibus archiepiscopus donabat cyrothecas suas et sceptrum. Tempore quo civitas ista per duodecim regebatur sub duce, fuit unus Vicecomes, cui competebat gladium evaginatum ante se portare et iudicium sanguinis facere, cui successit in dignitate et officio potestas, qui ipso facto est Vicecomes comunitatis ». E altrove: « Quia civitas fuit destructa et libri et cronicae sunt destructae, non potuit sciri quot fuerunt reges aut comites vel vicecomites usque ad tempora beati Ambroxii, quia tunc unus ex vicecomitibus dictus Ubertus Vicecomes interfecit extra portam novam quemdam maximum draconem, ob cuius meritum obtinuit ius sextarii comunitatis Mediolani, et portavit in vexillo unum sextarium depictum, et omnes eius successores dicti sunt Vicecomites de sextario usque ad tempora magni Ottonis Vicecomitis, qui viperam obtinuit » (*Polit. nov.* cap. 55). Su quest' argomento l'autore continua: « Reaedificata civitate, Vivianus condam comes a summo pontifice optinuit quod Vicecomites de cetero nominarentur, de quibus nati sunt Vicecomites de Poliate, et Vicecomites de Garbaniate, et Vicecomites de Masino, et Vicecomites de Yvo, qui antiquorum regum et comitum suorum parentum iura ac nobilitates recuperare visi sunt, et quam multipliciter ampliare. Ex his videlicet Vicecomitibus de Yvo natus est quidam nobilis Vicecomes dictus Ubertus, qui ex Berta uxore sua genuit quatuor filios et unam filiam. Primogenitus dictus est Otto, qui fuit archiepiscopus et dominus temporalis in Mediolano; alter dictus est Ubertus, qui fuit episcopus vigintimiliensis, alter dictus est Gaspar, qui genuit Petrum, qui genuit Ludovicum et Gasparum milites. Filia dicta est Beatrix, quae tradita uni ex comitibus de Curtenova genuit comitem Ottorinum. Alter filius Uberti Vicecomitis supradicti dictus est Obizo Vicecomes, qui genuit Tybaldum, qui genuit magnum Mattheum Vicecomitem et Ubertum militem patrem Vercellini Vicecomitis militis. De magno Mattheo Vicecomite nati sunt quinque filii et totidem filiae. Primogenitus dictus est Galeaz miles, qui genuit Azum militem; secundogenitus dictus est Johannes archiepiscopus mediolanensis. Tertius dictus est Luchinus miles; quartus dictus est Marchus miles; quintus dictus est Stephanus miles. Ex filiabus una tradita fuit Albuino de la Schalla, et altera Chicino de la Scalla, altera uni de Pusterla, altera uni de Mandello, altera uni de Ruschonibus de Cumis » (*Polit. novella* cap. 58).

De carrocero.

Secundum quod apparet in exercitu est carrocerum, quod excogitavit archiepiscopus Heribertus de Arziago in subsidium vulneratorum, licet postea fuerit quidam triumphus bellantium. Est autem carrocerum quidam currus habens quatuor rotas fortissimas, quem trahunt tria paria bouum in coperturis albis cum rubea cruce. Super currum erat una archa magna bicamerata et tricamerata, ubi erant unguenta, olea, confecta, syrupi, zizachare, ova, stupa cum ligaturis, et omnia que erant necessaria tam febricitantibus quam vulneratis. A summo istius arche deorsum usque ad terram pendebant pani de scarlato; in medio superius erat pertica longissima, in cuius sumitate erat crux aurea splendida quasi sol, superius erat vexillum album cum cruce rubea. Erat spetialis magister carroceri vir honorabilis, qui quocienscumque carrocerum extrahebatur per communitatem, induebatur lorica et ense accingebatur; recipiebat insuper a comunitate omni die soldos VIII. Erat etiam unus capellanus iuxta carrocerum continue cellebrans missam per comunitatem salariatus.

De curribus falchatis.

Tertium quod erat in exercitu fuerunt c currus falcati, quos magister Guitellinus excogitavit. Erant enim sex equi eiusdem magnitudinis coniuncti inseparabiliter; super dorsum equorum erant quasi naves triangulares sic facte, quod equos inferius cohoperiebant et superius homines abscondebant. In quolibet curru super navim erant homines falces prati quasi remos agitantes, et non erat exercitus ita fortis quem non exterminarent. Vidi

temporibus istis in uno exercitu super Trinum exire de nostra civitate xiiii iuga boum trahentia currus honeratos tendis, papilionibus, armaturis et lectisternis, de quo totus mundus fuit admiratus.

De tubis comunitatis.

Quartum quod apparebat in exercitu, erant sex tybicines sive trumbatores, quorum quilibet tres aut quatuor equos habuit et salarium, et duo tentoria a comunitate. Et erat clangor terribilis in nulla alia civitate auditus similis. Hii secuntur potestatem civitatis cum ad bella procederet.

De sex vexillis portarum.

Quintum quod erat mirabile spectaculum, erant sex vexilla portarum civitatis, quorum processus fuit talis: primo exibat porta romana cum vexillo rubeo, et scuta erant omnia rubea, ita quod unius porte populus poterat discerni a populo alterius porte. Porta tycinensis habet vexillum ex toto album et omnia scuta populorum alba. Porta vercellina habuit in vexillo et scutis balzanam albam superius et rubeam inferius. Alie tres porte leonibus sunt insignite, quia porta orientalis habet vexilum et clipeum albos cum leonibus nigris. Porta nova habet leones quadratos albo colore et nigro. Porta cumana habet leones quadratos albo et rubeo; unicuique porte dabatur similiter vexillum album cum cruce rubea.

De societatibus militum et populi.

Sextum erat societatum mira concordia, quia communiter in omni exercitu fiebat una societas ex ellectis

militibus numero DCCCC vel M sub aliquo vexillo spetiali, quia iurabant nunquam alicui hosti terga vertere, ymo potius mori in bello quam turpem fugam facere. Et hii semper atiebus cuneatis ad bella procedebant. Alia societas erat ex tyronibus popularibus numero $\overline{\text{II}}$ vel id circa, et isti similiter sub uno spetiali vexillo pro custodia carroceri erant, et isti similiter iurabant potius mori, quam turpem fugam facere.

De armatis militibus et populi.

Equitum aties mirabiles aderant a planta pedis usque ad verticem cohopertos fereis armis in destrariis cohopertis falleris nobilibus, qui potuerunt poni in numero indicibili. Populus armatus more regum armis coruscantibus, loricis, thoracibus, lameris, galeis, lanzeis, hensibus, clavis et scutis. Unde dicit cronica Bonvesini, quod in toto mundo non invenitur populus tam bene armatus.

Exercitus universalis congregatio.

Positis ergo in campo $\overline{\text{VIII}}$ militum nobilium nostre civitatis, adiunctis insuper $\overline{\text{XL}}$ peditum de sola civitate, veniant insuper Seprienses, illi de Marthesana, alii ex diversis burgis et terris, non erit in mundo princeps vel imperator, qui non discedat confusus. Unde Stephanardus ait:

Urbs honor Ytalie Ligurisque potentia sevi
Ambrosii decorata fuit fulgoribus almis.
Iustitiae fomes celesti sedulla cultu
Consilii radios latium diffudit in omne;
Urbibus et reliquis solita est prebere ducatum

Prudentem, ingentes et opes effundere sumptu
Magnifico, cuius victritia signa rebelles
Auditis tremuere nimis, aciemque coruscam
Armis in numero consertam milite florens.

De fortitudine nostrorum civium.

In cronica Bonvesini habetur, quod imperatores romanorum in suis exercitibus semper dabant nostris civibus primam aciem in bellis; ergo erant fortissimi bellatores. Circa hanc questionem est sciendum, quod nostri cives antiquitus fuerunt meliores homines mundi in bellis, quod continuum exercitium armorum in theatro et ypodromio circi et duellis diversis fecit eos audaces et fortes. Ipsi enim omni anno, apparente tempore estivo, quasi esset eis debitum, arma movebant nunc contra istam civitatem, nunc contra aliam, nunc contra imperatores aut reges, equos militares et alios apparatus bellicosos clamitabant. Secundo eorum fortitudo evenit ex magna membrorum complexione; ipsi enim sicut statuerant, ut nullus homo nisi xxx annorum uxorem acciperet, nec mulier virum nisi xxv annorum, ex tunc generabantur homines perfecti et corpore gigantei armorum vastitate impatientes. Tertio eorum fortitudo generabatur amore sue civitatis; nam si aliqua eis fieret iniuria, tanto fervore ulcisci desiderabant, quod nunquam cessabant, donec inimicis duplitia redidissent. Unde Actor:

Eius urbs celebris laureata Subria longis
Usuras redis edax ultrix potentia sevis
Equis belligeris volutis ungue rotondis
Balteis auratis stravisti cuspide bellis.
Urbes et lygures nec remus sanguine postes
Tinxerat tunc urbis romane vulnere fratris;

Non oblita priscis moribus vitiata malignis
Eu redis hostibus vulnera dira nimis.

De Uberto de la Cruce et Uberto et Ottone ex Vicecomitibus et Viviano.

Si ad singularia oportet descendere et de paucis per similia de ceteris arguere, ponamus exempla aliqua virorum fortium. Fuit istis fere temporibus anno Domini MCCXXXVI ex nobilibus Valvassoribus de la Cruce natus quidam dictus Ubertus magne stature ultramodum curialis et amabilis, qui destrarium in medio cursu suo amplexu violenter detinebat; equum vel asinum oneratum blado manu a terra levabat et per scallas deferebat. Hic stans super unum pedem nullis ictibus vel nexibus moveri poterat; hic si ligatus funibus fuisset in utraque manu et traheretur ad destram vel sinistram, quicquid voluisset utraque manu comedebat et bibebat; hic solus a tota militia papiensi circumdatus clava sua omnes exterminavit. Vivianus quoque athleta mirabilis, de quo miranda canuntur, ex nostro terretorio de burgo Leuci natus fuit. Ubertus Vicecomes draconem totam civitatem suo anelitu infitientem, homines et animalia devorantem per barbam areptum securi mactavit. Otto etiam Vicecomes, qui viperam optinuit, in suo scuto septem scuta depicta deferebat, quia septem virorum fortitudinem superabat. Fertur etiam quod Rolandus Karuli Magni ex sorore nepos paternali linea ex regibus Englerie descendit. Tales erant antiquitus nostri cives, quod interdum due sole porte civitatis, scilicet cumana et orientalis, regem Hentium in bello prostraverunt, et captum in campanili de Gorgonzolla incluserunt; et unum quod solvi nulla responsione potest, quod imperatores romanorum semper

mediolanenses in bellis precedere fecerunt, quod non fuisset, nisi probitas permaxima in eis experta et nominata extitisset. Sunt adhuc valde fortes et bellicosi, si negotia propria peragere eos oporteret, sed amor patrie recessit, intestina odia creverunt, et potius odiunt suam comunitatem quam dilligant.

De victoriis habitis in campo contra Federicum Barbarubeam.

Federicus huius nominis primus dictus Barbarubea antequam civitatem subiugasset, in campo cum nostris confuxit apud Carcanum, ubi superatus fuit, et exercitus expoliatus et turpiter fugatus. Alia vice apud Legnanum in campo cum nostris comparuit, et comissa pugna superatus cum solis tribus militibus in Allamaniam confusus affugit. Alia vice Arduynus imperator per cives de Mediolano superatur in campo, et vitam privatam ducere coactus fuit.

De victoriis habitis contra ecclesiam.

Contra ecclexiam etiam pluries dimicavit, nunc ultra Padum, nunc citra Padum exercitus ecclexie fuit superatus; et cum invasissent nostrum terretorium et usque ad portas civitatis attigissent, in omni loco deiecti fuerunt. Tandem in Modoëtia se receperunt, ubi nostri cives eos obsiderunt. Finaliter iuxta Vaprium vicarius pape capitur, innumerabiles capti sunt et interfecti, et sic ad suas partes expoliati, naribus et labiis mutilati et oculis orbati redierunt, que unquam civitas mundi talia mirabilia fecit.

De victoriis habitis contra Papiam.

Circa vicinas civitates stupenda et inaudita bella peregerunt, et primo dicamus de Papia, que ceteris magis extitit garula semper. Ante adventum Federici Barbarubee cives de Mediolano ad tantam servitudinem papienses posuerunt, quod iuraverunt ipsi papienses fidelitatem comunitati mediolanensi, qualem servi suis dominis prestare consueverunt. Muros sue civitatis propriis manibus diruerunt, potestatem datum per sortem a comunitate nostra omni anno acceperunt, et sic inter villas nostri comitatus computatur anno Domini MCLVII. Item anno Domini MCLVIIII nostri mediolanenses in campo ceperunt episcopum papiensem, et omnes fere papienses incarceraverunt, quos paleis accensis ad caudam abire permiserunt. Item anno Domini MCCL cives de Mediolano iterum ad tantam servitutem illam civitatem (*posuerunt*), quod adhuc iuravit fidelitatem nostre comunitati. Item anno Domini MCCXXXVIII papienses perpetuam fidelitatem post longam obsidionem iterum iuraverunt. Item anno Domini MCCCXV Matheus Vicecomes illam civitatem per aquam et per terram invasit et cepit, et perpetue servituti subiugavit; tunc ydolum Regosoris fuit ad terram distractum, laceratum capud ydoli uno floreno venditum. Item anno Domini MXXI Heribertus archiepiscopus cum populo Mediolani Arduinum imperatorem in Papia obsedit, et totam civitatem destruxit. Item unus solus miles de Mediolano dictus Ubertus de la Cruce omnes milites de Papia prostravit anno Domini MCCXXXVI. O Papia, quam es villis facta pedibus mediolanensium prostrata. Ad argumentum factum in contrarium est dicendum, quod tunc in campo de genestris non fuit populus mediolanensis sed nec militia, sed sola una societas, et vicerunt mediolanenses,

sed dediti rapinis per papienses incomodum reportaverunt. Et de omnibus supradictis sunt ystorie complete in nostra Cronica maiore.

De carroceris Cremonensium perditis numero.

At quia cives de Cremona multum gloriantur de uno nostro carrocero, videamus si potius sillere deberent. Invenimus in ystoriis, quod cremonenses perdiderunt in campo VII carrocera, que Mediolanum sunt abducta. De primo habetur istoria anno Domini MCLXXXX, de alio carrocero habetur anno Domini MCLXXXXII, de tertio habetur anno Domini MCLXXXXVI, de quarto habetur anno domini MCCXVII, de quinto habetur anno Domini MCCXXXVIIII, de sexto habetur anno Domini MCCXVIIII, de septimo habetur anno Domini MCCXXIIII. Certe si ista septem carrocera fuissent servata, unam magnam ecclexiam occuparent. Et de omnibus supradictis habentur ystorie in Cronica nostra mayore.

Cremona quatuor vicibus fuit superata per mediolanenses.

Cremona nobis semper fuit contraria, et propter hoc sibi male accidit. Nam Heribertus de Arziago noster archiepiscopus cum populo Mediolani equitans super Cremonam, terram post longam obsidionem superavit; portam civitatis ex suo nomine appellavit, illos de Dovaria ex sua parentella procreatos ibidem in dominos civitatis dimisit. Item Matheus Vicecomes eam hostiliter debellavit; postea Galeaz Vicecomes eam subiugavit; deinde Azo Vicecomes eam optinuit, de quibus omnibus habetur in Cronica maiore. Ad argumentum factum in contrarium

est dicendum, quod Cremona nunquam in campo aliquod nostrum carrocerum optinuit, quod ut clarius appareat, per ordinem ystorias aliquas ponamus.

Civitas mediolanensis nunquam perdidit carrocerum in campo.

Quatuor vicibus nostrum carrocerum fuit sublatum, sed nunquam in campo devictum; et primo quando cives nostri existentes in Crema in festo Paschatis dereliquerunt custodiendum placentinis super flumen Serrii, quo audito cremonenses ipsum carrocerum quadam nocte de manibus placentinorum abduxerunt; et sequenti die mediolanenses carrocerum suum optinuerunt, et tantam iacturam cremonensibus intullerunt, qualem numquam sustinuerunt. Et istud non fuit perdere carrocerum, sed placentini perdiderunt, et istud fuit anno Domini MCCXIII. Anno Domini MCCXXXVII cives de Mediolano, habita rupta de Curtenova per imperatorem Federicum ultimum, suum carrocerum luto infixum adducere non poterant, unde ipsum fregerunt, perticam et crucem exportaverunt, solas rotas in luto dimiserunt, quas imperator habuit et Romam in titulum glorie misit, sed nec istud fuit vincere carrocerum. Item anno Domini MCLVII mediolanenses facta pace cum Federico Barbarubea, carrocerum comunitatis ei in Laude presentaverunt, quod imperator misit Cremonam, nec istud fuit vincere carrocerum. Item anno Domini MCLX idem imperator boves carroceri optinuit, sed carrocerum habere non potuit. Ex his que dicta sunt patet, quod cives de Mediolano numquam in campo perdiderunt carrocerum.

Papia et Cremona ad ultimam servitutem sunt deducte per mediolanenses.

De istis duabus civitatibus, scilicet Cremona et Papia, que semper cum nostra civitate de pari contendere voluerunt, et ex hoc destructe sunt et vituperate, sic accidit sicut de rana que se voluit bovis magnitudini equiparare, que hausto vento se extendens et inflans crepuit, et ventus atractus exsufflavit:

Rana equat bovis, vulpis, porcella leonis;
Crepuit illa ventis, hec subcubuere ruinis.

De illibata libertate civium de Mediolano.

Non solum autem has duas civitates ad ultimam servitutem sunt deducte, ymo et cumana et laudensis in suburbia sunt redacte, sepius debellate, de quibus omnibus ystorie habentur in nostra Cronica mayore. Sed unum non est scilentio pretereundum, quod civitas nostra numquam fuit per civem Ytalie, nec per civitatem, nec in campo superata, nec servituti subiugata. Ad argumentum factum in contrarium, scilicet quod ista civitas sepius fuit destructa, dicendum est quod hoc non fuit propter populi villitatem aut civitatis imbecilitatem, sed propter alias plures causas, quas enumerare existimavi bonum in sequenti questione.

Quare civitas fuit totiens destructa.

Sunt quinque cause destructionis eius. Prima est ratione situs, est enim posita in plano Lombardie, quasi in faucibus theutonicorum et gallicorum, et ultro offert se primis insultibus hostium, qui sunt fortiores et magis

periculosi. Inde fuit quod romani de ista civitate fecerunt sibi clipeum, in quo recipiebantur ictus, et veniebant romani, audito quod aliqua barbara natio contra romanos intraret Ytaliam, et adductis legionibus militum, hic pugnabant, sicut ex istoria Eutropii manifeste colligitur. Secundo fuit aliquando destructa ratione delitiarum. Barbari enim habitantes loca aspera et frigida magis bestiis quam hominibus apta, audientes contrate delitias et vina dulcia et aeris temperiem delinquerunt illas speluncas et venerunt ad planitiem pinguedinis, et quia ista civitas est corona regni ytalici, et qui ipsam optinet, totam Ytaliam de facili possidet, totis viribus conati sunt eam primo et principaliter subiugare. Tertio fuit aliquando destructa ratione modici conscilii et minime conscideratìonis. Credit enim ista civitas esse libere condictionis, unde superiorem non recognoscit, cum tamen sit certum quod est sub imperio et in casu sub ecclesia; et quia habent pro nichilo suos superiores despicere, ideo iusto Dei iuditio interdum passa fuit plures iacturas. Quarto ratione infidelitatis; sepius enim perfidiam sapuit arrianam, albanensem, Berengarii et illorum de Concoritio; unde dicitur in legenda beati Galdini, quod tempore quo Federicus Barbarubea destruxit Mediolanum, quod iste totus populus erat arrianus. Quinto ratione inreverentie ad ecclexiam romanam et archiepiscopos et prelatos suos, de quibus habetur supra.

GALVANEI FLAMMÆ

ORDINIS PRÆDICATORUM

CHRONICON MAIUS

Epistola ad dominum Azonem Vicecomitem.

Illustri militi Flavio magnifico domino Azoni Vicecomiti civitatis Mediolani domino generali frater Galvaneus ordinis predicatorum salutem, gratiam et gloriam obtinere, principatus curam regiminis Lygurie, Emilie, Venetie provintiis, cui Dei precepto est anexum studium litterarum. Clementissimis affatibus docti scribere in regno celorum animum inclinavit de thesauro suo scientie vetera mundi exordia proferre pariter et nova, ut ibi relucerent ymagines patrum, urbis longevum exordium, inclita nobilitas civium, cumulus laudum et nullius infirmum eviterni quaterque ducti operis pro tam grandi onere suscepto invoco Virginis auxilium, Ambroxii patrocinium et Katerine subsidium. Amen.

Prelibatio contra detractores huius cronice.

Si aut fixellam iunco texerem aut folia palmarum complicarem, nullus morderet, nullus detraheret, non

enim virtus sed miseria caret invidia. Sitalus veneno manans non hominem nudum, sed aureis rutilantem vestibus dente dillaniat, et canis rabie gyrovagus Proserpinam ex alto celi fastigio latratibus agitat. Discant obdetractores huius libri non michi sed urbi detrahere, et non in Antei sortem, sed in alterius uteri progeniem declinare. Invoco testes subactos auctores numero xxiv, quia nihil nisi eorum dicta conscripsi. Legant prius quam iudicent, et addant pocius quam subtrahent, querant originalia in locis suis infra taxatis, et incipient hanc cronicam laudibus extollere, quam dente canino non conrodere sunt veriti. Nomina librorum et loca, ubi inveniri possunt, hoc ordine sunt annotata.

Si quis hic dubitat, subacta originalia querat.

In episcopatu Mediolani.

Mitrale imperatorum. - Beroldus.

In ordinaria aput Cathelolum ordinarium de Medicis.

Cronica comitum Englerie.
Cronica Desiderii contra Karulum.
Cronica Federici Barbarubee.
Cronica Pagani Vallis.

Apud magnum Matheum de Vicecomitibus.

Cronica Athlantis philosophi.
Cronica Leucipii.
Cronica Galliana. - Cronica coloniensis.
Cronica Philipi de Castro Seprii.

Apud Azonem Vicecomitem.

Pantheon Gothofredi episcopi viterbiensis.
Cronica Benzii de Alexandria.

Seutonius Paulus de XII Cesaribus.
Seutonius iunior. – Valerius Maximus.
Arosius Paulus. – Augustinus de Civitate Dei.
Solinus de mirabilibus mundi.
Virgilius Enoydos degene. - Cronica Florii.

In armario sancti Eustorgii.

Istorie scolastice. – Istoria romana.
Istoria lombarda. – Istoria tripartita.
Istoria ecclesiastica. – Istoria beati Barnabe.
Istoria martirum de Mediolano. – Ysidorus ethyarum.
Cassiodorus epistolarum. – Papias.
Speculum Vicentii de creatione pissium.
Constitutiones Clementi contra imperium.
Privilegia comunitatis bulata auro.

Apud fratrem Galvaneum de la Flamma ordinis predicatorum.

Cronica martiniana. – Chronica Stephanardi metrica.
Cronica Bonvesini. – Cronica Iacobi de Voragine.
Cronica mixta ex tribus. – Cronica archiepiscoporum de Mediolano.
Constitutiones Iohannis XXII. – Ymago mundi.
Cronica extravagans. – Ystoria guere de Modoetia.
Petrus de Palude de potentia pape.
Iacobus de potentia pape.
Thomas de regimine principum.
Thomas de operibus sex dierum.
Egidius de regimine principum.
Liber extractionis cuiusdam fratris minoris.

Apud Iohanem de Cermenate.

Titus Livius. – Iacobi cronica laudensis.

Registrum comunitatis.
Ystoria legati ad Matheum Vicecomitem.

Apud illos de Panigayrora.

Privilegia antiqua comunitatis.
Registrum potestatum de Mediolano.

Apud fratrem Lanzarotum Crotum.

Graphia auree urbis. - Cronica Datii.

In sancto Nazario.

Cronica Ptholomei episcopi. - Beda ymaginis.
Cronica Sicardi. - Vivianus theologus.
Gothofredi de Bussero. - Cronica Bb.
Cronica kallendaria.

Apud archipresbyterum ecclesie maioris.

Alexander de iure imperii.
Nicholaus super Boetium de Consolatione.
Expositio super librum de Civitate Dei.
Leo de viris illustribus.
Istoria affricana. - Istoria troiana.
Iosepus de vetustate iudeorum. - Cronica Ysidori.
Liber provintialis.

Albuinus rex longobardorum intravit Ytaliam.

Christi anno DLXVIII tertio nonas septembris haste ignee per aerem discurrere vise sunt, iruptionem longumbardorum in Ytaliam et sanguinis miram effusionem portendentes, et ipso die per montem regis, qui est in confinibus provincie Venetie, rex Albuynus Ytaliam ingressus est, et

fuerunt cum eo xx saxonum, item suevi, gepidi, burgares, sarmate, panonii, norici et universus cetus longombardorum, alii super equos, alii super boves, alii super asinos, alii in curribus cum lectisternis, et cum universo auro et argento, cum uxoribus et filiis et servis et animalibus, cum intentione perpetuo in Ytalia permanendi. Et fuerunt cum rege Albuyno regina Rodolinda mater eius et uxor et filia, et duo eius nepotes, scilicet Gysulphus et Cleph. Et cum intrasset Ytaliam, optinuit Trivisium, ubi instituit ducem Gysulphum nepotem suum. Item superavit Veronam, Aquilegiam et omnes provintie Venetiarum civitates, excepta Padua, Mantua, Montesilicis; Gysulfum nepotem suum forlivianis prefecit, et ad subiugandam Liguriam aspiravit. De isto Gysulpho natus fuit dux Evardus pater Berengarii imperatoris Ytalie.

Albuynus intravit Papiam.

Erant tunc temporis in Ytalia tres principes hostes Albuyni regis, scilicet Longinus, quem Iustinus imperator fecerat Ytalie patritium, et iste residebat in Ravena. Alius dictus est Theudebertus rex genere gallicus, et iste presidebat in Papia, et Milo rex ex comittibus Englerie, et hic habitabat in Mediolano. Isti tres congregaverunt contra regem Albuynum exercitum, in quo fuerunt iiiicccc milites, et iusta Veronam in prandensi campo convenerunt. Occurrit Albuinus, pugna committitur, et a mane usque ad sero dimicatur, et sic diebus xv pugnatum est. Finaliter condicitur quod rex Albuynus cum rege Theudeberto singulare duellum committat, et qui vincerit, pro rege et universali domino habeatur. Tunc aliqui papienses, prout sunt quasi a natura subdoli, ordinaverunt quemdam subdiaconum ecclesie papiensis

virum fortissimum sub armis regis Theudeberti cum Albuino dimicare, et inita pugna subdyaconus de equo prosternitur. Cognoscens Albuinus fraudem iuravit quod civitatem papiensem fonditus everteret, unde ipsam obsidere cepit, quam aliqui papienses proditorie regi tradiderunt; quam cum ingrederetur cum intentione destruendi, equus eius genuflexit, nec quantumcumque calcaribus stimulatus surexit, donec rex impium votum revocavit; quam ingressus ibidem palatium permaximum erexit, quod columpnis marmoreis ornavit anno tertio ab introitu suo in Italiam.

Honoratus archiepiscopus mediolanensis et civitatis destructio.

Christi auno DLXXI eminente in Roma Pellagio papa, imperante Iustino iuniore in Constantinopolim, beatus Honoratus fuit factus archiepiscopus mediolanensis et sedit annis tribus, et arriani ellegerunt alium archiepiscopum; unde dicit ystoria lombarda, quod tunc temporis in qualibet civitate erant duo episcopi, unus catholicus et alter arrianus, sicut in civitate papiensi, quia ibi erat unus episcopus arrianus dictus Anastaxius, qui residebat in ecclexia sancti Euxebii, et alter erat catholicus, qui tenebat baptisterium. Tunc temporis, ut dicit cronica Datii, in civitate Mediolani innumerabiles vermes et crudelissimi invalluerunt, qui cives occiderunt, aut de civitate fugere coegerunt. Ex hoc rex Albuynus civitatem hanc hostiliter invasit, quam inveniens vacuam pugnatoribus faciliter superavit, atque pro parte destruxit die tertio septembris. Et ista fuit nostre civitatis XIII destructio. Millonem regem ex comitibus Englerie regali dignitate privavit et ad comitis gradum deduxit. Et dicit

cronica Iacobi de Voragine, quod rex Albuinus Mediolanum et totam Liguriam cepit, totam Alpiscotiam subiugavit, excepta Ianua et riperia ianuensi. Et ideo beatus Honoratus archiepiscopus mediolanensis, ut dicit cronica Datii, cum omni thesauro ecclexie Ianuam fugit et statim reddiit, et regis Albuyni adepta mirabili gratia, ab ipso privilegium optinuit, quod omnia castra et possessiones archiepiscopatus mediolanensis ab omni gente et ab omni rege illesa permanerent, et ipse cum cardinalibus apud Noxetam habitavit.

De morte regis Albuini.

Rex Albuynus cum totam Ytaliam superasset, et de cetero Longombardiam appellari iussisset, versus Veronam perrexit, et cum in die festo cum Rosinmonda regina cenaret, cyphum ex carneo (1) soceri sui, vino plenum apportari precepit, et regine ut biberet porecxit. Et ait: o regina, modo cum patre tuo bibisti. Quo audito risum simulavit, sed intus in furorem femeninum conversa fuit, et interfectione regis et patris sui ultione tractare cepit. Et primo advocavit Elmogym regis collactaneum virum fortissimum, cui persuasit ut regem interficeret et regnum subriperet, et ipsam in uxorem haberet, quem cum nullo modo flectere posset, ipsum inebriavit et dormienti se subposuit, quam ignoranter cognovit. Facto mane, regina dixit: O Elmogis, ecce cum regina iacuisti, et regi contumeliam intulisti; aut facies quod voluero, aut regi te

(1) Cioè il cranio di Cunimondo re dei Gepidi, padre di Rosmunda, ucciso da Alboino suo nemico. Quest'ultimo avea fatto legare in oro quel teschio, e in quello beveva; invenzione veramente barbarica e quasi incredibile, se non fosse attestata da Paolo Diacono, che assicura d'aver veduta quell'orrida coppa mostratagli da re Rachis.

acusabo. Timuit Elmogis verba regine, et mortem regis consensit, et fuit cum eo Asprandus princeps. Quadam vice cum rex dormiret, regina eius gladium, quod erat ad capud lecti, corrigia involuit tam fortiter quod vibrari non posset; tunc supervenerunt isti duo et regem invaserunt, qui cum gladium arripuisset, nec extrahere potuisset, securi percussus occubuit anno introitus sui in Ytaliam quarto; et filiam unicam dimisit, que dicta est Albiscinda. Hec ex ystoria lombarda et Pantheon.

De morte Rosimunde regine.

Interfecto rege Albuino, Rosinmunda regina uxor eius cum Elmogyn viro suo et Albiscinda filia Albuyni de Verona usque Ravenam fugit cum omni thesauro regis, et cum videret in Ravena Longinum Ytalie patritium Iustini imperatoris vicarium virum esse decorum, ipsum adamavit. Ex hoc Elmogyn viro suo venenum in balneo propinavit, quod ut ille presensit, ipsam venenum similiter bibere coegit, et sic ambo homicide in balneo vitam pariter finierunt. Longinus patritius Albiscindam filiam regis Albuyni cum omnibus thesauris patris sui in Constantinopolim ad Iustinum imperatorem transmisit. Rosinmunda in sepulchro Ravene tumulata fuit, in quo sic scriptum habetur: In hac tumba Rosinmunda non rosa munda.

Cleph secundus rex longobardorum.

Anno Christi DLXXII principes longobardorum nimis tristes effecti de morte Albuini regis domini sui, in unum congregati ellegerunt sibi in regem Cleph regis Albuyni ex fratre nepotem, qui cum vellet in civitate Mediolani in regem longobardorum coronari, cives de Mediolano

propter odium Albuini, qui hanc civitatem destruxerat, ei coronam et civitatis introytum negaverunt, et tunc in Papia fuit coronatus. Hic Gallias cum valido exercitu intravit, et Guntrandi regis aurelianensis potentias conterruit et ipsum capite privavit. Et reddiens in Ytaliam Papiam pervenit, ubi per papienses tosicatus vitam finivit anno regni sui uno cum dimidio, et Authari filium suum parvulum regni heredem instituit, et vacavit regnum annis x. Et facti sunt per Lombardiam duces xxx, et in civitate Mediolani, ut dicit ystoria longobarda, factus fuit dux quidam nomine Alionus, et cronica Danielis dicit quod fuit filius Milonis regis ex comitibus Englerie, et rexit hanc civitatem annis x.

Frondus symoniacus Archiepiscopus mediolanensis.

Christi anno DLXXIIII, eminente in Roma Benedicto primo, imperante Iustino iuniore in Constantinopolim, Frondus symoniacus invadit sedem mediolanensem annis sex. De isto dicit cronica Datii, quod mortuo Honorato archiepiscopo, cum instaret pastoris electio, Frondo vir nobilis et potens sparsis in populo muneribus electionem impedivit, et ad Iustinum imperatorem usque in Constantinopolim convolavit, cui auri pondera multa donavit, et tunc imperator ipsum de archiepiscopatu Mediolani per baculum et anulum investivit; et ut imperator suam symoniam palliaret, tribuit ipsi Frondoni in territorio Mediolani unum magnum comitatum, ut sic videretur pecuniam recepisse non pro episcopatu, sed pro comitatu. Et tunc Frondo ad civitatem mediolanensem cum gloria remeavit, omnia bona ecclexie et thesauros consumpsit; calicem auri immensi ponderis, quem Theudosius primus ecclexie mediolanensi donaverat, et beatus Ambrosius

ipsum consecraverat, conflavit, et omnia mala fecit. Tunc quidam sacerdos ecclexie sancti Pauli ad compitum [1] ei symoniam imposuit, nec ei obedire voluit. Iratus Frondo ignem copiosum in platea sancti Ambroxii succendi iussit, et ibidem illum sacerdotem proyici, quod Deus non permisit, ymo ignis se levavit in modum rote, et circumvolvendo se ipsum Frondonem per plateas et vicos persecutus fuit, qui dum multis stipatus militibus de civitate fugeret, et ad nemus, quod dicitur Caminandella, iuxta puteum qui dicitur Averanus, pervenisset, quedam paludes os aperuit et ipsum vivum deglutivit. Hec cronica Datii.

Laurentius secundus Archiepiscopus mediolanensis.

Christi anno DLXXX, eminente in Roma Pellagio secundo, imperante Tyberio Constantino in Constantinopolim, Laurentius huius nominis secundus factus archiepiscopus

(1) Espone il Fiamma quali erano i diversi gradi del clero nel sec. IV: « Ut habetur ex BB., inter hos clericos erant aliqui cardinales, aliqui ordinarii, aliqui deucumani. Unde dicit BB., quod in primo scrutinio sabati sancti sunt duo levitae sive dyacones cardinales cum sex presbyteris centeni numeri. In secundo scrutinio sunt ordinarii cum presbyteris XII; in tertio scrutinio est archiepiscopus, qui habet mitram et iuxta calcaneum facit nexum de sandalibus in modum calcariorum in signum quod est rex et pontifex. Item dicitur ibidem, quod archipresbyter est primus super episcopos cardinales, et archidyaconus est super septem dyacones cardinales. Et infra dicetur quod Vicecomes archiepiscopatus in nativitate Domini et in festo Ss. Stephani et Iohannis Evangelistae et in festo Paschatis in processionibus praecedit archiepiscopum cum suis servitoribus, praeparando illi viam cum flagellis ligneis et scissis; et tunc archiepiscopus donat Vicecomiti ferulam et cyrothecas. De decumanis facit mentionem ibidem BB. in officio sabati sancti, ubi dicitur quod unus cardinalis stat in uno latere circa crismon et duo deucumani ex alio. Quid autem sit deucumanus, limes aut cardo, quaere in Papia. Item instituit beatus Ambroxius viros X clericos, qui dicuntur vegiones, et aliquas mulieres in habitu monialium, quae ministrarent panem ac vinum » (*Chron. mai.*).

mediolanensis sedit annis xviii et mensibus vii. Isto tempore vacabat regnum longobardorum, et Alionus dux ex comitibus Anglerie vir christianissimus regebat hanc civitatem. Isto tempore in Nillo fluvio syrene in spetiem virorum et mulierum vise sunt ab exercitu romanorum; super fluvium Danubium in Alemania puer natus est sine manibus et brachiis et sine oculis, a lumbis ante erat quasi piscis. Tunc temporis vestis Christi inconsutilis in Yerusalem portata fuit. Gothi apud Toletum deposita arriana perfidie, et angli orientales veram fidem catholicam receperunt. Sol obscuratus fuit, et tertia pars civitatis Antiochie corruit. Obiit Laurentius archiepiscopus mediolanensis exul in civitate ianuensi, et iacet in ecclexia sancti Syrii de Ianua.

Authari rex longobardorum tertius.

Anno Christi dlxxxv regnum longobardorum, quod interruptum fuerat annis x, reflorere cepit, quia maiores natu de Mediolano, de Verona, de Placentia congregati in palatio maiori urbis ellegerunt in regem Lombardie Flavium Authari filium regis Cleph supradicti, et fuit coronatus corona ferrea in parva ecclexia sancti Michaelis iuxta sanctum Ambroxium. Hic coegit xxx duces, qui fuerant in Lombardia annis x, dare medietatem suarum pecuniarum ob regni instaurationem, et vadens in Alemaniam Theudelinam virginem pulcerrimam filiam Grimoaldi regis Bavarie in uxorem duxit; et venit in Italiam cum ipsa Gunthvaldus frater eius et alii tres fratres propinqui Theudoline, scilicet Martigonus et Comes et Rubeus. Tunc Flavius rex Authari Gunthvaldum fratrem Theudoline regine instituit ducem astensem, qui genuit Ariperth, qui postea fuit rex. Aliis tribus consanguineis

ipsius regine donavit castrum Seprii, de quibus descenderunt tres parentelle, quia de Martigono nati sunt illi de Martigonibus, de Comite nati sunt illi de Cystellago, de Rubeo nati sunt illi de Rubeis; et isti omnes usque hodie magna iura in castro Seprii (possident).

Columpna Authari.

Flavius rex Authari vir ultra modum bellicosus in principio regni sui habuit hostem quemdam, qui dictus Droulf, qui se communiverat in terra dicta Bressellus in ripa Padi. Ex hoc iratus rex exercitum congregavit, et terram de Bressello fonditus evertit. Omnes civitates Lombardie, Thuscie optinuit, omnes insulas in mari superavit, omnia castra et omnia montana humiliavit. Finaliter Romam invasit et violenter intravit et imperium ionianum usurpavit, Apulliam, Sicilliam, Calabriam et omnes circumstantes civitates sibi obedire coegit; et in civitate Regio, que est in Calabria super mare, in ipsa ripa maris columpnam erexit, quam sua hasta tangens ait: Hunc usque fines longobardorum erunt, que columpna usque hodie stat et dicitur columpna Authari regis; sicque hic rex in bellis Alexandro simillimus regna XVIII, que in Ytalia sunt constituta, sub longobardorum regum sub una monarchia conclusit. Eius potentiam pertimescens Laurentius archiepiscopus mediolanensis ad civitatem ianuensem fugit, ubi mortuus fuit, ut supra dictum est.

Mauritius imperator constantinopolitanus.

Christi anno DLXXXV, eminente in Roma papa Pellagio secundo, sedente Laurentio archiepiscopo Mediolani, Mauritius ex Capadotia primus de genere grecorum factus

imperator constantinopolitanus imperavit annis xxi. Isto tempore Alionus ex comitibus Anglerie, quem Flavius rex Authari ducatu civitatis mediolanensis privaverat, contra ipsum regem se erexit, et de civitate hac eius dominium extirpavit. Ex hoc rex cum Theudolina regina se in Papia communivit. Mauritius autem imperator constantinopolitanus considerans regis Authari mirabilem prosperitatem, et quod absque imperatoris iussione regnum longobardorum in Ytalia invaluerat, ut dicit ystoria lombarda, misit ad Childebertum regem francorum $\overline{v}$ siculos argenti, ut regem Authari de Italia expelleret. Qui intravit Ytaliam et venit Mediolanum, et rex Authari se communivit in Papia, et nichil actum est. Abiit Childebertus rex franchorum et secunda vice reddiit, et semper a rege Authari superatus fuit. Et abiit in Franchiam et tertia vice in Ytaliam reddiit, et fuerunt cum eo xxx duces, inter quos tres fuerunt insigniores, scilicet Adoaldus et Oldo et Celtinus, et in introitu Ytalie pervenerunt Belizonam castrum fortissimum, ubi dux Oldo pugnans contra castrum sagitta perfossus est. Sex duces civitatem mediolanensem sunt ingressi, et ut dicit ystoria lombarda, Flavius rex Authari in civitate papiensi stabat communitus; ceteri vero in locis tutissimis se collocantes a franchis ledi non potuerunt. Estivo autem tempore franchi aeris intemperiem non sustinentes, fere omnes desenterie morbo perierunt. Cum istis autem franchis sive theutonicis intraverunt comites de Turrigia ex civitate Turrego, et valvassores Crivelli ex castro Crivello quod est in Alemania, multeque alie nobiles parentelle, quarum nomina non habentur.

Authari rex moritur.

Flavius rex Authari considerans cives de Mediolano sibi esse rebelles, honorem corone ferree ad burgum de Modoetia transtulit; et cum esset in Papia, tosicatus fuit sicut et rex Cleph pater eius; qui videns se morti propinquum et absque liberis, Theudolinam uxorem suam regni longobardorum heredem instituit, et iacet in Papia. Tunc inollevit proverbium: civitas mediolanensis est corona regum, et Papia sepultura, quasi dicens in Mediolano reges incipiunt regnare, et in Papia regnum finitur, quod ibi multi reges fuerunt tosicati, proditi et interfecti.

Theudolina regina longobardorum.

Anno Christi DLXXXXI Theudolina regina in sua viduitate regnavit in regno longobardorum annis duobus. Huic regine christianissime beatus Gregorius papa scripsit quatuor libros de vitis sanctorum patrum, et dialogorum et epistolam christianissimam, et misit ei maximam multitudinem reliquiarum. Hec communivit castrum Seprii et burgum de Modoetia, ubi construxit pallatium permaximum et fortissimum. Hec cum esset vidua et prolem non haberet, de consilio principum suorum accepit in virum Agynulfum, qui dictus est Ago, ducem civitatis thaurinensis, et in oppido Laumello de mense novembris nuptie celebrate fuerunt.

Agynulfus rex longobardorum quartus.

Anno Christi DLXXXXIII Flavius rex Agynulfus regnavit in regno longobardorum annis XXIII. Hic erat gentillis

et adorabat viperam auream et quasdam arbores. Cum autem omnes principes essent congregati in civitate Mediolani, ab omnibus est rex levatus, et in burgo de Modoetia corona ferrea est coronatus. Ipse genuit ex regina Theudolina filium qui dictus est Adoaldus, qui natus fuit in palatio de Modoetia, et per beatum Secundum episcopum tridentinum baptizatus, qui postea fuit rex. Item genuit Gundebergam, que postea fuit regina; item genuit aliam filiam, que dicta est Gisla, et fuit uxor Gudescalci ducis parmensis civitatis. Hic rex ad instantiam uxoris Christi fidem recepit, et per beatum Barbatum episcopum beneventanum baptizatus fuit anno Christi DC, qui viperam auream regis ydolum in callicem conflavit; et post sex annos a suo baptismate, ut dicit Gothofredus de Bussero, civitatem cremonensem fonditus evertit, Mantuam, Bressellum igne ferroque vastavit, castrum de Vultolina destruxit, cultum divinum et possessiones ecclexiarum ampliavit, Laurentium archiepiscopum Mediolanum ad suam sedem revocavit, Theudeperti regis francorum filiam filio suo Adoaldo in sponsam accepit. Ipsum filium suum in civitate Mediolani in ypodromio circi in presentia legatorum regis francorum ferrea corona coronari fecit, et secum regnare concessit.

Ecclesia sancti Iohannis de Modoetia.

Beata Theudolina ad honorem beati Iohannis Baptiste in burgo de Modoetia ecclexiam construxit, et ipsum beatum Iohannem longobardorum patronum instituit. Reliquias sibi per beatum Gregorium papam missas in ipsa ecclexia decenter collocavit; thesaurum maximum donavit, scilicet calices, lapides pretiosos, gallinam auream cum pullis et plura alia ornamenta contulit sub

hac forma, ut habetur in ystoria lombarda; hanc donationem corroboravit dicens: Offert gloriosissima regina Theudolina una cum filio suo Adoaldo de dotibus suis cartulam donationis, quam qui infringere ausus fuerit, cum Iuda proditore eternis ignibus crutietur. Et voluit istos versus in marmore sculpiri, et in ecclexia sancti Iohannis, ubi mortua iacet, appodiari:

Condidit hoc templum multa virtute colendum
Theudolina potens, regni diademate pollens
Pro se pro natis votum dulcedine matris
Christi Baptiste, cui sacratur locus iste.
Hunc nostre gentis capud voluit esse decentis
Longobardorum talemque parare patronum.

Constantinus archiepiscopus mediolanensis.

Christi anno DLXXXXIX, eminente in Roma beato Gregorio papa, imperante Mauritio in Constantinopolim, Constantinus factus archiepiscopus mediolanensis sedit annis XVII. Huic beatus Gregorius multa scripsit, et dicit cronica Datii, quod fuerat iste Constantinus ecclexie romane dyaconus, et factus archiepiscopus audiens quod beatus Gregorius omnia officia ecclexiastica in unum offitium conflaret, timens ne propter hoc offitium ambroxianum destrueretur, militum turmis vallatus et omnibus suis suffraganeis sociatus Romam perrexit, et secum portavit omnes libros ambroxianos, et pape in consistorio in presentia cardinalium presentavit; et tanta lux super illos apparuit, quod omnes cardinales et clerici quasi mortui ceciderunt. Beatus Gregorius libros perlegit, ac per omnia offitium ambroxianum laudavit et approbavit; et multa inde extrahens offitio suo romano adiunxit, et quidquid

extraxit, beato Ambroxio annotavit, dicens ymnus ambroxianus, oratio ambroxiana et sic de aliis. Quo facto, libros restituit, et ex tunc ecclexia romana offitio beati Gregorii, et ecclexia ambroxiana offitio beati Ambroxii contente fuerunt usque ad tempora Karuli magni secundi.

Archiepiscopus mediolanensis eligere debet imperatorem.

Beatus Gregorius papa a Mauritio imperatore iniurias multas passus est, quod cum Deus sustinere non posset Christus in cruce pendens imperatori per visum apparuit, et terribilibus oculis exclamans ait: Date Mauritium, date Mauritium et ad Focham ducite; et statim cum esset in Calcedonia, Fochas eum cepit et ipsum cum uxore et filiis capite privavit. Hec Pantheon. Cum autem papa Gregorius conscideraret imperatores constantinopolitanos in multos errores et scisma incidisse, et ex alia parte longobardi in Ytalia ecclexias perturbabant, ordinavit de consensu senatus, imperio constantinopolitano in Oriente perseverante, quod imperium occidentale in civitate mediolanensi vigeret, ubi antiquitus imperatores suas sedes constituerunt. Et ut dicit cronica Filipi de castro Seprii, statuit beatus Gregorius papa de consensu senatus, quod archiepiscopus mediolanensis, convocatis omnibus suis suffraganeis episcopis, eligeret unum virum virtuosum et imperio aptum non in imperatorem sed in comitem totius Ytalie, qui per archiepiscopum mediolanensem coronaretur in Modoetia corona ex palleis contexta et turgentibus spicis reddimita; et tunc dicebatur comes Ytalie, cui archiepiscopus mediolanensis cum suis suffraganeis daret omni anno c marcas auri purissimi, et vallebat marca c

libras tertiollorum. Hic comes statim recepta corona in Modoetia tenebatur continuatis dietis ire Romam, et per manum pape ibi debeat coronari corona argenti, et tunc dicebatur non iam comes sed Ytalie rex; postea reddire debebat versus Mediolanum, et iterum per archiepiscopum coronatur corona ferrea, et tunc erat ellectus rex romanorum, quem papa tempore suo ipsum Romam vocabat, ut ibi reciperet coronam imperialem. Si autem archiepiscopus mediolanensis a regni vacatione comitem Ytalie non elligeret infra dies XIV pro illa vice cadebat a iure suo, et ellectio pertinebat ad papam. Hoc privilegio usi sunt archiepiscopi de Mediolano, sicut expresse habetur de Valperto et Heriberto et pluribus aliis archiepiscopis.

Modus coronationis imperatoris in sancto Ambrosio.

Ordo coronationis, qui fit in ecclexia sancti Ambroxii, est talis, secundum quod colligitur ex cronica comitum Anglerie, quod quando rex romanorum vult recipere coronam regni Ytalie in ecclexia sancti Ambroxii, quod imperator primo debet ire iuxta columpnam marmoream, que est extra ecclexiam, et unus ex comitibus Anglerie debet presentare imperatori unum missale, et imperator iurare quod erit obediens pape et ecclexie in temporalibus et spiritualibus, et de hoc debet fieri publicum instrumentum. Et postea archiepiscopus vel abbas sancti Ambroxii debet ipsum coronare corona ferrea super Ytaliam; quo facto imperator debet amplexari columpnam illam marmoream rectam in signum quod in ipso erit iustitia recta. Tunc comes Anglerie debet presentare imperatori Christum in cruce crucifixum, et imperator debet osculare pedes Christi crucifixi. Postea comes

Anglerie cum cruce ellevata debet intrare ecclexiam et imperator debet sequi; et cum pervenerint ad introitum chori in dextra, ubi est ymago Herculis tenentis leonem per caudam, imperator debet osculare pedes illius ymaginis propter reverentiam ad reges Anglerie, qui portabant illam ymaginem in vexillo. Deinde comes Anglerie cum cruce ellevata debet accedere ad altare sancti Ambroxii, et imperator coronatus debet eum sequi, et comes debet ellevare coronam de capite imperatoris et ponere super altare sancti Ambroxii, et imperator debet genuflectere coram altare, et archiepiscopus vel abbas debet imperatori suam benedictionem dare. Postea comes Englerie restituit coronam capiti imperatoris. Tunc duo ex Cottis porte nove induti cottis albis debent imperatorem ponere super cathedram, et comes Anglerie debet osculari dextrum pedem imperatoris. Postea debet fieri publicum instrumentum, quod imperator iuravit obedire mandatis ecclexie, et per tres dies debet imperator ire viam suam versus Romam, et associat eum archiepiscopus mediolanensis.

Glosa. Et de Ottone primo legitur, quod quando debuit coronari in sancto Ambroxio, quod deposuit omnes regias vestes, et in modum subdyaconi indutus fuit stricta cum manipulo in sinistra manu, et finita missa archiepiscopus eum confirmavit in imperio Ytalie et oleo inunxit, et coronam capiti eius imposuit, et dixit: Corono te in regem Ytalie, Normandie et Saxonie. Deinde imperator optulit super altare clamidem imperialem et baltheum et ensem, bipennem et lanceam, in qua erat unus clavus passionis Christi, et ecclexie sancti Ambroxii donavit pallatium imperiale magnum, quod erat iuxta ecclexiam sancti Ambroxii. Eius uxor dicta Athleyta Agusta relicta condam Lotharii imperatoris, dum coronaretur, donavit altari beati Ambroxii carbunculum pretii $\overline{x}$ florenorum auri.

Modus coronationis imperatoris in Roma.

Ordo coronationis imperatoris in Roma est talis, prout habetur in cronica kalendaria. Instante tempore coronationis imperatoris in Roma, imperator vestitur veste bisina intesta auro et gemmis pretiosis, et habet in manu duas cyrothecas de lino bisino accinctus ense cum calcaribus aureis. In capite portat dyademam, in dextra portat sceptrum et in digito habet unum annulum episcopalem, in sinistra habet pillam auream. Tunc papa sustentat imperatorem in dextra et archiepiscopus mediolanensis in sinistra, et tunc imperatorem ante portatur crux plena ligno dominico et lancea sancti Mauritii, et sic imperator vadit versus ecclexiam ubi debet coronari, et incipitur missa, et ante evangelium imperator consecratur et benedicitur. Finita missa imperator vadit versus pallatium suum et prandet; post prandium imperator induitur veste viridi, et in capite eius ponitur mitra alba habens desuper circulum patritialem, et vadit ad ecclexiam ad vesperas. Altero die papa de altari beati Petri sumit romanam coronam et ponit super capud imperatoris, et vadit ad scallarum gradus, ubi est senatus. Postea ascendit equum et equitat per omnes plateas, et ab omnibus alta voce salutatur, et cum pervenerit ad fores ecclexie constantiane, ibi sedecim scole suscipiunt imperatorem, et cum mirabili letitia intrat ecclexiam et audit missam. Tertio die coronatus pergit ad sanctum Paulum; quarto die coronatus vadit de ecclexia Bethleem ad ecclexiam Yerusalem. Aliis tribus diebus celebrat cum papa sinodum pro emendandis negligentiis sacrorum ordinum; deinde cum sapientibus tractat de dispositione rei publice.

Glosa. In libro de iure imperii habetur, quod tempore quo papa coronat imperatorem et benedicit, sumit

gladium in vagina de altari et dat ipsum imperatori inuncto, et dicit: Accipe gladium de super corpore beati Petri sumptum per manus nostras licet indignas, vice tamen apostolorum et auctoritate consecratas, imperialiter tibi concessum ad vindictam malorum et laudem bonorum. Tunc imperator extrahit gladium de vagina et vibrat tribus vicibus; postea papa accingit illi ensem et dicit: Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime; et attende quod sancti non in gladio sed per fidem vicerunt regna.

Alionus dux mediolanensis.

Constantinus archiepiscopus mediolanensis, ut dicit cronica comitum Anglerie, concessit Alioni duci [1] eiusque successoribus, qui iure hereditario sunt comites Englerie, ut reciperet certos redditus de ellectione archiepiscopi, episcoporum et abbatum. Isto tempore Chosdras rex Persarum Ierusalem cepit, et lignum sancte Crucis

(1) Affatto favolosa è la leggenda di questo duca e quella dei re e dei conti d'Angera raccontata dal cronista Daniele, ed inventata nel sec. XIV per adulare i Visconti, che da quelli si facevano discendere. Il Fiamma però enumera a suo modo i diritti e gli obblighi dei duchi longobardi: « Duces eligebantur ad vitam, sicut modo fit venetis. Cum erat electus, ipse erat dux Burgariae et marchio Marthexanae et comes Seprii; erat heres omnium sine herede decedentium, ius staterae communitatis erat suum. De quolibet homine nato nuper recipiebat unum denarium illius grossae monetae. De quolibet curru lignorum recipiebat unum, de qualibet sporta piscium unum communem. Et ipse iurabat defendere populum in omni casu, turbationes civium sedare, orphanis et viduis praesidium esse, ecclesiarum iura et clericorum honores constanter conservare, perfidos et latrones destruere, mercatoribus iter securum praestare. Et propter ista merita quasi Deus adorabatur a populo. Primus dux civitatis fuit natione mediolanensis dictus dux Stilico. Eius palatium et communis curia eius fuit ubi nunc est ecclexia sancti Petri ad quercus; et illa curia erat sicut modo est broletum. Haec cronica Datii » (*Chron. mai.*).

exportavit, et Ebruinus monachus factus est maior domus franchorum.

Deodatus archiepiscopus mediolanensis.

Christi anno DCXVI, eminente in Roma Bonifatio quinto, imperante Heraclio in Constantinopolim, Deodatus archiepiscopus mediolanensis sedit annis XXVIII, mense uno. Cronica Datii dicit quod mortuo Constantino archiepiscopo, clerus ellegit in archiepiscopum beatum Deodatum, ex altera parte arriani et longobardi elegerunt quemdam Agyulfum. Tunc missi sunt Romam legati ad summum pontificem pro confirmatione; papa autem misit Mediolanum Panthaleonem notarium suum, qui beatum Deodatum in archiepiscopatu confirmavit. Isto tempore in Affrica Bachometus virorum pessimus predicare cepit; et dicit Pantheon quod ex patre gentili et ex matre iudea natus fuit, et fuit pauper et orphanus, et factus est mercinarius cuiusdam vidue, que dicta fuit Aldigena, que erat dives nimis, et tandem accepit eam in uxorem, ex cuius dote factus est ditissimus. Et collegit multos homicidas et latrones et predones, et interfitiebat homines et expoliabat mercatores; et ut sua paliaret facinora, dicebat quod Deus miserat eum in mundum non ad fatiendum miracula, sed ad affligendum in gladio viros istius mundi. Et dicebat quod erat propheta, et decem angeli famulabantur ei. Hunc seducere populum docuit Sergius monachus et apostata, et cum esset epillenticus, quociens cadebat, dicebat se fuisse raptum ad celum. Insuper habuit XVII mulieres uxores. Quadam vice quedam mulier in agno assato posuit venenum, et ipsum Bacometum tosicavit; qui videns se morti propinquum, vocavit amicos et discipulos, et ait: ecce morior, sed

die tertio resurgam, et in celum cum corpore ascendam; cavete diligenter ne me sepeliatis. Mortuo eo, cum per tres dies expectassent quod resurgeret, non resurrexit, imo fetor mirabilis de eius corpore exivit, propter quod unus trumphator reputatus fuit. Eodem tempore arriani instituerunt in ecclexia aquilegensi Iohannem arrianum patriarcham, et catholici instituerunt Candidianum, qui in Aquilegia residere non valens in Gradus sedit. Ex tunc duo patriarche ibidem fuerunt.

Adoaldus longobardus rex quintus.

Anno Christi DCXVI Adoaldus filius Agynulfi regis et beate Theudoline, quem pater in sua presentia fecerat coronari in Mediolano in ypodromio circi, regnavit annis x. Istius regis uxor fuit filia Theudeperti regis franchorum, de qua prolem non suscepit, qui finaliter mente captus, Arialdus longobardus eum de regno eiecit, et regnum optinuit.

Arialdus longobardorum rex sextus.

Anno Christi DCXXVI Arialdus longobardus, eiecto Adoaldo de regno, regnum usurpavit, et regnavit annis XII. Hic fuit coronatus argentea corona secundum privilegium beati Gregorii pape in ecclexia parva sancti Michaelis iuxta sanctum Ambroxium. Isto tempore, ut dicit istoria longobarda, erant in qualibet civitate duo episcopi, unus catholicus, alter arrianus; et quia Arialdus rex erat arrianus, ideo Deodatus archiepiscopus mediolanensis fugit ad civitatem ianuensem, et Agyulfus arrianus, qui cum Deodato fuerat in discordia electus, sedem mediolanensem usurpavit. Isto tempore Sysebundus rex

gothorum iudeos ad Christi fidem convertit, multas civitates romanorum subiugavit, et ex tunc romanorum potentia deficere cepit. Eodem tempore Bacometus heresiarcha collecto saracenorum exercitu regnum Persarum optinuit.

Rothari longobardorum rex septimus.

Christi anno DCXXXVIII mortuo Arialdo arriano rege longobardorum, Rothari longobardus arrianus rexit annis XVI. Hic genuit filium, qui dictus est Rodoaldus, qui postea fuit rex. Hic secundum privilegium beati Gregorii pape fuit in Mediolano coronatus corona argentea; et incepit regnare, sicut dicit ystoria lombarda, anno ab ingressu longobardorum in Ytaliam LXXVII. Iste fuit vir iustus, et codicem qui dicitur lombarda composuit. Item fuit vir fortis et strenuus nimis; ipse thuscis et romanis permaximas strages intulit. Item fuit perfidus arrianus, ideo Agyulfum arrianum episcopum defendebat, et Deodatum verum archiepiscopum in exilio Ianue detinebat. Iacet Modoetie.

Ansterius archiepiscopus mediolanensis.

Christi anno DCXLV, eminente in Roma Martino papa, imperante Constante heretico in Constantinopolim, mortuo Deodato archiepiscopo in exilio apud Ianuam, Ansterius factus archiepiscopus sedit annis X cum dimedio. Hic propter regem Rothari arrianum Mediolani stare non audebat. Isto tempore patriarcha aquilegensis et archiepiscopus mediolanensis in invicem se consecrabant, ut habetur in *decretis XIV q. I Pudenda*. Et ideo in signum mutue consecrationis archiepiscopus mediolanensis dedit

episcopatum cumanum patriarche aquilegensi, et patriarcha dedit episcopatum feltrensem archiepiscopo mediolanensi. Ex tunc episcopatus cumanus fuit exemptus ab archiepiscopo.

Rodoaldus longobardorum rex octavus.

Anno Christi DCLIV, mortuo rege Rothari arriano, Rodoaldus filius eius regnavit pro eo annis V, mensibus VII. Hic in Mediolano fuit coronatus corona aurea primus et ultimus. Eius uxor dicta est Gunduberga filia beate Theudoline regine et regis Ayginulfi, de qua prolem non suscepit, et linea regalis de longobardis ad bavaros transivit. Ista regina ad instar beate Theudoline matris sue construxit in Papia ecclexiam sancti Iohannis Baptiste. Hic Rodoaldus rex cum voluisset uxorem cuiusdam longobardi violenter opprimere, in civitate papiensi trucidatus fuit.

Fortis archiepiscopus Mediolani.

Christi anno DCLV, eminente in Roma Vitelliano papa, imperante Constante heretico in Constantinopolim, Fortis factus archiepiscopus mediolanensis sedit annis tribus. Isto tempore gallici vino debachati apud civitatem Mediolani interfecti sunt. Hic Fortis archiepiscopus propter metum arrianorum stabat Ianue, ubi et mortuus est, sicut et alii sui predecessores.

Ariperth longobardorum rex nonus.

Anno Christi DCLIX, cum vacasset regnum longobardorum, et linea Albuini regis defecisset, congregati

barones elegerunt in regem Ariperth filium Guntrandi regis ducis astensis, qui fuerat filius Gariperti regis Bavarie. Ex quo patet quod iste Ariperth fuit natione bavarus et nepos Theudoline regine, que etiam fuit bavara. Et fuit coronatus in Mediolano corona argentea, et regnavit annis IX. Iste genuit tres filios et unam filiam; primus dictus est Bertharith ducem mediolanensem, et Garipertum ducem papiensem, et Rangybertum ducem taurinensem, qui postea fuit rex; et Adelbergam que fuit uxor regis Crimoaldi. Item Bertharith dux mediolanensis duxit in uxorem Rodoyldam, que genuit filium, qui dictus est Guniperth. Hic Ariperth in Papia construxit ecclexiam sancti Salvatoris, ubi sepultus est, et Bertharith filium suum maiorem ducem mediolanensis regni heredem derelinquit, quod egre ferens Gariperthus dux papiensis misit ad Crimoaldum longobardorum ducem in Benevento, ut ei succurreret: qui cito veniens intravit Papiam, et in ipso introitu ducem papiensem, in cuius servitium venerat, gladio interemit, et sic civitatis papiensis dominium optinuit. Bertharith dux mediolanensis istius tractatus ignarus, audito fratris sui excidio, timuit Crimoaldi ducis beneventani potentiam, et derelinquens in Mediolano uxorem suam Rodoyldam cum filio parvulo Guniperth et sororem suam Aldebergam, fugit ad Cacanum regem avarorum, deinde in Britaniam. Tunc Crimoaldus dux congregans exercitum ex longobardis et beneventanis civitatem mediolanensem hostiliter invasit, obsedit ac violenter superavit. Et ista fuit civitatis mediolanensis XIV subiugatio; et sic Crimoaldus ex duce fit rex longobardorum.

Iohannes archiepiscopus mediolanensis.

Christi anno DCLX, eminente in Roma Vitelliano papa, imperante Constante heretico in Constantinopolim, mortuo Forti archiepiscopo mediolanensi in civitate ianuensi, beatus Iohannes archiepiscopus mediolanensis sedit annis X. Hic secundum cronicam Leonis fuit genere ianuensis ex illis de Camilla. Ipse ad sedem suam mediolanensem venit, et sedata rabie regum longobardorum arrianorum, ecclexia mediolanensis pacem habuit, nec de cetero oportuit archiepiscopos Ianuam fugere. Iste beatus Iohannes archiepiscopus construxit canonicam de Dexio. Isto tempore tot pluvie, tot tonitrua audita sunt, quas nullas meminit etas.

Crimoaldus longobardorum rex decimus.

Anno Christi DCLXIX Crimoaldus dux beneventanus genere longobardus factus rex rexit annis IX. Hic duxit in uxorem Aldebergam filiam regis Ariperth, cuius fratres extinxerat, de qua genuit filium, qui dictus est Garibaldus. Hic Crimoaldus rex sicut occiderat Garibertum ducem papiensem, cupiens et Bertharith ducem mediolanensem profugum interficere, ipsum promissionibus multis induxit, quod veniret ad civitatem laudensem sibi collocuturus; qui cum venisset, intellexit quod rex ipsum interficere vellet. Fugit de Laude et ivit ad Dagumbertum regem franchorum patrem Clodovei, qui ipsi prestitit militiam magnam ut intraret Ytaliam contra regem Crimoaldum. Quo audito, rex Crimoaldus processit obviam ei usque Taurinum; et commissa pugna iuxta Ripolas, gallici prosternuntur, et Crimoaldus rex cum gloria ad propria rediit. Eodem tempore Constans hereticus

imperator constantinopolitanus habens odio genus longobardorum, cogitavit eos de Ytalia extirpare; unde venit navigio Tarentum, ubi audiens quod ibi esset unus heremita propheta, ipsum adiit interrogans de belli eventu. Cui respondit propheta: Longobardi habent in suum patronum beatum Iohannem Baptistam, qui in Modoetia habet templum gloriosum; ideo nihil proficies, imo deficies; sed veniet tempus desolationis illius templi, et tunc longobardi superabuntur. Imperator Constans nec propter hoc a suo proposito desiit, imo venit Beneventum, omnes civitates destruendo. Cui occurrit rex Crimoaldus cum magno exercitu, pugna committitur, et Constans hereticus superatur. Tandem Constans imperator Romam venit cupiens, ut dicit Pantheon, imperium constantinopolitanum Romam reducere. Deinde Siciliam intravit, et post sex menses in balneo fraude cuiusdam Mitii interficitur; et Mitius imperium usurpavit et reliquit tres filios, scilicet Theudosium Constantinum et Heraclium et Tyberium. Theudosius Constantinus genuit filium, qui dictus est Iustinianus huius nominis secundus. Crimoaldus rex victor bellorum venit Papiam, et facta flebotomia brachii, et post IX dies quamdam columbam sagittavit, et sanguis de brachio exivit, ubi superposito tosicato emplastro moritur, et reliquit filium suum Garibaldum regni sui heredem, et in Papia tumulatur. Et post tres dies vox ad Bertharith ducem mediolanensem fugiturum in Britania facta est, dicens: Iam tertia dies est, quod rex Crimoaldus moritur. Quo audito, ad civitatem mediolanensem rediit, et uxorem cum filiis recuperavit, et regnum longobardorum optinuit.

Antonius archiepiscopus Mediolani.

Christi anno DCLXX, sedente Dono papa in Roma, imperante Theudosio Constantino in Constantinopolim, beatus Antonius archiepiscopus mediolanensis sedit annis duobus. Isto tempore in Britania quidam a mortuis resurgens predicavit tormenta purgatorii et de terribili eius igne. Eodem tempore Angysius pater Pipini grossi factus fuit maior domus francorum Magantie, et Bega uxor Angysii monialis efficitur. Isto tempore regnum burgarorum exoritur sub Bachia rege, qui fines romanorum invadens, romani eius tributarii efficiuntur. Saraceni insulam Siciliam invadunt et expoliant.

Marcellus archiepiscopus Mediolani.

Christi anno DCLXXII, eminente in Roma Agato papa, imperante Theudosio Constantino in Constantinopolim, beatus Marcellus sedit mensibus quatuor.

Ampellius archiepiscopus Mediolani.

Et supradictis concurrentiis sic stantibus, beatus Ampellius factus est archiepiscopus mediolanensis, et sedit annis quinque. Tempore isto per censuram ecclexiasticam cogente imperatore archiepiscopus ravenatis papam romanum suum recognovit superiorem, et a papa petiit suam consecrationem. Et dicit cronica Gothofredi de Bussero, quod hoc fuit anno Christi DCLXXXI.

Bertharith longobardorum rex undecimus.

Anno Christi DCLXXVIII tosicato rege Crimoaldo in

civitate papiensi, Bertharith dux mediolanensis factus rex regnavit annis XVIII. Iste fuit genere bavarus de stirpe beate Theudoline, vir christianissimus, qui ecclexias restaurari fecit. Fidem catholicam contra arrianos defendit. In Papia ecclexiam sancte Agate fundavit. Eius uxor dicta Rodolinda in ipsa civitate construxit ecclexiam sancte Marie ad perticas. Moritur rex Bertharith in Papia, et sepelitur in ecclexia sancti Salvatoris, quam pater eius construxerat, et Cuniperth filium suum regni longobardorum heredem instituit; et alter filius regis dictus est Asprandus, qui fuit dux insule cumacine. Est autem hec insula in medio laci cumani in distantia a civitate cumana per XVI miliaria, et fuit in circuitu murata altissimis muris, cuius circuitus secundum cronicam Karini habuit duo miliaria.

Mansuetus archiepiscopus Mediolani.

Christi anno DCLXXVIII, eminente in Roma Cono papa, imperante in Constantinopolim Theudosio Constantino, Mansuetus archiepiscopus mediolanensis sedit annis IX. Hic scripsit ad Synodum in Constantinopolim epistolam christianissimam contra monothelitarum errorem, qui dixerunt in Christo tantum esse unam naturam, in hec verba: vera et catholica fides est, quod in Domino Iesu Christo due sunt nature, Dei scilicet et hominis; similiter due voluntates et due opiniones. Vis audire quid humanitatis? Audi Christum dicentem: Pater maior me est. Vis audire quid divinitatis? Audi Christum dicentem: Ego et pater unum sumus. Cerne Christum secundum humanitatem in navi dormientem, cerne Christum secundum divinitatem mari et ventis imperantem. Hec epistola presentata concilio Constantinopolim maximum gaudium christianis intulit; et Gregorium patriarcham

constantinopolitanum a suo errore avertit. Isto tempore, scilicet Christi anno DCLXXX secundum cronicam Gothofredi de Bussero, tanta fuit in civitate papiensi pestilentia atque hominum depopulatio, ut hominibus per iuga montium fugientibus, in civitate arbores nascerentur atque fructeta. Venerabilis Beda et beatus Columbanus claruerunt.

Benedictus archiepiscopus Mediolani.

Christi anno DCLXXXVII eminente in Roma Sergio papa, imperante Iustiniano secundo, Benedictus archiepiscopus Mediolani sedit annis XLVII, et dicit cronica archiepiscoporum, quod iste archiepiscopus consecravit episcopum papiensem, et ex hoc dixit quod episcopus papiensis erat suus suffraganeus, et devoluta est questio ad curiam romanam, et succubuit archiepiscopus, quia plures episcopi fuerant papienses per papam successive consecrati. Cronica Datii sic dicit, quod unus episcopus papiensis nuper electus ivit Romam tempore Constantini pape pro sua consecratione. Quo audito Benedictus archiepiscopus scripsit pape, quod non ad papam sed ad archiepiscopum pertinebat consecratio episcopi papiensis quatuor de causis: primo quia beatus Barnabas apostolus Spiritu Sancto plenus archiepiscopum mediolanensem instituit metropolitanum, subiiciens ei ecclexiam papiensem. Secundo quia beatus Crispinus episcopus papiensis misit Epifanium successorem suum ad beatum Prothasium archiepiscopum mediolanensem, ut ipsum consecraret episcopum papiensem. Tertio quia decem summorum pontificum privilegia declarant episcopum papiensem esse subiectum metropolitano mediolanensi, anathematis mucrone percutientes contrarium fatientes. Quarto quia iura nolunt quod

unus antistes se intromittat de parochia alterius. Ex his, pater reverende, qui in Roma sedetis, sciatis quod si episcopum papiensem consecraveritis, tam accipientis quam ordinantis irrita erit consecratio. Hoc non obstante, Constantinus papa episcopum papiensem consecravit, nec eius consecratio irrita fuit, imo fuit optima secundum iura.

Cunipertus longobardorum rex duodecimus.

Anno Christi DCXCVI Cuniperth genere bavarus filius regis Bertharith, mortuo patre, factus est rex longobardorum et rexit annis XII. Hic fuit coronatus in Mediolano, et duxit uxorem Hermelindam filiam regis saxonum, et genuit filium, qui dictus est Aliprandus seu Liuthprandus. Isto tempore in civitate Brixiensi erant duo duces, scilicet Aldonus et Genasonus, qui regi Cuniperth iuraverant fidelitatem, sed in corde erant proditores, quia occulte miserunt ad Algysium sive Alachi ducem tridentinum, quod regnum invaderet; qui congregans exercitum validum theutonicorum et ytalicorum invasit subito in Papia regem Cuniperth, qui fugam iniit ad insulam cumacinam, que est in medio lacus cumani, longe a civitate cumana per XVI miliaria, ibique se fortiter communivit. Et sic Algysius regnum usurpavit multis annis. Hic cepit tyrampnizare super omnes, et spetialiter contra ecclexias et prelatos, et cum esset omnibus exosus, principes miserunt ad insulam cumacinam, ut Cuniperth rex adveniret. Cui in campo occurrit tirampnus Algysius, et commissa pugna Algysius prosternitur, et sic Cuniperth regnum recuperavit; et in loco victorie habite in dyocesi Mediolani ecclexiam sancti Georgii de Coronate construxit. Et moriens in civitate papiensi in ecclexiam sancti Salvatoris cum patre suo et avo sepelitur, qui

filium suum Liuthprandum regni heredem instituit, dans ei tutorem Asprandum fratrem suum insule cumacine ducem. Hic Asprandus ex uxore sua Theudarata genuit duos filios et unam filiam, scilicet Asprandum iuniorem, Liutprandum et Aurinam.

Rangybertus longobardorum rex tertius decimus.

Anno Christi DCCVIII mortuo Cunipertho rege longobardorum, facta est magna controversia de regno; multi interficiuntur, plures oculis privantur, mulieres condam regine naso et naribus precisis deturpantur. Tandem Rangybertus dux taurinensis filius condam Ariperth regis regnum optinuit. In Mediolano coronatus fuit. Iuxta Novariam Liuthprandum filium Cuniperthi regis in campo prostravit et interfecit, Asprandum tutorem Liuthprandi fugavit, qui in insula cumacina se communivit. Et post paucos dies Rangybertus rex moritur, et Heriperth filio suo regnum dereliquit.

Heriperthus longobardorum rex quartus decimus.

Anno Christi supradicto, mortuo Rangyberto, Heriperth filius eius genere bavarus regnavit pro eo annis IX. Hic in Mediolano fuit coronatus, et totis viribus ad expugnandam insulam cumacinam, ubi erat Asprandus hostis suus, adspirare cepit. Et congregans navigium et exercitum validum insulam invasit. Quo audito, Asprandus dux insule fugit Clavenam et ibi se communivit, quem rex inde fugavit. Deinde in Baveriam perrexit. Tunc rex omnes fortilitias et .... insule destruxit, et castrum quemdam fortissimum, quod erat in insula, solo coequavit. Asprandum iuniorem filium ducis Asprandi oculis

privavit; Liuthprandum parvulum, quem vidit elegantem, ad patrem suum in Baveriam misit. Deinde rex civitatem pergamensem superavit, et Rothari ducem pergamensem rasura barbe deturpatum in carcerem in Taurinum misit, et civitatem pergamensem destruxit; civitatem Laude vetus funditus evertit. Hic rex donationem fecit ecclexie de provincia Alpiscotie, in qua sunt civitates Ianua, Sagona, Albingana, Vintimillium, Novi et castrum Monachi; item Bregolium, Aquis, Alexandria, Tretona et Bobium. Hic rex in habitu ribaldorum de nocte discurrebat per tabernas et bethoras ascultando quid diceretur de suo regimine et suorum officialium; et quando aliquid quod esset notabile, audiebat, libenter corrigebat; et dum mirabili pace frueretur, et ecce ex insperato Asprandus dux insule cumacine cum mirabili exercitu theutonicorum intravit Ytaliam, et iuxta Papiam dimicatur, et rex Heriperth subiugatur, et Asprandus rex efficitur.

Quid sit maior domus franchorum Magantie.

Isto tempore in regno franchorum quedam dignitas exhorta est, que dicebatur maior domus franchorum Magantie. Ista dignitas nihil aliud fuit, nisi quedam denudatio honoris regis, quia ille qui erat maior domus, tenebat curam et fortitudinem totius regni; et ex hoc rex omni honore, omni negotio regni, excepta sola salutatione ad extraneos, privatus fuit. Tunc factus est maior domus Pipinus grossus dux Austrie, cuius uxor dicta est Peltrudis ducissa. Quam viventem propter sterilitatem expulit, et super induxit Alpidem sororem Dodi, de qua genuit Karulum Thuridem sive Martelum. Beatus Lambertus episcopus Pipinum redarguit, eo quod duas uxores haberet, et quod filius erat spurius, nec regnum hereditare poterat.

Tunc Dodo supradictus beatum Lambertum interfecit, et ipso anno a vermibus corrosus fuit. Pipinus grossus maior domus et dux Austrie moriens Karulum Martellum sui ducatus heredem instituit. Hic superavit Vasconiam, Saxoniam, Frixiam, et plusquam CCCLXXV saracenorum in Yspania superavit; et rediens domum cum gloria barones Alamanie ipsum regem Alamanie facere voluerunt, quod ipse renuit; attamen vexilum regale assumpsit, sed coronari noluit. Tunc invasit provintiam Gaudianam, et superatis duobus ducibus fratribus, illam provintiam voluit vocari Francigoniam, idest a franchis seu theutonicis genitam vel superatam. Isto tempore Gysulphus Ytaliam destruebat et ecclexias spoliabat, contra quem veniens Karolus Martellus ipsum humiliavit, et ecclexiam et Ytaliam de eius manibus liberavit. Hic reliquit tres filios, scilicet Karulum magnum, qui fuit monachus, et Pipinum nanum patrem Karoli magni primi imperatoris, et Grisonem. Iste fuit fatuus et inquietus, propter quod cum Anichalda uxore in quodam castro inclusus fuit. Tunc Pipinus nanus maior domus franchorum factus fuit, et dominabatur in Austria, Alamania, Thuringia, Burgondia, Neustria et in provintia Provintie, et in Gaudiano ducato, quod dicitur Francigonia. Hic Pipinus nanus duxit uxorem Beltrandis grandipede filiam regis Ungarie, cuius mater fuerat filia imperatoris Heraclii constantinopolitani; de qua genuit Karulum magnum, qui mortuo patre suo regnavit. Eius uxor fuit filia Desiderii regis longobardorum, de qua plures filios genuit. Quo mortuo anno tertio regni sui, uxor cum filiis in Ytaliam ad patrem fugit, et in civitate Barri iuxta Gyvate in monte altissimo se communivit. Tunc alter filius Pipini nani dictus similiter Karulus magnus regnum optinuit annis XXXIII; postea factus imperator imperavit annis XIII, de quo inferius multa dicentur in locis suis.

Liuthprandus longobardorum rex quintus decimus.

Anno Christi DCCXLIII mortuo Asprando rege longobardorum, Liuthprandus sive Aliprandus filius eius genere bavarus regnavit pro eo annis XXVI. Hic ex prima uxore genuit filium, qui dictus est Hyldebaldus, ex secunda uxore dicta Ghothuinda filia ducis Baverie genuit filiam. Iste fuit vir omni virtute conspicuus. Corpus beati Augustini de Sardinia in Papiam transtulit, Karulo Martello proficiscenti in Yspaniam contra saracenos auxilium prestitit. Ad istum Karulus Martellus Pipinum nanum filium suum misit, ut capillum iuxta morem lombardicum tonderet, quod rex libenter accepit. Quo tonsurato, rex puero pater factus est, et plura regalia dona contulit, et in Alemania ad Karulum Martellum patrem suum remisit. Hic rex Luithprandus sive Aliprandus vir bellicosus plures civitates subiugavit, scilicet Bononiam, Ravenam, Auximum, Subtrium, Spoletum, et ad imperium romanum aspirans Romam obsedit. Tunc papa Gregorius claves confessionis in Alemaniam ad Pipinum nanum supradictum misit, ut civitatem Romam a longobardis defenderet, quod Pipinus nanus maior domus facere contempsit, ymo cum rege Aliprando, qui sibi capillos tonderat, perpetuam pacem habuit. Finaliter factum est, quod rex de obsidione recessit et cum romanis pacem fecit, et castra munitissima, scilicet Emilianum, Foromanum et Penthapolim romanis restituit. Summo pontifici donationem fecit de provincia Alpiscotiarum, quam pater eius ecclexie donaverat, confirmavit, et rediens Papiam, pedem in lapide marmoreo sculpiri fecit; et generales mensuras instituit. Qui moriens filium suum Hyldebaldum regni heredem ordinavit; ipse vero in ecclexia sancti Augustini sepultus est. Hic hystoria

lombarda, quam edidit Paulus longobardus monachus Montiscassini, finitur.

Theodorus archiepiscopus Mediolani.

Christi anno DCCXXXV, eminente in Roma Gregorio tertio, imperante in Constantinopolim Leone heretico, Theodorus archiepiscopus mediolanensis sedit annis XIV. Hic exposuit egregie officium matutinale. Eius soror dicta Orona construxit monasterium Oronum anno Christi DCCXL, secundum Gothofredum de Bussero. Isto tempore Karulus Martellus maior domus franchorum Magantie moritur, qui decimas ecclexiarum exspoliavit, et ideo beatus Euthecius vidit animam eius in inferno demergi. Et post paucos dies in eius tumulo solus serpens inventus fuit. Hic reliquit tres filios, sicut supra dictum est.

Hyldebrandus longobardorum rex sextusdecimus.

Anno Christi DCCXLIX Hyldebrandus genere bavarus filius Luithprandi regis longobardorum patri succedens in regno regnavit anno dimedio.

Rachius rex ex comitibus Anglerie.

Anno Christi DCCXLIX Rachius et Astulfus fratres ex comitibus Anglerie de regno contendere ceperunt, et prevaluit Rachius et regnavit annis quatuor. Quod autem fuerit iste rex Rachius natus ex comitibus Anglerie, sic probatur; dicitur enim in ystoria comitum Anglerie et cronica Danielis, quod Desiderius rex longobardorum paternali linea natus est, sed pater Desiderii fuit rex Astulfus; ergo rex Astulfus fuit ex comitibus Anglerie.

Sed liber Pantheon dicit, quod rex Rachius fuit frater Astulfi; ergo pari ratione rex Rachius fuit ex comitibus Anglerie. Hic Rachius longobardorum rex cum papa Zacharia pacem fecit; sed rupto federe pacis, omnes civitates Thuscie conculcavit, romanis maximas strages intulit. Hic tactus divino spiramine per Zachariam papam in monachum tonsuratus cum uxore et filiis mundum reliquit, et regnavit Astulfus frater eius pro eo.

Natalis archiepiscopus Mediolani.

Christi anno DCCXLIX, eminente in Roma Zacharia papa, imperante in Constantinopolim Constantino quinto, beatus Natalis archiepiscopus Mediolani sedit anno uno et mensibus duobus. Hic in anno Domini DCCL construxit canonicam sancti Georgii in parazo (1), quam ab antiquo fundaverat beatus Anathaleon.

Arifredus archiepiscopus Mediolani.

Christi anno DCCL, eminente in Roma Zacharia papa, imperante in Constantinopolim Constantino quinto, Arifredus archiepiscopus mediolanensis sedit mensibus IX. Isto tempore in provintia Mesopotamie terra aperta est per duo miliaria, et quoddam animal ascendit de terra quasi mulus voce humana loquens, multam gentium incursionem ab heremo contra arabes pronuntiavit futuram. Isto tempore erat maior domus franchorum Magantie Pipinus nanus, qui fuit dux Austrie, Burgundie, Provintie, Thuringie, Alanie, Alamanie, Aquitanie;

(1) « Natalis archiepiscopus Mediolani consecrari fecit ecclesiam s. Georgii in Palatio » (*Chron.* Phil. de Castro Seprio).

totum regnum franchorum gubernabat, rege Hylderyco omni honore regni privato, excepta ad extraneos salutatione. Tunc Pipinus cepit cogitare quomodo posset coronam regni optinere, ut dicit Pantheon. Et misit Romam ad Zachariam papam duos legatos, scilicet Bultrandum episcopum et Florandum capellanum suum, qui interrogarent papam, quis esset dicendus rex franchorum, an Pipinus, in quo omnis regni potestas et fortitudo efficaciter apparebat, vel Hyldericus rex, in quo sola umbra regni erat. Papa respondit quod in Pipino. Tunc papa misit ad Hyldericum, quod cum esset insufficiens et indignus regno, quod deberet renuntiare, quia cum sana conscientia tenere non poterat. Hyldericus verba despexit. Ex tunc papa ipsum excommunicavit, et omnes ab eius fidelitate absolvit. Cum autem rex nec sic obediret, papa ipsum regno privavit, et de consilio principum franchorum in monachum tonsuratus fuit cum uxore et filiis. Post hec papa Zacharias misit ad Bonifatium archiepiscopum maguntinum, quod auctoritate populi Pipinum nanum inungeret in regem franchorum in civitate maguntina, que erat tunc temporis regum franchorum inclita sedes, ut dicit Pantheon. Et fuit facta ista coronatio anno Domini DCCLII vel DCCXLVIII. Et ordinavit papa quod regnum franchorum iret per electionem.

Astulfus rex ex comitibus Anglerie.

Anno Christi DCCLIII, tonsurato Rachio rege longobardorum, Astulfus frater eius regnavit pro eo annis VIII. Hic fuit vir bellicosus et maximi cordis, et in principio regni sui pacificus fuit, et genuit filium, qui dictus est Desiderius, et Theodoram, que postea fuit uxor Karuli Magni.

Stabilis archiepiscopus Mediolani.

Christi anno DCCLIV, eminente in Roma Stephano papa, imperante in Constantinopoli Constantino quinto, beatus Stabilis archiepiscopus mediolanensis sedit annis duobus et mensibus quatuor.

Letus archiepiscopus Mediolani.

Christi anno DCCLVI cum supradictis concurrentiis Letus archiepiscopus mediolanensis sedit annis fere XIV.

Pipinus rex franchorum Magantie parat exercitum contra Astulfum.

Pipinus nanus rex francorum Magantie, dum hesitaret utrum Ytaliam intraret contra regem Astulfum, vidit ipsa nocte in sompniis globum ignis surgere de Alamania et ire versus Ytaliam. Tunc terremotus factus est tam magnus, quod alique civitates a terra absorpte sunt. Tunc intellexit Deum iratum contra longobardos, et promisit pape Stephano facere quod hortabatur. Ex hoc letus factus papa, ipsum regem Pipinum per modum ratificationis iterum manu propria coronavit, Bertam grandis pede forma corporis gyganteam reginam cyclade aurea circumdedit. Filios Pipini ambos eiusdem nominis, scilicet Karlymagnum et Karulum magnum benedixit. Et dicit ystoria gallicana, quod omnes barones Alamanie convocavit, et eos benedicens obtestatus est quod super se non assumant in regem nisi illum, quem mediante divina providentia summus pontifex ad tuendam sedem apostolicam eligere dignatus fuerit. Et dicit alia cronica, quod Stephanus papa regnum franchorum in regalis successionis hereditatem benedixit.

Pipinus superavit Astulfum.

Stephanus papa, congregato exercitu franchorum militum, anno Christi DCCLV una cum rege Pipino intravit Ytaliam, et pervenit ad clusas longobardorum iuxta Yporigiam. Ibi occurrit rex Astulfus, et comissa pugna rex Pipinus prevaluit; et rex Astulfus usque Papiam fugit, ubi dum obsideretur, pacta pacis petiit, et iuravit facere iustitiam beati Petri, et XL obsides dedit, et filiam filii sui Desiderii Karlymagno primogenito regis Pipini in uxorem tradidit; que genuit filium, qui dictus est Bernardus. Tunc Stephanus papa Romam ivit, et rex Pipinus in Magantiam rediit; unde dicit Pantheon:

Roma requirit opem, leo non dedit, unde quirites
Amodo per franchos satagunt has tollere lites.
Theutonici veniunt, franchia signa nitent.
Alpibus evectus celeri Pipinus yatu
Militie congreditur, Astulfus Marte fugatur,
Urbe sua clausus querere pacta datur.
Inde maguntinas patrias remeatur ad edes
Regia franchorum, que tunc erat inclita sedes.

Pipinus superat Astulfum secunda vice.

Rex Astulfus ut vidit quod rex Pipinus abisset in Alamaniam, factus deterior contra suum sacramentum et contra pacta pacis, iterum Romam invasit, romanos maiori plaga percussit, papam Stephanum grandioribus tributis gravavit, ecclexias ubique spoliavit. Tunc Stephanus papa iterum in Magantiam perrexit, et regem Pipinum iterum in Ytaliam perduxit. Qui potentiam Astulfi regis repressit, et omnia iura ecclexiis et libertates

restitui fecit. Et pergens Romam causa orationis a cuncto populo romanorum patritius sive senator efficitur, et in Alamaniam rediit. Quo mortuo, Karlymagnus primogenitus eius regnavit annis v; quo mortuo, Bernardo filio suo parvulo regnum derelinquit, dans ei tutorem Karulum magnum fratrem suum. Regina autem timens ne filius parvulus occideretur, in Ytaliam ad patrem suum reversa est, et habitavit in civitate Barri in monte alto iuxta Gyvate; et Karolus magnus regnum franchorum optinuit.

Desiderius rex ex comitibus Anglerie.

Anno Christi DCCLXI, mortuo Astulfo rege, Rachius monachus frater eius, derelicto monasterio, congregans exercitum regnum recuperare voluit, et pugnavit contra Desiderium filium regis Astulfi et subcubuit; et Desiderius regnum optinuit annis XXVI. Hic, ut dictum est, natus est ex comitibus Anglerie, et genuit Bernardum, Aldechisium et Gislam. Ipse fuit rex ditissimus atque potentissimus. Romam, Thusciam, insulas et montana ac totam Ytaliam suo subiugavit imperio. Et anno Christi DCCLXX in civitate Mediolani ad carubium porte tycinensis, ubi nunc est ecclexia sancti Sixti, monasterium sancti Vicentii construxit, quod amplissimis possessionibus dotavit, in tantum quod ex his monasterium sancti Dionisii fundatum fuit. Et anno Christi DCCLXXX monasterium sancti Petri de Gyvate erexit (1), ubi detulit de Roma reliquias, scilicet dextram beati Petri apostoli, et lac

(1) « Astulfus rex longobardorum... genuit Desiderium regem ultimum longobardorum; de quo natus est Bernardus et Aldechisius, qui perdidit visum in monte de Givate in venatione apri, propter quod illud monasterium fundatum fuit » (Galvan. Flamma, *Politia novella*, cap. 57.).

quod fluxit de collo beati Pauli, et linguam beati Marcelli pape, que abscissa locuta fuit, et magnam partem cathene, qua beatus Petrus vinculatus fuerat, cum mirabilibus indulgentiis. In Brixia fecit monasterium sancte Iullie.

Karulus magnus fit rex francorum Magantie.

Anno Christi DCCLXVIII, mortuo Karlymagno rege franchorum Magantie, Karulus magnus frater eius pro eo annis XXXIII regnavit, et postea imperavit annis XIII. De isto Karulo sic predixit sybilla tiburtina: post reges longobardorum surget res salingus de Franchia K., qui erit rex pius, cui arbores inclinabunt, nec fuit ei similis rex in terra, nec post ipsum venturus est, et effitietur rex romanorum. De isto K. procedet L. et de L. alius L.; post hunc B., et deinde regnabunt XXII reges. De supradicto B. procedet A. vir fortis nimis et bellicosus, postea surget alius rex V. partim salingus et partim longobardus vir victoriosus; deinde surget O. et O. et O. De isto Karulo dicit Vicentius in Speculo, quod eius statura fuit altitudinis VIII pedum, faties eius decora, que habuit in longitudine unum pedem cum dimedio, aspectus terribilis, unum militem armatum super equum cum gladio a capite per medium usque ad sellam et totum equum uno ictu scindebat; quatuor ferraturas equorum faciliter inter manus scindebat, quartam partem arietis comedebat, aut leporem aut gruem vel anserem, parum panis et parum vini mixti sumebat. Hic fuit vir christianissimus, largissimus et facundus. Ad eius preces de terra arida fontes largissimi eruperunt, muri Pampalune corruerunt, et multi ad eius verbum sanati fuerunt. Hic ex Hyldegrande regina genuit duos filios, scilicet Pipinum et Ludovicum pium, et cronica Danielis addit duos alios, scilicet Karulum

et Lotharium, et Gislam. Mortua Hyldegrande regina, Karolus duxit Theodoram sororem regis Desiderii, de qua prolem non habuit.

Thomas archiepiscopus mediolanensis.

Christi anno DCCLXIX, eminente in Roma Stephano tertio, imperante in Constantinopoli Constantino quinto, beatus Thomas factus archiepiscopus mediolanensis sedit annis XXVIII. Hic ad instantiam Desiderii regis consecravit ecclexiam sancti Petri de Gyvate.

Karulus magnus primo intravit Ytaliam et superavit regem Desiderium.

Karulus magnus convocatis principibus et prelatis, inter quos erat beatus Eugenius eius cancellarius, convocatis duobus nepotibus suis Rolando et Oliverio, qui erant comites sacri palatii, et duobus amicis Amico et Amelio, et congregato exercitu valido, una cum papa Adriano pervenit ad clusas Yporigie, ubi rex Desiderius cum suo exercitu expectabat impediens ne clusas pertransire posset; attamen violenter pertransivit, et fugato rege Desiderio cepit civitates, scilicet Yporigiam, Vercellas, Novariam. Tunc rex Desiderius ad locum, qui dicitur Bellasilva, ad campum se posuit, et cum Karulo diutissime usque ad noctem pugnavit; finaliter Desiderius prostratus fugit et in Papia se communivit. Tunc mortui sunt ex utraque parte innumerabiles, et propter locus ille dictus est Mortaria usque in presentem diem. In isto conflictu interfecti sunt Amicus et Amelius, qui uno die sunt nati, vultu simillimi, semper simul conversati, una die baptizati, uno die interfecti. Hii cum in duabus

urnis marmoreis in loco Mortaria fuissent tumulati, strata intermediante, altero die urne coniuncte sunt.

Karulus magnus fit patritius romanorum.

Karulus magnus post regem Desiderium currens, ipsum in civitate papiensi tamdiu obsedit, quod civitatem violenter optinuit; et dicit cronica Leonis, quod totaliter explanavit, regem Desiderium cepit atque captum in Alemaniam misit in Aquisgrani incarcerandum, civitatem de Barri destruxit, et omnes thesauros, quos ipse vel predecessores eius extorserant, summo pontifici Adriano restituit, sicque regnum longobardorum finitum fuit, quod duraverat annis CCVI. Hic ex Hyldegrande regina, secundum Vincentium in Speculo, genuit tres filios, scilicet Lotharium, Pipinum et Lodovicum, ex regina Iudit genuit Karulum. Tunc papa Adrianus una cum Karulo magno et universo exercitu Romam rediit, et duos filios Karuli magni baptizavit, scilicet Pipinum et Ludovicum; et secundum Vincentium in Speculo, ambos inunxit atque coronavit; Pipinum instituit regem Italie loco Desiderii regis, et Ludovicum coronavit in regem Aquitanie. Et dicit Pantheon, quod hoc fuit in die sancto Pasche anno Domini DCCLXXXIV. Ex tunc regnum ytalicum transivit ad franchos per hereditatem, quam translationem papa fecit, ex quo patet quod regnum Ytalie sit terra ecclexie.

Karulo magno datur ius eligendi papam.

Adrianus papa considerans magna beneficia, que fecerat Karulus magnus ecclexie romane, et quomodo ipsam de manibus longobardorum eripuerat, similiter et rex Pipinus pater eius, convocavit concilium generale CLIV

episcoporum, et de consensu synodi generalis dedit privilegium Karulo magno presenti patritiatus urbis dignitatem, et quod posset eligere papam et ordinare sedem romanam. Item contulit ei aliud privilegium, quod omnes episcopi et archiepiscopi, prelati et clerici universi antequam consecrarentur, recipiant investituras a Karulo per baculum et anulum, et quicumque contradixerit, sit anathema, cuius bona debeant confiscari. Et nota quod ista privilegia non sunt collata Karulo imperatori, quia non fuit imperator nisi per xv annos post, sed sunt collata Karulo magno romanorum patritio. In isto conscilio, ut dicit cronica Datii, Karolus magnus cum Adriano papa ordinavit, quod omnia misteria divina sub uno clauderentur officio gregoriano; et tunc statutum fuit, quod omnes libri offitii ambrosiani comburerentur, cuius contrarium statuerat beatus Gregorius papa.

De duobus missalibus et de officio ambroxiano.

Eugenius episcopus Gallie Karuli magni cancellarius ac in baptismate pater, audito quod offitium ambroxianum foret cassandum, adiens summum pontificem et Karulum regem franchorum Magantie miro modo clamans et eiulans aiebat: ha, ha, decus mundi tam grecorum quam latinorum obnubilatur, offitium periit, flos offitiorum, gemma offitii gregoriani, quibus illud offitium est ornatum, opprimitur; orbis doctrina elabitur. Hiis sic dictis, papa consentiente synodo, et Karulo approbante, divinum conscilium requiritur; et tunc duo missalia, scilicet ambroxianum et gregorianum super altare beati Petri posita sunt ligata funibus et communita sigillis, et porte ecclexie tribus diebus steterunt clause, et inditum fuit yeiunium trium dierum, et fuit statutum, ut si quod

missale per tres dies inventum fuisset apertum, illud officium ubique cantaretur. Post tres dies summus pontifex Adrianus cum Karulo magno et universo clero ecclexiam beati Petri dum vellet intrare, nullo vidente, fores per se ipsas aditum donaverunt, et pervenientes ad altare beati Petri ambo missalia clausa invenerunt, et orantibus omnibus et videntibus, missalia cum magno frangore aperta sunt. Tunc aliqui dixerunt quod ambo offitia, scilicet ambroxianum et gregorianum, per totum mundum cantarentur, et diversi diversa dixerunt. Tandem papa de consensu synodi et Karuli magni, ut dicit cronica Guliermi, statuit ut unusquisque quod sibi magis placeret, acciperet offitium. Plures acceperunt gregorianum, mediolanenses, illi de Bergolio, aliqui de Anglia et multi alii acceperunt offitium ambrosianum. Tunc beatus Eugenius supradictus venit Mediolanum, ubi cum summo honore receptus fuit, et infra paucos dies moriens in ecclexia s. Eustorgii tumulatur; fuitque statutum, quod singulis annis archiepiscopus mediolanensis cum suis cardinalibus et ordinariis et decumanis suum festum in predicta ecclesia celebrarent.

De regosorio et Pipino rege Ytalie.

Karulus magnus rex franchorum et romanorum patritius de Roma exiens pervenit Ravenam, et miratus pulchritudinem regosoris imaginis, quod interpretatur recte aspitiens solem, quia semper secundum motum solis circumvolvebatur per se ipsum, adamavit ymaginem, quam tollens contra Padi fluenta usque Papiam navigio duxit; quam cum vellet in somariis ultra montes deferre, nec convenienter propter ponderis gravitatem fieri potuisset, in Papia dimisit. Hec cronica exthesauriara

paduana. Tandem Karulus magnus Mediolanum intravit, filiam suam Gislam per beatum Thomam archiepiscopum mediolanensem baptizari fecit, regni ytalici gubernacula filio suo regi Pipino comisit, tributa indixit regalia capitalia temperata, et Alamaniam ad sedem suam Magantiam rediit. Item ordinavit Karulus magnus, quod civitas mediolanensis regeretur per xii consules, et erat offitium sive dignitas ad vitam, et incedebant vestiti de scarlato cum variis vel hermelinis cum bavariis usque ad pectus, et fuit salarium uniuscuiusque xxv libras vel floreni. Conditiones que requirebantur in consules, fuerunt iste, videlicet quod essent ex nobilibus, et essent viri virtuosi et clare fame, qui nunquam fuissent notati de rapinis aut plagis, vel de aliquo malefitio seu crimine. Et talium electio pertinebat ad artistas, qui poterant eligere ex nobilioribus consules, sed non de se ipsis nec de populo; et iurabant nihil de introitibus comunitatis expendere nec distrahere, sed quod super habundabat, ponebatur in erario comunitatis, et per istum modum congregabantur thesauri infiniti, et tempore necessitatis expendebantur, nec oportebat propter hoc imponere populo novas collectas. Si aliquis ex consulibus fieret malus aut violentus aut dilapidator, ad clamorem populi deponebatur, et de cetero scarlato non utebatur nec vestiebatur. Ex istis xii consulibus duo erant iurisperiti, quorum erat verbum ad extraneos, duo alii erant thesaurarii, qui super introitus comunitatis preerant; duo alii erant camerarii, qui erant super expensas comunitatis et super compitum; alii sex consules erant super alia offitia comunitatis. Isti duodecim consules eligebant unum, sed non ex consulibus, qui dicebatur advocatus comunitatis vel iudex civitatis, et iste erat super iniurias et dampna aut percussiones absque sanguine.

Attamen nullum poterat facere processum contra quamcumque personam sine XII consulum consilio et assensu; et sicut in Roma X viri virtuosi regebant urbem, et a numero denario dicti sunt decemviri, ita isti XII consules a numero dicti sunt duodecim, quorum aliquale vestigium adhuc apparet in hac civitate usque in presentem diem, quia aliqui offitiales dicuntur duodecim. Et habent spetiale palatium in broleto veteri, quorum offitium est computus.

Karulus secunda vice intravit Ytaliam et fecit passagium.

Isto tempore Karulus magnus rex franchorum Magantie et romanorum patritius erat Parisiis, cui delate fuerunt claves sepulcri, ut terram sanctam a saracenis defenderet, et passagium quod nunquam prius factum fuerat, perageret. Tunc secunda vice intravit Ytaliam, et transiens per Aquilegiam et Ungariam passagium per terram fecit, terram sanctam optinuit, saracenos conculcavit, qui ad terendum eius equum chymoras primitus adinvenerunt.

Christi anno DCCCI eminente in Roma Leone tertio, sedente Mediolani Petro archiepiscopo, Karulus magnus factus est imperator et imperavit annis XIII, mense uno, diebus IV. Hunc in die natalis Domini Leo papa in ecclexia sancti Petri de Roma circumdans eum imperatoria veste ipsum ex patritio imperatorem fecit. Tunc romani, secundum Vincentium in Speculo, laudes imperiales Karulo magno acclamaverunt et Augustum appellaverunt, et Pipinum filium eius super Ytaliam iamdudum coronatum collaudaverunt. Ex tunc papa transtulit imperium de grecis ad germanos, ut habetur in decretis de con. di. quinta; et glosa super Venerabilem dicit, quod papa instituit

Karulum magnum imperatorem occidentis, quod Constantinus donaverat ecclexie. Tunc temporis, sicut habetur in ystoriis civitatis laudensis, in territorio civitatis Laude veteris erat quoddam castrum dictum Rochabruna sive castrum Cassinum [1], quod Karulus magnus communivit; et tunc Desiderius longobardorum rex ipsum in illo castro obsedit, et defitientibus victualibus, angelus descendit de celo et XII pugnatores, qui erant in civitate mutinensi, subito adduxit, qui obsidionem amoverunt; et in isto prelio mactatus fuit beatus Daniel. Item Karulus magnus obsedit Papiam, et construxit monasterium sancti Victoris. Postea in comitatu Mediolani iuxta ecclexiam sancti Petri de Gyvate obsedit civitatem ubi erat uxor

(1) Alcuni beni in Cassine appartenevano al primicerio ed ai decumani della chiesa di Milano, come appare da una sentenza del 1° gennaio 1212, di cui riferisco i passi principali: « in civitate Mediolani sententiam protulit Ambroxottus de Comite delegatus a consulibus Mediolani de lite, quae vertebatur inter dom. Guidottum presbyterum ac canonicum ecclesiae s. Georgii in palatio nomine dom. primicerii et ferulae presbyterorum Mediolani, seu nomine comunantiae eorum presbyterorum, et ex altera parte Lanfrancum Burrum civitatis Mediolani. Lis enim talis erat: petebat iam dictus presbyter Guidotus quatinus praefatus Lanfranchus sibi dimitteret ad partem illius ferulae et comunantiae has petias terrae iacentes in territorio loci de Cassine de episcopatu laudensi. Prima petia etc. Item petebat omnes fructus qui ab eo percepti fuerant aut percipi potuerant ex ipsis terris a duodecim annis infra, ad quos fructus omnes restituendos dicebat eum teneri, eo quod possessor fuerat malae fidei, asserens illas petias ipso domino primicerio et ferulae etc. pertinere, quibus eas res legaverunt quondam Ardericus fil. q. Lanfranci etc., ad que probanda et insuper quod illae terrae fuissent illius q. Arderici suos testes produxit, et quamdam afferebat scripturam consignationis factae ipsi primicerio de illis terris per quosdam homines illius loci iuramento astrictos per consules laudenses: quae etiam consignatio fuerat ex praecepto consulum Mediolani redacta per Anselmum de Feria notarium etc. inducens maximam praesumptionem, quod illius ferulae sint terrae, cum olim sint admissae tales consignationes ex lege municipali Mediolani promulgata propter infortunium persecutionis quondam Federici imperatoris etc. » La sentenza fu pronunciata in favore del primicerio, ma fu assolto il reo convenuto dal restituire i redditi di quei beni percepiti innanzi la petizione dell'attore.

fratris sui, qui similiter dictus fuit Karolus magnus primogenitus. Item Karolus magnus destruxit civitatem Parazum.

Petrus archiepiscopus Mediolani.

Christi anno DCCLXXXXVII, eminente in Roma Leone tertio, vacante imperio constantinopolitano, Petrus archiepiscopus mediolanensis sedit annis XVII, mensibus quatuor. Hic fundavit monasterium sancti Ambrosii et largissimis possessionibus dotavit. Isto tempore de mense iulii bis cecidit de celo pruina et gelu; et dicit cronica Gothofredi de Bussero, quod monasterium sancti Ambrosii fuit fundatum anno Domini DCCC (1).

Karolus magnus fecit pacem cum Desiderio.

Karulus magnus huius nominis primus Cesar semper Augustus exiens de Roma pervenit Mediolanum, ubi dum Pipinum filium suum primogenitum Ytalie regem de coniuratione contra suum imperium convicisset, ipsum regno privavit, et tonsuratum in monasterio inclusit, et regnavit Bernardus filius eius pro eo, quem de proditione convictum Lodovicus Pius oculis privavit; et ut dicit cronica Danielis, ad instantiam pape Karolus magnus Desiderium quondam regem longobardorum de carcere extraxit, eius sororem Theodoram nomine in uxorem duxit, comitatus dignitatem contulit et subiecit ei Liguriam, Emiliam, Venetiam, Alpiscotiam, Tusciam et Saprinitem idest Beneventum; et iuravit comes Desiderius fidelitatem Karulo magno imperatori. Post Desiderium

(1) « Anno Domini 800 Petrus archiepiscopus Mediolani fecit construere monasterium s. Ambrosii Mediolani » (*Chron.* Phil. de Castro Seprio).

fuit Bernardus filius eius, postea comes Guido, postea comes Atho, postea comes Berengarius, postea comes Ugo, postea comes Fulchus, postea comes Fatius, et omnes supradicti descenderunt ex comitibus Anglerie. Hos omnes Karulus imperator eiusque successores in suis iuribus et dignitatibus confirmaverunt. Tunc Karulus imperator in Alamaniam rediit.

Karulus magnus divisit imperium in tres partes.

Karulus magnus Cesar semper Augustus de Hyspania rediit in Alamaniam, et factus annorum LXXII, anno regni franchorum XLIII, anno imperii romanorum XIII, cum videret diem mortis imminere, totum imperium ecclexie subiecit confirmans legem Theudosii, sicut patet in decretis XI q. I. capit. *volumus*. Imperium quoque occidentis divisit in tres filios suos, et voluit quod sic regnarent, quod unus non esset sub altero. Primogenito Ludovico Pio tradidit Ytaliam cum imperio, et voluit quod subesset ecclexie, quia Ytalia est spetiale feudum ecclexie, ut habetur in decretis LXIV di. *tibi domino*. Et licet aliis filiis traderet ceteros principatus, tamen supervenientibus inter eos diversis bellis, aliter ordinatum fuit, videlicet quod Ludovicus Pius primogenitus teneret Ytaliam cum romano imperio, cuius cancellarius fuit archiepiscopus coloniensis. Secundogenito Ludovico tradidit regnum Aquitanie, cuius cancellarius fuit archiepiscopus treverensis; tertiogenito Karulo tradidit regnum franchorum Magantie, cuius cancellarius fuit archiepiscopus maguntinus; et quia isti duo non fuerunt sub dominio Ludovici, hinc est quod rex franchorum non recognoscit regnum ab imperio.

Oldebertus archiepiscopus Mediolanensis.

Christi anno DCCCV, eminente in Roma Leone tertio, imperante Karulo magno, Oldebertus factus archiepiscopus Mediolani sedit annis fere X, et dicit quedam cronica archiepiscoporum mediolanensium, quod isto tempore ecclexia mediolanensis excedebat in divitiis et potentia militari omnes ecclexias mundi. Unde iste Oldebertus archiepiscopus fecit compilari unum commentarium, in quo continentur omnia magnalia et introitus archiepiscopi mediolanensis ultra Padum et in Bergolio et per totum comitatum Mediolani, et quod habuit marescalcos VII, grugarios, broliarios, pistores, piscatores, sartores, infertores, embassiatores, clavicularios, portenarios, valvasores, et qui sunt illi qui debent eum sociare Romam; et de mirabili quantitate pecuniarum, et pro cotidiano victu quod capones, pisces, ligna et multa alia mirabilia possessiones et castra habuit archiepiscopus mediolanensis in Sicilia. De civitate ianuensi habuit redditus ultra X millia libras grosse monete singulis annis, cuius vestigium adhuc apparet, quia adhuc hodie apparet quod archiepiscopus mediolanensis ibidem recipit quedam annualia tributa. Sua erat terra de Guastalla cum magna parte riperie Padi fluminis. Item per Ottonem primum fuit factus dux Burgarie et comes Seprii et marchio Martesane. Item ex donatione imperatoris fuit factus dominus temporalis sicut erat spiritualis, et tota civitas erat sub eius dominio; et transivit in ius et proprietatem ecclexiae, et tria miliaria in circuitu, et fuerunt eius redditus annuales LXXX millia florenos auri. In curia comuni dicta broletum vetus erat palatium archiepiscopi mire magnitudinis cum verzario adiuncto; extra muros civitatis habuit brolium cum diversitate mirabili. In latere aquilonari ecclexie maioris habuit

turrim in altitudine CCXLV cubitorum, in cuius summitate erat unus baculus pastoralis, in signum quod erat dominus super civitatem. Si queratur quare talis et tantus archiepiscopatus ad tantam paupertatem devenerit, quod cum haberet DCCC millia florenos in redditus annuales omni anno, et nunc non habet IV millia, dicendum est quod hoc evenit quatuor de causis. Prima fuit propter honorem Dei, quia ut cives essent favorabiles fidei contra arianos et hereticos et scismaticos, donaverunt archiepiscopi et castra et predia. Secunda causa fuit modicus timor Dei et nimius amor sui, quia aliqui archiepiscopi pro nihilo habuerunt subripere bona ecclexie et dare consanguineis et amicis, et talis fuit Ademarus de Menclotiis et Landulfus de Carcano, sicut infra dicetur in locis suis. Tertia causa fuit violentia tyrampni, nam antequam Federicus Barbarubea civitatem mediolanensem destrueret, coegit Ubertum de Pirovano archiepiscopum mediolanensem renuntiare omni donationi, quam fecisset imperium ecclexie mediolanensi, et tunc perdidit ducatum Burgarie, comitatum Seprii, marchionatum Marthesane, castra Sicilie, terras ultra Padum et plura alia. Quarta causa superbia populi, quia rehedificata civitate Mediolani, statuit populus ut nec archiepiscopus nec alius habere posset feudatarios nec servos, ymo quod capitanei dicerentur cathaney, et vasalli dicerentur valvasores. Et per istum modum archiepiscopus possessiones et nobilitates perdidit, et ad paupertatem devenit. Et sic patet responsio ad obiectum.

Ludovicus Pius rex romanorum.

Christi anno DCCCXV, eminente in Roma Stephano papa, sedente Oldeberto archiepiscopo Mediolani, Ludovicus

Pius Karuli magni primogenitus factus imperator, et imperavit annis xxv. Pantheon dicit quod mortuo Karulo magno, principes Alamanie simul congregati in Aquisgrani elegerunt in imperatorem Ludovicum Pium, quem Stephanus papa existens Remis in imperatorem confirmavit. Quo facto imperator rediit in Aquisgrani, et Lotharium filium suum primogenitum secum imperare fecit. Et veniens in Ytaliam, ubi regnabat Bernardus nepos eius, ipsum de proditione convictum oculis privavit, et regnum Ytalie Lothario filio suo primogenito tradidit, et vadens Romam per papam iterato coronatur; qui, ut habetur in decretis di. LXIII, donationem Magni Constantini factam ecclexie confirmavit. Et Iohannes doctor quod Karulus magnus imperator voluit quod Ludovicus regnum Ytalie, cui anexum est imperium, optineret, patet expresse quod Karulus magnus imperium transtulit ad ytalicos in personam Ludovici Pii, qui fuit rex Italie et imperator et subiectus ecclexie ratione ytalici regni, quod est spetiale feudum ecclexie. Eodem modo et Ludovicus imperator instituit Lotharium Cesarem et Ytalie regem cum imperio. Et subortis diversis preliis inter filios Ludovici, sic divisum fuit imperium, ut Lotharius teneret Ytaliam cum Roma et imperium cum Lothoringia et provintia Provintie, et esset subiectus ecclexie; Karulus Calvus senior teneret regnum franchorum Magantie, Ludovicus Balbus teneret Germaniam cum Baveria. Hic Ludovicus Pius imperator per filios impugnatus imperio renuntiavit, sed resumptis viribus imperium recuperavit; et propter predictam guerram Normanni intraverunt Ytaliam cuncta devastantes et spoliantes. Moritur Ludovicus imperator anno Domini DCCCXLI anno regni sui XXI, anno imperii sui sexto.

Anselmus archiepiscopus Mediolani.

Christi anno DCCCXV, eminente in Roma Stephano quarto, imperante in Ytalia Ludovico Pio, Anselmus huius nominis primus archiepiscopus Mediolani sedit annis v. Isto tempore in Thuringia cespis idest terra........... longitudinis gramine XL pedum lata valde et grossa per se ipsam de terra se levavit, et per XXV pedes longe saltavit, veri lapides de celo cum grandinibus descenderunt. Puella XII annorum in Paschate comunicata per x menses nisi panem comedit, postea per tres annos nullum cibum sumpsit, finaliter ad comunem vitam rediit.

Bonus archiepiscopus Mediolani.

Christi anno DCCXXI, eminente in Roma Paschali primo, imperante Ludovico Pio in Ytalia, Bonus archiepiscopus mediolanensis sedit annis quatuor. Isto tempore in Saxonia terra intumuit in modum montis in longitudine duorum miliariorum. Ignis de celo descendit, qui urbes multas consumpsit.

Angibertus primus archiepiscopus Mediolani.

Christi anno DCCCXXV, eminente Eugenio secundo papa in Roma, imperante in Ytalia Ludovico Pio, Angibertus archiepiscopus mediolanensis sedit anno uno et mensibus duobus. Isto tempore sarraceni obsederunt Romam et civitatem leoninam optinuerunt, et templum beati Petri stabulum efficitur, et tota Thuscia devastatur. Tunc Ludovicus imperator et Guido marchio cum longobardis advenerunt, et sarracenos de Ytalia expulerunt.

Angibertus secundus archiepiscopus Mediolani.

Christi anno DCCCXXVI, eminente in Roma Gregorio tertio, imperante in Ytalia Ludovico Pio, Angibertus huius nominis secundus factus archiepiscopus mediolanensis sedit annis XXXV. De licentia istius archiepiscopi monasterium sancti Petri de Mandello unitum fuit cum monasterio sancti Vincentii anno domini DCCCXXXIII, et anno Domini DCCCXXXVI duo nobiles comites de Mediolano cum ancilla sua Secrea construxerunt tres ecclexias in honorem beate Virginis. Unus dictus est comes Fulchorinus, qui construxit ecclexiam sancte Marie ad Fulchorinum (1); alter dictus est comes Pedonus, qui construxit ecclexiam sancte Marie Pedonum; eorum ancilla dicta Secrea construxit ecclexiam sancte Marie ad Secream. Hic archiepiscopus transtulit corpus sancti Kaloceri de Albingana, et posuit illud in monasterio sancti Petri de Gyvate. Hic non sano usus consilio cum papa Sergio secundo causam contentiosam gessit et subcubuit.

(1) Una carta dell'8 ottobre 1007 pubblicata dal Muratori (*Ant. Ital. M. Ævi* tom. IV, pag. 937) pone la fondazione di questa chiesa in quell'anno per opera di Fulcuino, vivente a legge salica, figlio di Bernardo, che vi pose anche tre preti per officiarla, assistiti da convenienti rendite. Quella di s. Maria Podone fu fondata da Werolfo detto anche Podone nell'871, come appare dalla carta di fondazione di quell'anno: « Ecclesia sanctae Dei Genitricis Mariae sita intra hanc civitatem Mediolani prope locus, ubi quinque vias dicitur, quam ego in propria mea terra aedificavi. Ego Werulfo qui et Podo vocatur, filius q. Erchemarii, de civitate Mediolanium offertor et donator in eadem ecclesia etc. », ad essa il fondatore assegnò la dote di alcune case vicine e il patronato al primicerio dei decumani della chiesa milanese, e vi fu sepolto. Il Fumagalli (*Vicende di Milano*) non crede che l'antica chiesa di s. Maria Segreta sia stata fondata al modo raccontato dal Fiamma nell'anno 833, e il Giulini opina che essa così si chiamasse pel rifiuto del fondatore ad aggiungervi il proprio nome. Nel secolo XI essa era di giuspatronato del monastero di s. Vittore, e dall'arcivescovo Ottone Visconti fu annoverata fra le stazionali con editto dato il 27 febbraio 1284, assegnandole il mercoledì della sesta settimana di quaresima.

Angibertus archiepiscopus beati Ambroxii tumbam marmoream aperiri fecit, et ex devotione dentem de ore beati Ambroxii extraxit, et in anulo suo imposuit. Dum autem processionem in die olivarum faceret archiepiscopus more ecclexie mediolanensis, et de ecclexia maiori iret ad sancti Laurentii ecclexiam, ibi archiepiscopus fecit sermonem ad populum, postea benedixit palmas et dedit clericis; postea venit extra ecclexiam, ubi sunt columne, ubi erat unus equus cohopertus vaco, idest panno aureo, et unus de genere rodensium (1) vestibus variis tenens strepam, archiepiscopus equum conscendit, et postea data fuit in manu una crux cristallina ornata palmis et olivis, cum qua signabat populum; et ille de genere rodensium vestibus variis cum cirothecis in manu tenens frenum equi duxit eum ad ecclexiam sancti Ambroxii. Precedebant autem equum quatuor nobiliores de Litiis (2), preparantes viam archiepiscopo, amoventes lapides et trabes et alia impedimenta; post archiepiscopum veniebant universi clerici cantantes, et subsequebatur populus cum palmis et olivis, nec fuit tanta solempnitas in universo mundo, quanta erat ista, quam tenetur facere archiepiscopus singulis annis. Cum autem pervenisset archiepiscopus ad locum ubi consuevit leprosum lavare, cantabatur missa, et postea archiepiscopus ad suum palatium rediit. Tunc Angibertus archiepiscopus perpendit, quod dens beati Ambroxii de anullo suo cecidisset, et contristatus ultra modum pluribus diebus perquiri fecit, quem cum non inveniret, quedam vetula ferula sustentata adfuit, que ait: ite et querite anulum in illo loco unde sublatus fuit;

(1) « Rodenses sunt cathanei archiepiscopi » (*Postilla del testo*).
(2) « Lites sunt valvasores archiepiscopi » (*Postilla del testo*).

quo audito archiepiscopus iterum tumulum beati Ambroxii aperiri fecit, et dentem in ore beati Ambroxii reperiit. Et letus ait: in tali loco hoc corpus contegam, quod nullus videre poterit (1).

De altari beati Ambroxii.

Ex tunc archiepiscopus de modo sepeliendi corpus beati Ambroxii tractare cepit; et fodit puteum altum et in aere corpus beati Ambroxii substulit, cathenis substentantibus super os putei, et fieri fecit unum altare; in circuitu altaris sunt spondilia ex auro purissimo cum figuris et celaturis, et lapides pretiosi inserti sunt quamplures, et fuerunt expense LXXX millia librarum sive florenorum auri; et hec acta sunt anno Domini DCCCXL. Ordo istius ecclexie fuit talis: quia beatus Ambroxius eam fundavit, et Petrus archiepiscopus monasterium construxit; postea iste Angibertus altare aureum fabricari fecit, et Otto primus et Lotharius imperator et comes de Campigono possessiones multas addiderunt.

Lotharius Ytalie imperator.

Christi anno DCCCXL, eminente in Roma Gregorio tertio, sedente Mediolani Angiberto archiepiscopo, Lotharius huius nominis primus Ludovici Pii filius imperavit in Ytalia annis XV. Hic Lotarius tenuit Ytaliam cum imperio, Lothoringiam et provintiam Provintie; et veniens Modoetiam, ibidem fuit coronatus, et pergens Romam per

(1) « Anno Domini 836.... facta fuit s. Marta in compedo Mediolani » (*Chron.* Phil.). Una chiesa di s. Marta de' Disciplini è rammentata dal Sitoni come posta in Porta Orientale presso s. Babila, ma non è quella di cui parla la Cronaca di Filippo. Non ne trovo cenno negli storici milanesi.

Sergium papam pede papali purpurea veste circumdatus et aurea tyara coronatus imperator factus fuit. Hic genuit tres filios et unam filiam; primus dictus est Ludovicus, secundus dictus est Lotharius, tertius dictus est Karulus Calvus; eius filia dicta est Gisla, quam tradidit in uxorem Gothofredo regi Normandie. Hic Lotharius imperator de toto imperio suo non habuit nisi Ytaliam cum Roma et Lothoringiam et provintiam Provintie. Hoc quod habuit, inter filios divisit, et voluit quod Ludovicus huius nominis secundus, eo quod esset primogenitus, teneret Ytaliam et esset imperator; Lothario secundo genito dedit Lothoringiam, a quo Lothoringia dicta est. Eius filius dictus est Ugo, qui duxit sororem regis Frixonum, qui cum successisset patri in ducatu Lothoringie, quem Karulus imperator dictus Grossus oculis privavit, et ducatum Adoni comiti parisiensi tradidit, Karulo Calvo dedit provintiam Provintie; et iste postea fuit imperator, ita quod nullus istorum aliquid recognosceret a Ludovico imperatore, aliter non posset dici imperium divisum, si unus ab altero recognosceret. Et dicit Vincentius in Speculo, quod hic Lotharius imperator cum adhuc viveret, per Sergium papam fecit coronari in imperatorem Ludovicum filium suum primogenitum.

Ludovicus secundus Ytalie imperator.

Christi anno DCCCLVI, sedente Angiberto secundo archiepiscopo Mediolani, Ludovicus huius nominis secundus imperavit in Ytalia annis XXI, et interiit in Placentia pergens contra Sarracenos in Apuliam. Hic Ludovicus in hereditate patris solam Ytaliam cum Roma et imperio tenuit, et genuit tres filios, scilicet Karulum Magnum et Ludovicum et Karulum Grossum, et filiam que dicta

est Hermigrandis, quam duxit in uxorem Bosso rex Provintie et Burgondie, que genuit Ludovicum, qui in Ytalia imperium arripuit. Huius imperatoris filius dictus Karulus contra patrem conspiravit, qui subito a dyabolo correptus exclamans ait: hec digne patior, quia patris mei proditor fui. Et nullus ex filiis eius regnavit post eum immediate, ymo imperavit post eum Karulus Calvus frater eius.

Tato sapiens archiepiscopus Mediolani.

Christi anno DCCCLXI, eminente in Roma Nicolao primo, imperante Ludovico in Ytalia, Tato dictus sapiens factus archiepiscopus Mediolani sedit annis VII cum dimedio. Hic fuit tempore Nicolay primi pape, ut habetur in decretis XI, *causa*, q. IV Thugaldum. Isto tempore in Brixia fluit de celo tribus diebus sanguis, in Gallia apparuerunt locuste habentes sex alas et sex pedes et duos dentes, que corroserunt omnes arbores et herbas.

Anspertus archiepiscopus Mediolani.

Christi anno DCCCLXX, eminente in Roma Nicolao primo, imperante Ludovico secundo in Ytalia, Anspertus de Blassono de Confanoneriis factus archiepiscopus sedit annis XIII et mensibus V; hic construxit in civitate ecclexiam sancti Sathiri fratris beati Ambroxii. Isto tempore in civitate Maguntina unus dyabolus per tres annos continuos apparuit, qui domos igne cremabat, turres et palatia malleis percutiebat, futura predicebat, discordias seminabat; et tanta fuit eius inquietatio, quod homines derelicta civitate in agris habitabant. Item iste archiepiscopus construxit ecclexiam s. Silvestri in porta romana anno domini DCCCLXXIII (1).

(1) Delle chiese dei ss. Satiro e Silvestro, che il Fiamma qui dice essere state ambedue costrutte da Ansperto arcivescovo, il Fumagalli e il Giulini

Karulus Calvus rex Ytalie.

Christi anno DCCCLXXVII, eminente in Roma Iohanne octavo, sedente Mediolani Ansperto archiepiscopo, Karulus Calvus huius nominis secundus imperavit annis fere duobus. Iste Karulus Calvus fuit filius Lotharii primi et patruus Ludovici secundi. Hic in hereditate paterna optinuerat regnum provintie Provintie, et ivit Romam et coronatus fuit per papam. Factus autem imperator Heryrmegrandem nepotem suam tradidit Bosoni cognato suo in uxorem, et ipsum instituit regem Provintie et Burgondie. Iste Karulus secundus dictus Calvus genuit Ludovicum Balbum. Hic Ludovicus ex Aygrande uxore sua genuit Ludovicum et Karulum Magnum, qui simul fuerunt reges Franchie, et expulerunt Bosonem de Provintia et Burgondia. Item hic Ludovicus Balbus ex concubina genuit Karulum Balbum. Karulus autem Calvus imperator supradictus ex nobili concubina genuit Arnulfum virum elegantis forme. Fuit autem tunc temporis quidam Ludovicus dictus Iunior, filius Ludovici Pii imperatoris, rex Germanie et Baverie, qui in castro Franchone moritur,

ne fanno una sola. Fu fondata infatti da quell'arcivescovo nell'anno 879, che ne conferì il diritto e la possessione ai monaci di s. Ambrogio, che vi aveano anche uno spedale, come si ha nel diploma di fondazione custodito già nell'archivio di quel cenobio, e vien altresì confermato in altre carte del 972 e del 1087, ove si riconosce di loro giurisdizione. Come chiesa parochiale spettante ai medesimi viene dichiarata ancora da Pasquale II papa con sua bolla del 1103, e da Oberto arcivescovo nel 1148. Fin nel secolo scorso ne mantenevano i monaci tuttavia il diritto col portarsi ogni anno ad uffiziarla solennemente il dì della festa di s. Satiro. Ad onta di ciò, non mancarono serie controversie fra quel monastero ed i parochiani di quella chiesa, in cui veniva contestato il diritto dei monaci, come appare da una sentenza del 16 giugno 1246 dell'arcivescovo Leone da Perego intorno all'elezione del cappellano di quella chiesa, nel qual tempo non vi abitavano più i monaci, nè v'era più traccia alcuna dell'antico ospitale annesso alla cella, ossia al piccolo monastero.

qui genuit tres filios, scilicet Karulum Magnum et Ludovicum et Karulum. Hic Karulus Magnus intravit Ytaliam volens imperium subripere; contra istum pugnavit iuxta Renum Karolus Calvus imperator huius nominis secundus, et prevaluit Karolus Magnus, et optinuit Baveriam, Pannoniam, Karinthiam, Boemiam et Moraviam. Fugatus autem Karolus Calvus ivit Romam, et coronam imperii optinuit et Papiam rediit. Quo audito Karulus Magnus Ytaliam intravit, et Karulus Calvus inter alpes per iudeum tosicatus interiit. Hec Pantheon.

Karulus Magnus huius nominis secundus destruxit Mediolanum.

Karulus Magnus [1] rex victoriosissimus dum Ytaliam possideret, mortuo Karulo Calvo imperatore, civitatem mediolanensem obsedit atque violenter superavit. Et ista fuit istius civitatis xv subiugatio. Hic Karulus Magnus broletum vetus in preoptationem sterilitatis sale seminari fecit, offitium ambroxianum odivit, omnes libros offitii ambroxiani aut combussit aut secum ultra montes detulit, omnes libros beati Ambroxii tam in sententiis novi et veteris testamenti, quam etiam in arte musice exportavit; et quia plures clerici et religiosi quam etiam seculares libros absconderant, multi sacerdotes et religiosi mortui sunt. Unus autem sacerdos in cripta montis unum missale offitii beati Ambroxii abscondidit per sex septimanas; manuale composuerunt illi, qui illud offitium mente sciverunt. Moritur Karulus Magnus anno Domini DCCCXC, et ex uxore genuit filium, qui dictus est Arnulfus, cui

(1) Carlomanno figlio di Ludovico re di Germania, e nipote di Carlo il Calvo.

pater dedit totam Baveriam et ducatum Carintie cum castro Mons Ebruch, qui postea fuit imperator. Hec Pantheon et B. B. Et nota quod fuerunt tres Caruli Magni, qui omnes fuerunt reges vel imperatores; duo fuerunt filii regis Pipini Nani, de quibus supra dictum est, tertius dictus est Carulus Magnus qui destruxit Mediolanum, de quo hic habetur.

Karulus Grossus imperator.

Christi anno DCCCLXXIX, eminente in Roma Iohanne papa, sedente Mediolani Ansperto archiepiscopo, Karulus Grossus [1] sive iunior huius nominis tertius imperavit annis XII. Hunc Iohannes papa coronavit in Roma cum pede. Iste fuit filius Ludovici secundi imperatoris. Hic uxorem suam numquam cognovit, et ex concubina genuit Bernardum. Isto tempore Gothofredus rex Normandie, adiunctis sibi Dannorum populis, qui duxerat in uxorem Gislam filiam Lotharii imperatoris, invasit Franchiam, Lothoringiam, Parisios, Metis, Treverim, Coloniam et Aquisgrani. Quo audito Karulus Magnus supradictus, qui totam Ytaliam occupaverat, movens exercitum de Ytalia ultra montes perrexit contra Gothofredum regem Normandie, cui adiunctus est Karulus Grossus imperator. Quo audito rex Normandie timuit, et pacificatus cum imperatore christianus efficitur, quem imperator de fonte levavit, et terras ultra Secanam [2] concessit, que usque hodie dicitur Normandia. Huic Karulo Grosso datis manibus et sacramentis ipsum in regem Franchorum inungunt. Hic imperator invasit Ugonem ducem Lothoringie, filium Lotharii primi imperatoris, quem cum

(1) Carlo il Grasso o Grosso, figlio di Lodovico re di Germania.
(2) *Secana* o *Sequana*, la Senna.

cepisset, ipsum oculis privavit et in monachum tonsuravit, et ducatum Lothoringie tradidit Adoni comiti parisiensi, qui postea fuit rex parisiensis, quem Arnulfus imperator confirmavit. Hic Karulus Grossus reginam uxorem suam habuit suspectam de quodam episcopo vercellensi; ipsa autem esse virginem asseruit, cui imperator libellum repudii dedit et in monasterio inclusit. Tandem hic imperator deficere cepit in corpore et in animo, propter quod Barones ipsum repudiaverunt; et finaliter ad tantam paupertatem devenit, quod Arnulfus in imperio sibi succedens ipsi elimosinas aliquas fecit.

Hanc uxorem imperatoris Karuli Grossi de episcopo vercellensi suspectam accusavit quidam miles genere yspanus virorum fortissimus, paratus subire duellum quod veritas sic se haberet. Imperatrix habuit pro se comitem Barcinonensem et Tholosanum, qui fuit princeps ab antiquo nobilissimus, qui pugnavit pro imperatrice et victor extitit. Tunc imperator consolatus ex uxoris purgatione donavit isti principi comitatum Provintie sub ratione feudi. Factus est ergo iste princeps, qui pugnavit pro imperatrice, comes Barchinonensis et Tholosanus et comes Provintie; qui moriens genuit duos filios, primogenito dedit duos comitatus, scilicet Barchinonensis et Provintie, secundogenito dedit comitatum Tholosanum, qui tandem ad regnum Franchie et donationem ecclexie pervenit. Primogenitus, qui erat comes Barchinonensis et Provintie, accepit in uxorem filiam regis Aragonum, que erat unica et heres regni; ex tunc factus est rex Aragonum et comes Barchinonensis et Provintie. Ex hoc rege in processu temporis nata fuit una filia unica et heres regni et duorum comitatum, que tradita fuit Karulo secundogenito regis francorum, qui fuit frater sancti Ludovici et primus rex Sicilie, qui fuit iure hereditario rex Aragonum et rex

Sicilie et rex Yerusalem et comes Barchinonensis et provintie Provintie.

Anselmus archiepiscopus Mediolani secundus.

Christi anno DCCCLXXXIII, eminente in Roma Iohanne papa, imperante Karulo Grosso, Anselmus huius nominis secundus factus archiepiscopus mediolanensis sedit annis XIV cum dimedio. Isto tempore comitatus Flandrie oritur, Sarraceni destruxerunt Siciliam, sol in meridie fuit obscuratus et stelle clarissime apparuerunt. Ungari a Scithia egressi, qui carnibus crudis vescebantur et sanguinem vivum bibebant, Pannoniam sunt ingressi, et expulsis inde Avaris, terram illam incoluerunt usque in presentem diem.

Quatuor imperatores.

Christi anno DCCCXCI, eminente in Roma Stephano quinto, sedente Mediolani Anselmo secundo, quatuor imperatores insurrexerunt, duo ultramontes et duo in Ytalia. Primus dictus est Arnulfus (1) filius Karuli Magni ex uxore; hic erat princeps orientalis Franchie, Suevie, Saxonie, Thuringie, Frixie, Lothoringie et omnium terrarum super Renum. Hic genuit Ludovicum, qui successit ei in regni francorum Magantie. Hic Arnulfus imperator et multis intervenientibus muneribus Odonem comitem parisiensem coronavit in regem parisiensem, cui donavit occidentalem Franchiam, et imperavit iste Arnulfus annis XII, qui moriens a pediculis corroditur, et in ipso linea imperialis Magni Karuli finitur. Secundus imperator

(1) Arnolfo figlio di Carlomanno re di Baviera e d' Italia.

dictus est Ludovicus filius quondam Bosonis regis Provintie et Burgondie. Hunc longobardi in imperatorem sibi preficiunt, quem papa in imperatorem coronavit, et genuit Ugonem regem Burgondie, qui postea fuit imperator Burgondie et Ytalie.

Berengarius dux Forlanorum.

Tertius dictus est Berengarius (1) huius nominis primus, qui erat dux Forlanorum et Aquilegiensium de genere Aistulfi regis longobardorum, et imperavit annis sex; vir fuit prudens et bellicosus nimis; hic in Modoetia fuit coronatus, sicut patet in privilegio dato civibus de Pergamo, quia dum coronaretur in Modoetia, concessit pergamensibus ut suam possent rehedificare civitatem. Hic genuit Berengarium, et hic alium Berengarium et alium Berengarium, qui omnes fuerunt imperatores.

Guido dux Spoleti.

Quartus dictus est Guido dux Spoleti, qui fuit per papam coronatus (2). Hic genuit Ugonem et Ugo Arnulfum, et fuerunt ei duo fratres, scilicet Lambertus qui successit ei in imperio, et alter dictus est Conon.

Quatuor imperatores inter se.

Creatis autem quatuor imperatoribus in diversis regnis, primo Guido cum suis Spoletanis insurrexit contra Berengarium et ipsum superavit; unde Berengarius imperio

(1) Berengario figlio di Eberardo già duca del Friuli.
(2) Questi liberò Benevento dalle mani dei Greci.

privatus ivit in Alamaniam ad Arnulfum imperatorem, rogans eum ut intraret Ytaliam; interim Guido imperium italicum subripuit, et vadens Romam per papam coronatur. Arnulfus imperator Alamanie congregans exercitum fortem intravit cum Berengario Ytaliam, per tridentinum fatiens iter, et optinuit Veronam, Brixiam et Pergamum, et Ambrosium ducem pergamensem super civitatis portas suspendit, quod factum omnes ytalicos exterruit; et Berengarium in imperio suo, quod erat in Aquilegia, restituit; et Guido alter imperator moritur, cui in imperio successit Lambertus frater eius. His peractis victoriis, Arnulfus per Placentiam et montes Apenninos in Alamaniam revertitur. Tunc contra Berengarium alter imperator surrexit dictus Ludovicus supradictus, pugna committitur et Berengarius iterum prosternitur, et iterum in Alamaniam fugatur. Quod ut factum est, Ludovicus Romam ivit, et per papam coronatus fuit, et venit Veronam. Tunc Berengarius de Alamania exiens occulte Veronam intravit, et Ludovicum imperatorem lecto dormientem cepit et oculis privavit. Huic Ludovico erat filius dictus Ugo rex Burgondie, qui postea fuit imperator; Ugo genuit Lotharium et Manassem archiepiscopum mediolanensem; sicque Berengarius primus iam tribus vicibus multo sparso sanguine imperium cum huius triumpho optinuit. Mortuis ergo duobus imperatoribus, scilicet Ludovico et Guidone, supervixerunt tantum duo, scilicet Arnulfus in Alamania et Berengarius in Ytalia.

Landulfus primus archiepiscopus Mediolani.

Christi anno DCCCC, eminente in Roma Iohanne IX papa, imperantibus in Ytalia Berengario primo et in Alamania Arnulfo, Landulfus huius nominis primus sedit

annis tribus. Isto tempore quidam Karulus de stirpe Magni Karuli regnabat in Franchia occidentali, ubi est Parisius; de isto Karulo natus est Ludovicus, qui duxit in uxorem Hanidam sororem Ottonis ducis Saxonie, qui genuit Albertum ducem Austrie et Ludovicum ducem Vienne Burgondie, cui cessit in sortem territorium de la Turre, unde traxerunt originem Turriani de Vienna, et Turriani de Castiliono et Turriani de Mediolano. Tunc, scilicet Christi anno DCCCC, Ugo Zarpeta dux aurelianensis, expulsis omnibus qui erant de stirpe Karuli Magni, regnum Franchorum occidentale optinuit; et quia dux erat, duxit filiam Ludovici regis et Hanide, que nata erat de stirpe Karuli Magni, ideo reges Franchorum dicunt se natos de Karulo Magno.

Tunc temporis longobardorum genus iamdudum extirpatum de Italia iterum vires resumere visum est, et more suorum predecessorum ceperunt ecclexias spoliare et prelatis tributa imponere. Videns papa Iohannes VIII quod linea Magni Karuli quantum ad potentiam iam defecisset, quibus imperium datum fuerat, ut sedem apostolicam tuerentur contra longobardos, transtulit de consensu senatus et populi romani imperium de germanicis ad ytalicos, statuens quod nullus diceretur imperator aut per papam coronaretur, nisi esset rex in Ytalia, unde imperium a principio originem traxit. Sed utrum papa statuerit, quod imperium iret per electionem vel non, certum non habetur; hoc tamen certum est, quod ex privilegio beati Gregorii pape electio regis Ytalie promovendi ad imperium pertinebat ad archiepiscopum mediolanensem, quod quidem privilegium feliciter usi sunt plures archiepiscopi mediolanenses, ut Ylduinus, Valpertus, Heribertus et plures alii, sicut inferius patebit in locis suis.

Andreas archiepiscopus mediolanensis.

Christi anno DCCCCIII, eminente in Roma Benedicto quarto, imperio vacante, Andreas in festo sancti Andree factus archiepiscopus sedit annis sex. Isto tempore nullus reputabatur imperator nisi imperaret in Ytalia, nec in numero imperatorum connumeratur, et hoc duravit usque ad tempora Ottonis primi. Et quia Vincentius in Speculo ab isto loco incipit descendere per reges franchos, et cronica Sichardi per imperatores ytalicos, et cronica Pantheon per reges alamanicos, et ex hoc diversitates insurgunt in ystoriis, ideo videamus quid ipsi dixerint per ordinem, ut sic facilius veritas innotescat.

SYCARDUS	QUEDAM CRONICA
Karulus Grossus	Karulus Grossus
Arnulfus	Berengarius et Guido
Ludovicus	Berengarius et Lambertus
Berengarius	Ludovicus filius Arnulfi
Ugo	Albertus
Berengarius	
Lotharius	
Berengarius	
Athleyta imperatrix	
Otto primus.	Otto primus.

VICENTIUS	MARTINIANA
Karulus Grossus	Karulus Grossus
Arnulfus	Ludovicus Bosonis
Ludovicus tertius	Berengarius
Conradus	Conradus

Henricus	Henricus
	Berengarius
	Lotharius
	Berengarius
Otto primus.	Otto primus.

Quedam Cronica	Panteon
Karulus Grossus	Karulus Grossus
Arnulfus	Arnulfus
Berengarius	Ludovicus
Ugo	Otto antiquus
Lotharius	Conradus
	Henricus
Otto primus.	Otto primus.

Lambertus imperator Ytalie..

Christi anno DCCCCIII, eminente in Roma Benedicto quarto, sedente Andrea archiepiscopo Mediolani, Lambertus frater Guidonis imperatoris supradicti imperavit in Ytalia anno uno, et fuit coronatus in Roma. Hic dum moriretur, filium suum Ugonem imperii sui heredem derelinquit; de Ugone natus fuit Rodulfus.

Ludovicus tertius imperator.

Christi anno DCCCCIV cum supradictis concurrentiis Ludovicus filius Arnulfi, qui erat princeps Lothoringie, in loco qui dicitur Foreym, imperator in Alamania efficitur. Hic fraudolenter intravit in Ytaliam et imperium usurpavit anno uno; attamen ad imperii coronam non pervenit. Hec Pantheon. Hic genuit Ugonem regem Burgondie et Conradum regem Alamanie.

Berengarius huius nominis secundus, filius Berengarii primi dux Forlanorum et Aquilegiensium de genere Desiderii regis longobardorum imperavit in Ytalia annis VI. Hic cepit iuxta Veronam Ludovicum supradictum et oculis eum privavit XII kalendas augusti.

Ugo dux Spoleti filius Lamberti imperatoris factus imperator. Hunc Berengarius apud Veronam capite privavit, et imperavit in Ytalia annis VI; attamen imperii coronam non optinuit.

Interim dum hec in Ytalia agerentur, in Alamania Otto senex dux Saxonie imperator eligitur, qui propter antiquitatem renuntiavit imperio. De isto Ottone natus est Henricus imperator, de quo natus est Otto primus imperator romanorum. Ottonis supradicti senis ex filia nepos natus est Albertus nobilissimus rex francorum Magantie, de quo natus est Albertus dux Austrie.

Atho archiepiscopus mediolanensis.

Christi anno DCCCCVI, eminente in Roma papa Sergio, imperantibus supradictis, Atho factus archiepiscopus mediolanensis sedit annis XXII cum dimedio. Isto tempore Ungari per Lombardiam pervagantes sagittis cunctos vulnerabant, omnia spolia exportabant; et sic de tertio anno in tertium annum redibant, omnia consumebant. Ex hoc ytalici et spetialiter cives de Mediolano sano usi consilio in confiniis castra crexerunt; postea quilibet secundum quod placuit, in terris suis se communivit, et fuerunt fortilitie in nostro comitatu fortes nimis , sicut ex ipsorum ruinis apparet. Numerus autem castrorum cum villis adiunctis, ut dicit cronica Bonvesini, fuerunt CL, exceptis burgis et villis exemptis.

Conradus non imperator.

Christi anno DCCCCXIII, eminente in Roma Sergio papa, sedente Atho archiepiscopo Mediolani, Conradus Ludovici tertii filius imperator franchorum Magantie factus regnavit annis VII; et quia nullus erat imperator, nisi qui in Ytalia regnabat, ideo iste Conradus inter imperatores non connumeratur. Hic sine prole decessit, unde ordinavit quod Henricus dux Saxonie rex post ipsum efficeretur.

Guaribertus archiepiscopus Mediolani.

Christi anno DCCCCXVIII, eminente in Roma Iohanne X, imperante Conrado in Alamania, Guaribertus factus archiepiscopus Mediolani sedit annis duobus. Isto tempore prodigium triste apparuit, quia in civitate ianuensi factus sanguis largissime emanavit, et ipso anno sarraceni intraverunt Ytaliam omnia devastantes, inter alia civitatem ianuensem nondum muratam sunt aggressi; homines et mulieres cum omnibus thesauris abducentes ad insulas maris, quas sarraceni sive affricani tunc possidebant. Sed ianuenses resumptis viribus insulas invaserunt, et mediolanenses murum urbi cinxerunt satis parvum, cuius vestigia adhuc apparent. Insuper et vexillum comunitatis album cum cruce rubea illi civitati comunicaverunt. Ille autem murus, qui nunc est, factus fuit temporis Federici Barberubee, et in circuitu habet V̄.DXXII pedes et merlos MLX.

Lambertus archiepiscopus mediolanensis.

Christi anno DCCCCXXI, eminente in Roma Iohanne X,

imperante Henrico in Franchia Magantie, Lambertus archiepiscopus Mediolani sedit annis fere x. Isto tempore erat tanta confusio de imperio, quod quilibet rex in unoquoque regno diceret se esse imperatorem. Tunc archiepiscopus mediolanensis convocatis prelatis et baronibus, habito diligenti consilio, rimatisque privilegiis suis per beatum Gregorium papam collatis, determinatum fuit quod electio imperatoris de pleno iure spectabat ad archiepiscopum mediolanensem, quod de facto complevit Ylduinus archiepiscopus, istius Lamberti archiepiscopi successor, ut infra dicetur.

Berengarius huius nominis III imperator.

Christi anno DCCCCXXVIII, eminente in Roma Iohanne X, sedente Lamberto archiepiscopo Mediolani, Berengarius imperii usurpator huius nominis tertius imperavit versus Aquilegiam et Thusciam annis VIII. Hic fuit filius Berengarii secundi, de quo habitum est supra.

Hylduinus archiepiscopus Mediolani.

Christi anno DCCCCXXX, eminente in Roma Leone sexto, imperantibus supradictis, Hylduinus factus archiepiscopus Mediolani sedit annis VI. Hic fuit primus archiepiscopus, qui de electione imperatoris se umquam intromisit. Ipse enim congregato concilio prelatorum et baronum in ecclexia sancti Ambroxii, elegit in regem Ytalie Ugonem regem Burgondie, filium Ludovici tertii. Qui cum intrasset Mediolanum, per archiepiscopum mediolanensem in ecclexia sancti Ambroxii extra civitatem coronatus fuit, et fuit similiter coronatus Lotharius filius eius cum eo; et imperaverunt simul et

privilegia simul concesserunt. Lotharius autem duxit in uxorem Athleytam genere lombardam, de qua filium non suscepit.

Ugo imperator mediolanensis.

Christi anno DCCCCXXX, eminente in Roma Leone sexto, sedente Mediolani Hylduyno archiepiscopo, Ugo super Ytaliam imperavit annis XVI. Hic Ugo contra Berengarios semper pugnavit, non immemor quod Berengarius primus Ludovico imperatori patri suo oculos apud Veronam eruisset et interfecisset. Iste considerans quod ecclexia mediolanensis excederet omnes mundi ecclexias in divitiis, in militia et in vassallis, in tantum quod imperatores eligeret et coronaret, cogitavit omnibus modis quomodo posset Manassem filium suum instituere archiepiscopum. Et audiens quod privilegium fuit summorum pontificum, quod nullus fieret archiepiscopus mediolanensis, nisi esset de gremio cardinalium einsdem ecclexie, ordinavit cum Hilduyno archiepiscopo, quod fuit factus cardinalis ipsius ecclexie, et tunc fuit electus in episcopum arelatensem. Et quia iste Ugo erat imperator, utebatur privilegio concesso Karulo magno, quod nullus electus in quacumque ecclexia consecraretur, nisi prius investiretur per imperatorem per baculum et anulum, noluit eum investire de episcopatu arelatensi, ne ex hoc impediretur de dignitate ecclexie mediolanensis.

Arderichus archiepiscopus Mediolani.

Christi anno DCCCCXXXV, eminente in Roma Iohanne XI, imperantibus Ugone cum Lothario filio suo in Ytalia, Arderichus senex factus est archiepiscopus Mediolani,

quem imperator investivit per baculum et anulum, et sedit annis XII. Cum instaret electio de archiepiscopo fiendo, Ugo imperator voluit quod Manasses eius filius fieret archiepiscopus; cui cardinales ecclexie maioris Mediolani responderunt, quod non erat conveniens virum iuvenem in maiori ecclexia mundi promoveri. Tunc imperator Ugo procuravit quod Ardericus antiquus eligeretur, sperans eum cito moriturum. Qui cum viveret plusquam videbatur imperatori, cogitavit eum occidere.

De monasterio Nollantule.

Ugo imperator convocavit apud Papiam concilium prelatorum et baronum, et interfuit Ardericus archiepiscopus mediolanensis, sociatus magnifice capitaneis et valvassoribus vassallis suis. Imperator voluit eum interficere, sed a vassallis suis defensus fuit, et interierunt XC de familia archiepiscopi. Et dicit Cronica Arnulfi, quod imperator penitentia ductus in diocesi civitatis Mutinensis construi fecit monasterium, quod a numero XC interfectorum dictum est monasterium de Nollantula (1), quod donavit archiepiscopo mediolanensi.

De capella yemalis ecclexie.

Imperator considerans quod propter iniuriam illatam archiepiscopo mediolanensi homines de Mediolano ipsum videre non poterant, volens corda civium ad se revocare, construi fecit super altare yemalis ecclexie capellam auream cum cruce. Cumque nec sic potuisset corda virorum

(1) « Hoc non dicit Arnulphus, sed a XC sui iuris curtibus » (*Postilla nel margine*).

ad se revocare, imperio renuntiavit, et in Burgundiam rediit, et imperavit Lotharius filius eius pro eo.

Lotharius imperator mediolanensis.

Christi annno DCCCCXXXVII, eminente in Roma Iohanne XI, sedente Arderico archiepiscopo Mediolani, Lotharius Ugonis imperatoris filius imperavit annis duobus. Hic duxit in uxorem Athleytam genere lombardam, de qua prolem non habuit. Ipse donavit monasterio sancti Ambrosii maximas possessiones ultra Padum; et dicit cronica Gothofredi de Busero, quod concessit pergamensibus quod possent rehedificare murum civitatis et turres, quas Ungari destruxerant. Et moriens in monasterio sancti Ambrosii, sepelitur in capella s. Georgii sub stillicidio, et imperavit Athleyta uxor eius pro eo.

De Trizia de Casate.

Isti duo supradicti imperatores Ugo et Lotharius instituerunt in Vigezolo quemdam virum nobilem suum vicarium generalem, cui inerant tres filii. Tunc temporis illi de Ponziis habitabant in Casate veteri, qui totam Marthesanam sua potentia subpeditabant; contra quos hic vicarius pugnavit, et eos de Marthesana expulit. Tunc unus filius istius vicarii construxit Casate novum; de isto nati sunt illi de Casate ed de Bebulco. De alio fratre mediocri nati sunt illi de Gluxiano; ideo propter sanguinis affinitatem dicti sunt Trizia de Casate. De alio fratre minore nati sunt illi de Vigezolo.

Athleyta vidua imperatrix mediolanensis.

Christi anno DCCCCXXXIX, eminente in Roma Leone VII, sedente Mediolani Arderico archiepiscopo, Athleyta quondam Lotharii imperatoris relicta imperavit in Ytalia annis plurimis. Eodem anno apud Aquilegiam imperare cepit Berengarius huius nominis quartus annis XII, et imperavit cum eo Albericus filius eius, et alios tres filios suos, scilicet Vidonem, Aldebertum et Conon sacri palatii comites fecit.

Duo archiepiscopi fuerunt in ecclesia Mediolani, qui nunquam fuerunt consecrati.

Christi anno DCCCCXLVIII, eminente in Roma Agapito secundo, imperantibus in Mediolano Athleyta imperatrice, et Berengario cum filio suo Alberico in Aquilegia, et Ottone cum filio suo Litulfo in Alemania, duo cardinales mediolanensis ecclesie in discordia sunt electi, scilicet Manassen episcopus aurelianensis filius Ugonis imperatoris, et Ademarus de Menclotiis, et neuter fuit confirmatus nec consecratus. Et hii duo per quatuor annos redditus ecclexie mediolanensis et quecumque pretiosa, quibus ecclexia mediolanensis super omnes mundi ecclexias incomparabiliter affluebat, inter se diviserunt non ut homines, sed velut lupi rapaces. Hec ex dictis Arnulfi. Isto tempore celo sereno in sanguinis colorem mutatus est, haste ignee per aerem discurrere vise sunt. Hic Ademarus de Menclotiis construxit ecclexiam s. Georgii ad puteum blanchum, ubi in lapide sculptus est in strata comuni.

Valpertus archiepiscopus Mediolani.

Christi anno DCCCCLIII cum supradictis concurrentiis factum est, ut ambo supradicti archiepiscopi renuntiarent, et tunc factus est archiepiscopus Valpertus ecclexie mediolanensis cardinalis. Factus archiepiscopus sedit annis XVIII. Isto tempore Berengarius imperator aquilegyensis cum tribus filiis suis, Vidone, Alberto et Conon, et cum mirabili exercitu civitatem mediolanensem invasit, cui imperatrix Athleyta in campo potenter occurrit; pugna committitur, et Berengarius prosternitur. Et iterum alia pugna committitur, et Athleyta imperatrix superatur, quam Berengarius superatam incarceravit, et totam Ytaliam duro iugo pressit.

Lambertus imperator destruxit civitatem Mediolani.

Tempore istius Valperti archiepiscopi mediolanensis, ut dicit chronica Datii, quidam Aldebertus de domo regum franchorum natus comes Franchonie et dux Austrie, contra Ottonem primum regem franchorum Magantie se erexit, et imperium in Alamania usurpavit; et assumptis duobus fratribus suis Henrico et Alberto iuniore, cum exercitu mirabili Ytaliam intravit, Gothos et Ungaros expulit, totam Ytaliam quasi ancillam subpeditavit, et Mediolanum adiit petens ingressum; sed archiepiscopus respondit, quod a tempore Theudosii imperatoris ex privilegio beato Ambrosio concesso civitas mediolanensis ab ingressu imperatoris libera extiterit. Tunc habitavit extra urbem in palatio magno iuxta ecclexiam sancti Ambrexii, et furia et indignatione repletus iuravit per coronam suam, quod civitatem mediolanensem destrueret. Finaliter pax facta fuit, et imperator iuravit si in civitate posset paucis

diebus habitare, quod nulla fieret novitas; et sic civitatem cum universo exercitu intravit, et conscendens palatium, dominium civitatis usurpavit, ut dicit cronica Barzanorii. Cives arma clamitant ad imperatoris mortem; et cum satis fuisset pugnatum, imperator crudeliter fuit vulneratus, unde turbatus iussit civitatem destrui, et destructa sunt aliqua palatia et turres et muri civitatis, et ista fuit istius civitatis XVI destructio.

Archiepiscopus Mediolani elegit imperatores.

Valpertus archiepiscopus contra hunc tyramnum advocavit emulum eius Ottonem ducem Saxonie et Normandie, quem archiepiscopus maguntinus in Aquisgrani iunxerat in regem franchorum Magantie anno Christi DCCCCXXXVI, ut dicit Pantheon; et propter animi feritatem dictus est Otto pallida mors Saracenorum. De isto predixit Sibilla Tyburtina: Surget O vir bonus et iustus, postea alter O mirabilia mundi, deinde alter O vir mendax et sanguinarius et ecclexiarum destructor. Post eum surget rex A ex genere longobardo; post eum surget alius A genere salingus, qui expugnabit longobardos et Roma subiugabitur. Et postea surget rex salingus, et multiplicabuntur mala in terra. Postea surget B et regnabit duobus annis; postea surget A qui subiugabit Romam; postea regnabit B genere longobardus, de quo procedent XII reges, et regnabit annis L. Postea surget E rex salingus de Franchia; postea F. idest Federicus Barbarubea, et cetera.

Otto huius nominis primus duxit Athleytam in uxorem.

Otto rex franchorum Magantie, congregato exercitu forti, cum Lytulfo filio suo et Conrado genero suo intravit

Ytaliam, et pugnans contra Aldebertum imperii usurpatorem, qui civitatem mediolanensem destruxerat, ipsum in campo prostravit, qui fugiens in Corsicam insulam miserabilem vitam finivit. Quo audito, Berengarius supradictus se humiliavit, et veniens Regium Athleytam reginam restituit, cui Otto imperator totam Ytaliam donavit, excepta Marchia Veronensium et Aquilegiensium; et veniens Otto rex Papiam festum Nativitatis Domini celebravit, et Athleytam quondam Ytalie imperatricem in uxorem duxit, de qua genuit Othonem secundum, et in Alamaniam perrexit, dimittens Litulfum filium suum et Conradum generum suum super Ytaliam. Tunc Berengarius Litulfum veneno extinxit, et totam Ytaliam optinuit. Conradum filium suum marchionem in comitatu Mediolani instituit, cuius uxor dicta est Richelda, et donavit ecclexie mediolanensi curiam de Trechate. Et dicit Pantheon, quod papa romanus misit duos legatos in Alamaniam, scilicet Valpertum archiepiscopum mediolanensem et Gualdum episcopum cumanum ad Ottonem, ut contra Berengarium hostem ecclexie intraret Ytaliam, Litulfi filii sui mortem et ecclexie iniuriam ulcisciturus, ut sic imperii coronam accipere dignus esset. Qui cum mirabili furia et exercitu promisit intrare Ytaliam, sed potius Ottonem filium suum parvulum in Aquisgrani coronari fecit in presentia legatorum pape in regem franchorum Magantie. Hec Pantheon et cronica Datii.

Otto primus coronatur in Mediolano et in Roma.

Otto rex franchorum secunda vice Ytaliam intravit cum imperatrice et duobus legatis pape supradictis, et veniens Mediolanum per archiepiscopum mediolanensem

in ecclexia s. Ambrosii coronatus fuit una cum filio suo Ottone, secundum modum et formam que supra habetur. Coronato itaque Otto in regem Ytalie, archiepiscopus convocatis ducibus et baronibus, capitaneis et valvassoribus, vestitis c nobilibus de scarlato, inter quos fuit Obizo comes Stationis sive Anglerie, imperatoris vicarius super totam eius militiam, qui dicitur merscalcus, ut dicit cronica Arnulfi, per tres dietas regem precedens usque Romam perduxit. Et dicit Pantheon, quod Iohannes papa ipsi Ottoni imperii coronam contulit secundum formam supra descriptam; et suscepta corona, ut dicit cronica Datii, Otto imperator Valperto archiepiscopo mediolanensi multa oppida regalia donavit.

Otto imperator.

Otto factus imperator, videns Iohannis pape amici sui malitiam, et quod sub eo ecclexia periclitaretur, rogavit cardinales ut ipsum corrigerent. Et dicit Pantheon, quod ex hoc turbatus papa ligam fecit cum Berengario imperii usurpatore contra Ottonem imperatorem; quo comperto, Otto convocavit synodum prelatorum et cardinalium et baronum in Roma; et dicit Vincentius, quod tribus vicibus misit pro papa ut deberet synodo interesse, quod ipse facere contempsit. Tunc de consensu generalis synodi ipsum ut renuntiaret papatui coëgit, et sic ex altera parte consentientibus cardinalibus papa ulterius non fuit. Deinde Otto imperator contra Berengarium dimicavit, quem cepit et in Baveriam incarcerandum misit.

De monasterio de Arona.

In congressu facto super romanos per imperatorem,

Obizo comes Anglerie combussit porticum s. Pauli de Roma, eo quod esset marescalcus sive quadrigularius imperatoris et dux exercitus; qui conscientia ductus construxit monasterium de Arona, et maximis possessionibus dotavit. Et propter quamdam concordiam quam ipse fecerat inter episcopum perusinum et imperatorem, ille episcopus donavit monasterio de Arona corpora sanctorum Finini et Gratiani.

Quod imperator primo incepit recipere tres coronas.

Christi anno DCCCCLXV Leo huius nominis VIII considerans beneficium quod Otto contulerat ecclexie, quia ipsum liberaverat ab hostibus, et papam reduxerat ad suam sedem, ipsum absque nulla electione precedente in imperatorem iterum per modum gratificationis coronavit, ea forma qua et ecclexia Karulum magnum absque aliqua electione coronaverat, quia simile beneficium ecclexie contulerat, ut habetur in decretis di. LXIII c. *In synodo.* Et dicit Pantheon quod Otto imperator tradidit filio suo Ottoni in uxorem Theophaniam imperatoris constantinopolitani filiam, quem Ottonem Leo papa in imperatorem una cum patre suo coronavit, ex quo patet quod Otto secundus sicut et pater eius tres coronas recepit, unam in Alamania, aliam Mediolanum, tertiam Rome; et omnes fuerunt sibi date in presentia patris.

Quatuor privilegia contulit ecclexia Ottoni primo.

Leo papa imperatori Ottoni tria contulit privilegia. Primum fuit quod posset ordinare sedem romanam, et hoc fuit propter malitiam romanorum, qui suos filios aut consanguineos intronizabant ad papatum aut per violentiam

aut per symoniam et omnem malum modum; ideo ordinavit quod nullus fieret papa, nisi de consensu imperatoris; unde dicitur in decreto di. LXIII, quod fecit ad imitationem eius quod fecerat Adrianus papa Karulo magno. Secundum fuit quod contulit regnum italicum, quod iret per successionem; unde habetur in decreto di. LXII, quod Leo papa Ottoni primo theutonicorum regi largitur eiusque successoribus huius regni Ytalie in perpetuum sibi facultatem eligendi successores (Glosa decreti); ex hoc apparet quantam auctoritatem habet papa super imperium, quia permittit in Ytalia successionem facere; unde papa omnes donationes factas per quoscumque reges franchos vel longobardos de his que sunt in Ytalia, imperatori donavit. Tertium est quod esset patritius et rex (Glosa); hic dat papa gladii temporalis potestatem, cuius tamen exercitium non habet, id est non exequitur, sed dando executionem se habere talem executionem ostendit, quia nemo dat quod non habet; et de hoc imperator ecclexie prestitit sacramentum fidelitatis, ut habetur in decreto di. LXIV *Tibi domino*. Quartum est quod ordinavit quod nullus archiepiscopus, episcopus vel prelatus electus consecraretur, nisi prius per imperatorem fuerit institutus per baculum et anulum (Glosa *de iure imperii*). Nullus laycus debet se intromittere de benefitiis ecclexiasticis, quia si persona layca non potest recipere ecclexiasticum benefitium, multo minus potest dispensare et alteri conferre, quia nullum agens agit, nec agere potest ultra suam spetiem. Potest tamen imperator sive princeps auctoritate pape aliquid instrumentaliter operari, sicut presentando, vel nominando, vel aliquid simile faciendo, que omnia concessa fuerunt Karulo magno, sicut patet supra.

De capitaneis portarum.

Otto imperator cum Valperto archiepiscopo Mediolanum rediit, et super portam porte vercelline fundavit monasterium maius et possessionibus dotavit; et dicit cronica de Barzanore, quod in singulis portis civitatis capitaneos instituit, qui dicti sunt capitanei portarum; et B. B. dicit quod tunc facti fuerunt capitanei in porta romana illi de Vicecomitibus, et in porta nova illi de la Turre, et sic de aliis.

De Valvasoribus Vallium qui erant capitanei.

Cathaneis itaque ordinatis per singulas portas civitatis, instituit et in vallibus capitaneos, qui a vallibus dicti sunt Vallisini (1), qui nunc Valvasores nuncupantur,

(1) « Aliquando imperator super valles comitatus nostri constituit aliquos presides, qui dicti sunt a vallibus Valvasores, et isti proprie non sunt Valvasores. In civitate Mediolani archiepiscopus in aliqua plebe, ut Vicomercato vel de Deyrago, vel aliter quomodocumque faciebat aliquem popularem capitaneum, et dicebatur capitaneus illius plebis, servus tamen archiepiscopi, qui nunc corrupto vocabulo dicuntur capitanei. Imperator Otto primus similiter per portas instituit capitaneos, ut Vicecomites in porta romana, et sic de aliis, et isto modo fuerunt plures capitanei in una porta. Hii aliis vicinis amore vel timore datos reditus et nobilitates condividebant, et ex hoc erant vassalli capitaneorum, qui corrupto vocabulo dicuntur Valvasóres. Videntes isti capitaneorum vassalli se effectos popularibus inferiores, quia semper erant populares, et super vilitatem popularem addiderant servitutem, renuntiantes feudis sibi datis ultra nobiles esse noluerunt, nec ad populare cognomen descendere, sed vocari voluerunt pars de Mota, idest media, quasi medii inter nobiles et populum. Contra istos semper pugnavit Credentia » (*Chron. mai.*).

Sotto la fine del secolo IV racconta altrove il nostro Cronista che « prevaricatis ducibus, excrescentibus parentum et filiorum in cordibus ipsorum amore et dilectione plus quam communitatis utilitatibus, unusquisque dux dum viveret, faciebat filios suos capitaneos in aliqua plebe ex sibi deputatis, et dicebantur cathanei illius plebis, sicque paulatim se denudantes pauperes effecti sunt, et sic eorum reverentia viluit, et populus cepit

videlicet in valle de Belegno, in valle de Leventina, in quibus sunt plusquam cc ville; item in valle Saxea, in quibus sunt ville LIV; et in valle sancti Martini, ubi sunt ville LV. Item in valle Soldi, ubi sunt ville XI; et in valle Verganti, ubi sunt ville XL; et in Canobio, ubi sunt ville XXIII; et in valle Leuci, ubi sunt ville IX; et in valle Lania, ubi sunt ville LXII; et in valle de Proleza, ubi sunt ville LXII; et in Telio, Trechate et Galliate et Campiliono. Et continent omnes valles et terre ultra XXX millia hominum, et sunt omnes sub archiepiscopo in temporalibus et spiritualibus, excepto Campiliono, quod est sub ecclexia sancti Ambroxii.

Et quia hic fit mentio de monasterio sancti Ambroxii, ideo de eiusdem monasterii translatione de civitate ad suburbia, et similiter aliorum monasteriorum est in hoc loco aliquid dicendum. Ubi est sciendum, secundum quod habetur ex dictis Michauri in cronicis, monasterium sancti Ambroxii sive abatia primo fuit in ecclexia sancti Satyri in porta romana, et postea fuit translatum ad ecclexiam ubi nunc est, et coniunctum canonie eiusdem monasterii.

Monasterium sancti Vincentii primo fuit in ecclexia sancti Xisti iusta carubium porte tycinensis, et postea fuit translatum ad locum ubi nunc est.

Monasterium sancti Simplitiani primo fuit in ecclexia sancti Victoris ad querоum porte nove, postea fuit translatum ad locum ubi nunc est.

Archiepiscopus marchio, dux et comes.

Imperator Otto Valpertum archiepiscopum super omnes prelatos mundi exaltavit, et coram astantibus glorificavit,

cathaneos revereri; maiora tamen civitatis ducibus manu et consiliis adhuc regentibus... Fuerunt diversi gradus cathaneorum in civitate Mediolani » (*Chron. mai.*).

et considerans benefitia, expensas et labores, quos ipse pertulerat in servitium imperii, ipsum instituit dominum civitatis in temporalibus, et fecit eum ducem in ducatu Bulgarie, et comitem in comitatu Seprii, et marchionem in marchionatu Marthesane; et omnia iura et omnes dignitates, quas duces habere consueverunt, ei contulit.

Quod Otto fuit proditus per fratrem carnalem.

Interim dum hec feliciter in Ytalia perageret Otto imperator, et ecce ultra montes ei parantur insidie. Nam Thamarus frater carnalis ipsius imperatoris in Alamania imperium subripere attemptavit, et fuit cum eo Yverardus comes palatii et Gilbertus dux Lothoringie et rex Normandie, et primo ceperunt Ludovicum regem franchorum et Lugdono incarceraverunt. Quo audito imperator, congregatis XXXII legionibus, illuc properavit, et Thamarum fratrem suum telo perfodit, hostes prostravit, et Ludovicum regem liberavit, multos paganos ad Christi fidem convertit, et finaliter moritur anno regni sui XXXVI, anno imperii XIII, et iacet in Brandeburch in monasterio sancti Mauritii, quod ipse fundavit, et imperavit Otto filius eius pro eo.

Otto imperator huius nominis secundus.

Christi anno DCCCCLXIX, eminente in Roma Iohanne XIII, sedente Valperto archiepiscopo Mediolani, Otto cognominatus Mirabilia mundi imperavit annis XX, et dicitur in libro *de iure imperii*, quod per papam Benedictum in Roma coronatus fuit cum uxore sua. Gilbertum nigromanticum pro doctore suo habuit, et ex Theophania imperatrice Ottonem tertium procreavit. Et dicit Vincentius,

quod in presentia sua filium suum in Mediolano coronari fecit sub hac forma verborum: Coronatur hic Otto in regem Ytalie, Normandie et Saxonie. Pantheon dicit quod iamdudum fuerat Otto secundus coronatus, qui cepit imperare Christi anno DCCCCLXXV, et quod iste fuit, qui liberavit Iohannem papam et prestitit ecclexie fidelitatis sacramentum; tamen prima opinio est verior. Hic intravit Franchiam occidentalem et superavit fines, Parisius, Remis, Lugduni, et intrans Ytaliam cum imperatrice, et perveniens in Apuliam superavit Beneventum et grecos, agarenos et barbaros de Calabria expulit, et vere potuit dici Otto Mirabilia mundi.

Arnulfus archiepiscopus huius nominis primus.

Christi anno DCCCCLXXI, eminente in Roma Iohanne XIII, imperante Ottone secundo, Arnulfus huius nominis primus archiepiscopus Mediolani sedit annis tribus et mensibus quatuor. Hunc imperator existentem subdyaconem in archiepiscopum dedit, quod multis displicuit. Isto tempore Brayanus rex Bragayorum in arte magica in tantum invaluit, ut cum vellet, videretur esse lupus vel quecumque alia bestia. Item in Ytalia prodigia plura apparuere, quia cruces in vestibus hominum apparuerunt, et cum tonitruo cecidit lapis mire magnitudinis. In Mediolano, ut dicit cronica Datii, vermes parvi sub pulveribus latitabant, qui fere omnes nobiles viros et probos mordendo interfecerunt; et cronica Arnulfi dicit, quod civitas in tantum personis evacuata fuit, quod per civitatem discurrebant boves, porci et arietes, et nullus receptator inveniebatur, ymo gratis distrahebantur. Modius tritici dabatur pro quatuor denariis, et currus lignorum pro uno denario vendebatur; et cum esset civitas mediolanensis omnium

nobilium habitatione destituta, imperator Otto cuidam Bonizo procurationem civitatis commisit; unde dicit cronica Datii, quod Bonizo de oppido Carcani accepta virtute ab imperatore sive ab Ottone rege, sicut dux castrum et civitatem mediolanensem procurando tenebat. Eius pater dictus est Benzonus de Scroxatis macellarius de oppido Carcani, qui genuit Bonizum supradictum. Bonizus genuit quinque filios, scilicet Landulfum archiepiscopum, Regynaldum, Guizardum, Ubertum et Benzonum.

Gothfredus archiepiscopus Mediolani.

Christi anno DCCCCLXXV, eminente in Roma Dono papa, imperante Ottone secundo, Gothfredus factus archiepiscopus mediolanensis sedit annis V; et dicit cronica Gothofredi de Bussero, quod anno Christi DCCCCLXXVI Ato comes de Leuco filius Uberti comitis moritur, qui erat totius Ytalie quadrigularius, et sepultus fuit in terra de Lomeno; eius uxor dicta fuit comitissa Ferlenda. Eodem tempore Conradus marchio nobilis filius Berengarii imperatoris donavit curiam de Trechate ecclexie mediolanensi; eius uxor dicta est Richelda Marchesana.

Landulfus archiepiscopus Mediolani
invasor ecclesie et destructor.

Christi anno DCCCCLXXX, eminente in Roma Benedicto VII, imperante Ottone secundo, Landulfus huius nominis secundus ex illis de Scroxatis factus archiepiscopus Mediolani sedit annis XVIII, mensibus tribus; et dicit cronica Datii, quod Bonizo pater eius ab imperatore archiepiscopatum pro filio suo multis malis artibus procuravit; et quia non fuerat per clerum electus, sed per

imperatorem intrusus, populus mediolanensis non habuit eum pro archiepiscopo, nec ipsum voluit recipere in civitate, sed facto tumultu, Bonizo pater eius arma sumens interfecit Tazium virum nobilem, cuius clientulus dictus fuit Mantegatius. Hic Tazius fuit comes vallis Saxee, que dicitur Valsasna; et dicit cronica Marchi Turriani, quod iste Tatius genuit duas filias, quas tradidit duobus fratribus ex illis de la Turre Viene, qui facti heredes illius comitatus dicti sunt Turriani, qui postea fuerunt domini in Mediolano [1]. De ortu istorum Turrianorum, et quomodo nati sunt de domo franchorum, habetur supra. Mortuo Tazio, archiepiscopus civitatem intravit, et Mantegatius supradictus Bonizum supradictum lecto dormientem interfecit; de quo nati sunt illi de Mantegatiis et illi de Capellis et illi de Sachis et illi de Nasis et illi de Cazollis.

Tres fratres facti capitanei.

Landulfus archiepiscopus ex illis de Scroxatis de oppido Carcani quatuor fratres suos nobilitare cupiens, bona ecclexie mediolanensis inter eos divisit. Primus dictus Ragynaldus, et iste factus capitaneus plebis de Incino, et deficiente nobili stirpe Cathaneorum de Carcano, iste nomen hic hereditavit. Secundus dictus Guizardus, et istum instituit capitaneum plebis de Masalia, et a castro Pyrovano dicti sunt de Pyrovano. Tertius dictus est Ubertus, et istum instituit capitaneum oppidi de Meregniano et Guastallam cum riperia Padi. Et dicit cronica Datii, quod feudum ipsorum fuit XL millia modii fructuum

(1) I Torriani, scrive Dino Compagni (*Cron. fiorent.*), erano gentili uomini e d'antica stirpe, e per loro arme portavano una torre nella metà dello scudo dal lato destro, e dall'altro due grifi incrocicchiati.

terre singulis annis, et omnia bulla aurea communivit. Quartus dictus est Benzonus de Scroxatis macellarius, et huic cum voluisset dignitates conferre, ille indignatus ait: volo potius in macello paterno degere quam sacerdotis servitutem subire; unde nomen cognationis antique cum macello possedit.

Archiepiscopus distrahit bona ecclexie.

Cives de Mediolano egre ferentes quod bona ecclexie mediolanensis tam enormiter distraherentur, ipsum archiepiscopum de civitate expulerunt, dicentes quod non esset pastor ecclexie, sed lupus rapax. Tunc archiepiscopus in oppido Carchani, quod est feudum ecclexie, se communivit, et resumptis viribus ad campum de Carbonaria hostiliter exivit. Occurrit populus ex adverso, et commissa pugna archiepiscopus fugatur. Supervenit Otto imperator in servitium archiepiscopi, et civitatem usque ad muros obsedit. Cives miserunt ad imperatorem dicentes: Servi tui sumus, sicut fuimus et patris tui; tu ingredere civitatem, dummodo ille archiepiscopus huc non intret, et potius elegimus mori quam habere pastorem. Videns archiepiscopus autem cor populi gravatum contra se nimis, oculte promisit civibus bona ecclexiarum eis condividere. Ex tunc facta fuit concordia, et antequam intraret civitatem, donavit eis omnes dignitates et decimas pertinentes ad cardinales ecclexie maioris, et illa que pertinebant ad decumanos et ad primicerium et ad hospitalia, que omnia per nefandam investituram roboravit, et fidelitatis sacramentum ab eis suscepit. Et isti dicti sunt vasalli illarum ecclexiarum, quarum bona receperunt, ut aliqui vasalli abatum sancti Ambroxii vel aliorum abatum, vel vasalli cardinalium vel decumanorum,

et sic de aliis qui nunc corrupto vocabulo dicti sunt valvasores.

De monasterio sancti Celsi.

Depauperatis itaque cunctis ecclexiis, hic dilapidator archiepiscopus in civitate Mediolani receptus fuit, et conscientia ductus eo quod ecclexias tam turpiter defraudasset, monasterium sancti Celsi construxit anno Domini DCCCCXCII, et post annos sex moriens ibidem tumulatus fuit iuxta hostium, ubi est aqua sancta; et in DCCCCXCV facta est canonica sancti Fidelis de Casate.

Otto imperator huius nominis tertius.

Christi anno DCCCCLXXXIX, eminente in Roma Iohanne XVI, sedente Mediolani Landulfo secundo, Otto huius nominis tertius imperavit annis XVII. De isto predixit Sibilla Tiburtina quod esset vir mendax, sanguinarius et destructor ecclexiarum, et regnabit annis S. per coronam imperii. Hic habuit in doctorem Gylbertum nigromanticum. Ipse fuit natione gallicus et dyaconus monasterii floriacensis, qui abiecto habitu monachali dyabolo homagium fecit, et dyabolus ei papatum promisit, et predixit quod celebrando missam in Yerusalem moriretur. Hic de Yspalim rediens habuit discipulos imperatorem Ottonem tertium et Robertum regem franchorum et Leotericum. Imperator instituit eum archiepiscopum remensem, postea factus fuit archiepiscopus Ravene, postea factus fuit episcopus Rome; unde versus scandit in B. Gilbertus ad B. post papa vigens B. qui dictus fuit Silvester.

Origo marchionum Montisferrati.

Hic Otto tertius genuit filiam, que cum esset in civitate astensi cum patre, adamavit quemdam lombardum pulcherrimum, qui dictus est Aleramus, quem cum occulte accepisset in virum, fugam cum ipso paravit in nemoribus circa Sagonam, ubi fatientes carbones et in paupertate viventes genuerunt tres filios; quod cum insinuatum fuisset imperatori, compassus est filie sue et parvulis, et accepit ipsum Aleramum in gratiam; et quia non habuit filios parvulos, natos de filia habuit valde caros; et concessit ipsi Aleramo genero suo quantum posset in tribus diebus circuire de terra illa montuosa, que est in Pedemonte, totum esset suum. Ipse in tribus equis velocissimis circuit die et nocte omnes contratas circa Alexandriam, circa Sagonam, circa Salutias et circa Montemferratum, et accepit illas terras ab imperio in feudum, et marchionis dignitatem accepit. Ipse terram suam inter tres filios divisit. Primus genitus habuit Montemferratum, qui sterilitatis privilegium acceperat, ut numquam de illa domo sit nisi unus, propter quod facti ditiores et insigniores. Secundo genitus habuit marchionatum de Guasto, qui accepit in uxorem unam ex marchionibus de Incisa, que erat de hereditate, et genuit filium, cui tradidit dotem matris et paterna hereditate privavit, et de isto nati sunt marchiones de Incysa. Item iste marchio de Guasto vivente prima uxore super induxit concubinam genere teutonicam, de qua genuit tres filios. Primus factus est marchio Salutiarum; alter factus est marchio de Carreto, alter factus est marchio de Zeva. Item supradictus Aleramus filio suo tertiogenito dedit marchionatum de Bosco, de quo descenderunt marchiones de Bosco, quorum terra est tota contrata circa Bergolium,

Marengum etc. In processu temporis, tempore Federici Barberubee, unus ex marchionibus de Bosco sine prole tradidit ecclexie terram suam, ubi postea constructa fuit per mediolanenses Alexandria, sicut infra dicetur, ubi agetur de Federico Barbarubea. Et nota quod marchio de Ancisa tamquam verus et legiptimus heres usque hodie petit totum marchionatum de Guasto, dicens eos esse spurios. Et hic Aleramus fuit horigo marchionum Montisferrati et Salutiarum, Carreti, de Incisa, de Bosco, de Zeva; marchiones autem Mallaspina et marchiones de Romagnano et marchiones de .... sunt longe antiquiores.

Arnulfus de Arziago archiepiscopus Mediolani.

Christi anno DCCCCXCIX, eminente in Roma Iohanne XVI, imperante Ottone tertio, Arnulfus de Arziago huius nominis secundus factus archiepiscopus Mediolani sedit annis XIX. Hic fuit vir magne sanctitatis, et fundavit monasterium sancti Victoris ad corpus in ecclexia Portiana. Et dicit cronica Datii, quod Ottonem tertium coronavit, serpentem eneum de Constantinopolim Mediolanum detulit, ut infra dicetur.

Arnulfus archiepiscopus ivit in Constantinopolim et optinuit serpentem.

Otto imperator considerans quod esset sine uxore et absque liberis, Arnulfum archiepiscopum Mediolani cum tribus ducibus et episcopis et cleri multitudine misit ad imperatorem constantinopolitanum, ut eius filia sibi daretur in matrimonium. Archiepiscopus ut pervenit Constantinopolim, in curia imperatoris pannum aureum

stravit, et equum suum mirabilis stature argenteis calceis ferratum panno superposuit. Ipse cum stola ad collum, quam semper portare consueverat, associatus principibus et episcopis imperatorem adiit, causam sui adventus aperuit. Imperator gaudens filiam suam ei tradidit, et apertis thesauris suis archiepiscopo omnia exposuit. Ille prout erat vir sanctissimus et magnificus nimis, nihil recepit, ymo anulum pretiosum, quem digit ogestabat, thesauro imperatoris addidit. Ex hoc imperator admiratus obstupuit. Attamen magnam partem crucis et serpentem eneum, quem Moyses exaltaverat in deserto, recepit; et conversus archiepiscopus ad imperatorem unam gratiam ab eo petiit, videlicet quod secum in suo hospitio cenare placeret; imperator promisit invitus. Et quia hoc imperatori non convenit cum hospitibus comedere, volens cene preparaturam impedire, iussit preconizari quod nullus venderet archiepiscopo ligna; quo audito archiepiscopus nuces et avellanas procurari iussit, et mezenas porcorum adhibuit, et cenam mirabilem preparavit. Imperator post cenam suis baronibus ait: in mundo non est inventus similis isti in magnificentiis et expensis. Adveniente oportuno tempore, archiepiscopus cum filia imperatoris recessit, et cum pervenisset ad portum Barianum, audivit quod Stephania uxor Crescentii, quam imperator viduam fecerat, ipsum veneno extinxerat; quo audito puellam ad imperatorem remisit, et Mediolanum ad suam sedem rediit.

De serpente et cruce, que sunt in sancto Ambrosio.

Arnulfus archiepiscopus crucem magnam ex ligno fieri iussit, et in crucis meditulo lignum dominice crucis imposuit, propter quod, ut fertur, picturam non recepit.

Ex adverso crucis super pillam lapideam serpentem erexit. Nec moveat quemquam hoc quod de serpente eneo dicitur, quia magister in ystoriis dicit quod in pulverem redactus fuit, quod Scripture adversari videtur, quia testus Biblie dicit quod fuit confractus; et si quis bene consideret, serpens in bolos sive frusta fuit concisus et plumbo reparatus.

De corona Mediolani et Modoetie.

Summus pontifex confirmatum in regem romanorum, quando sibi visum fuerit, vocat eum ad coronam imperii, et tunc intrat Ytaliam, et coronatur Mediolani fascia argentea per archiepiscopum mediolanensem in ecclesia sancti Ambroxii. Tamen in libro provintiali dicitur, quod coronatur per archiepiscopum mediolanensem in villa, que dicitur Modoetia dyocesis mediolanensis; et dicit quod in Alamania coronatur corona ferrea. Hoc idem notavit Iohannes Andree in quadam glosa super concilium viennense. Pantheon dicit quod coronatur Arelate, postea Modoetie. Quidquid fuerit de hoc, nunc servatur quod in Alamania coronatur corona argentea et in Mediolano corona ferrea, et tunc potest administrare iura imperialia in Ytalia.

Corona in Roma.

Rex romanorum, acceptis duabus coronis in Alamania et in Ytalia, vadit Romam, et ibi recipit coronam auream, et tunc iurat tertia vice ecclexie fidelitatis sacramentum. Et quia Constantinus magnus in donatione imperii occidentalis facta ecclexie dixit, quod non est iustum quod imperator terrenus habeat potestatem, ubi ab

imperatore celesti principatus sacerdotum et christiane religionis est constitutus, ideo imperator recepta corona sequenti die, sicut habetur in libro provintiali, exit de Roma, et conscendit montem qui est iuxta Romam, et dicitur Monte Mallo, et stans coronatus manu dextra elevata volvendo se dicit: omnia que videmus nostra sunt, et ad mandata nostra veniant. Tunc senator nobis cum populo romano dicit se exemptum, et in nullo sibi debere obedire, et ita servatur.

De prima electione imperatoris et modo.

Christi anno MI, eminente in Roma Gregorio V, sedente Mediolani Arnulfo archiepiscopo secundo, electores imperatoris congregati sunt in Franchforth, et secundum formam ab ecclesia prestitutam elegerunt in regem romanorum Henricum claudum virum sanctum, virginem perpetuum, filium Helyzilionis ducis Baverie; sed Sibilla dixit quod post Ottonem tertium regnaret H. longobardus genere. Hic Henricus huius nominis primus; iste licet non habuerit prolem, quia virgo perpetuus fuit, habuit tamen fratrem, qui dictus est Henrichus dux Bavarie, qui genuit filiam que dicta est Gisla, que fuit uxor Conradi imperatoris primi. Hic Henrichus claudus regnavit in Alamania annis VIII, et postea factus imperator vixit annis XII cum dimedio, et vacavit imperium annis duobus. Hic duxit uxorem Gundegundam, et ambo in sanctitate et santa virginitate permanserunt, et coruscantes miraculis migraverunt. Eodem tempore in Ytalia insurrexit aliud imperium, quia Arduinus dux Iporrigenensis imperium italicum usurpavit, qui civitatem mediolanensem semper odivit, pro eo quod coronam regni ytalici ei denegassent. Tunc Arnulfus archiepiscopus,

ut dicit cronica Datii, in Roncaliis concilium convocavit et Arduini imperium sprevit, et Henricum regem Alamanie regem Ytalie instituit, et pro eo misit ut Italiam intraret, que sibi debebatur de iure. Qui intravit et cum Arduino pugnavit in campo Fabrice, et prevaluit Arduinus; iterum pugna committitur, et Arduinus usque Papiam fugatur. Tunc per archiepiscopum mediolanensem fuit coronatus in ecclexia sancti Ambroxii, et in Alamaniam rediit.

Heribertus archiepiscopus Mediolani.

Christi anno mxix, eminente in Roma Benedicto VIII, imperante Henrico primo, Henribertus de Inteminiano filius Garibaldi ex illis de Arziago ultra Abduam sedit annis fere xxvii. Hic quasi alter Alexander fuit statura pusillus, sed cordatus ultra modum et bellicosus fuit. Eius uxor dicta Useria mulier ditissima nimis donavit monasterio sancti Dionisii possessionem que dicitur Useria. Hic archiepiscopus flobotomavit monasterium sancti Vincentii, de cuius superfluis possessionibus fundavit monasterium sancti Dionisii Christi anno mxxiii, et ecclexiam mediolanensem iamdudum laceratam restauravit. Duos abbates, scilicet sancti Ambrosii et sancti Vincentii, qui dicebant se esse exemptos, sibi subiecit auctoritate summi pontificis, in cuius signum papa donavit archiepiscopo corpora santorum martirum Quirini, Nicomedis et Habundii, que in monasterio s. Vincentii tumulavit. Eodem tempore, scilicet in mxxxvi, Rozus de Cortesella sive de Canzellariis construxit ecclexiam sancti Sepulchri, ut dicit Gotofredus de Bussero, die xv iulii, et die xvi octubris ecclexia sancti Satyri in porta romana fuit consecrata.

Heribertus superavit Papiam.

Henribertus archiepiscopus inter alia posuit in corde suo Arduinum imperii usurpatorem de Ytalia expellere. Arduinus contra archiepiscopum se armavit, plus timens eum quam hominem, et venit usque Novariam. Pugna committitur et Arduynus superatur et fugit usque Papiam; archiepiscopus eum obsedit, et finaliter civitatem obtinuit, quam uno igne totaliter concremavit. Arduinus fugit, et renuntians imperio in monasterio Fructerie privatam vitam ducens miserabilem vitam finivit; et archiepiscopus cum mirabili gloria domum rediit, et factus fuit dominus in temporalibus et spiritualibus et monarchus generalis.

De duobus comitibus Berengario et Ugone.

Henribertus archiepiscopus territorium nostrum pacifice cupiens, considerans quod in pratis plebis de Arsizate essent duo fratres carnales nobiles comites, scilicet Berengarius et Ugo, qui propter suam potentiam totum nostrum territorium expoliabant, latrones recipiebant, homicidia perpetrabant, congregavit contra eos exercitum magnum. Quo audito illi comites miserunt pro cremonensibus, ut prestarent auxilium, quod ipsi libenter fecerunt. Henribertus archiepiscopus ad bellum campestre eos invitavit, et commissa pugna, cremonenses cum illis duobus comitibus prostrati sunt, et versus Cremonam fugierunt, quos archiepiscopus die et nocte persecutus est usque Cremonam, ubi eos obsedit. Durante obsidione archiepiscopus omnia castra et terras et quecumque mobilia supradictorum fratrum ecclexie Mediolani confiscavit.

Archiepiscopus superata Cremona posuit illos de Doaria ibi.

Henribertus archiepiscopus tamdiu civitatem cremonensem in circuitu obsedit, quod hostiliter civitatem debellavit, et illam portam per quam ingressus est, ex suo nomine portam Henriberti appellari voluit usque in presentem diem. Illos de Dovaria consanguineos suos de villa dicta Dovaria natos dyocesis mediolanensis, civitatis cremonensis dominos et rectores instituit, et cum mirabili gloria domum rediit.

Archiepiscopus obsedit civitatem astensem.

Henribertus archiepiscopus congregans exercitum versus civitatem astensem equitavit, quam dura obsidione vallavit, pro eo quod episcopus astensis ex marchionibus de Carreto natus ivisset Romam et a papa fuisset consecratus, quod egre ferens archiepiscopus nunquam ab obsidione civitatis recessit, quousque ille episcopus Mediolanum venit. Et dicit cronica Arnulfi, quod iterum ab archiepiscopo consecratus fuit, et super altare beati Ambroxii obtulit auri talenta plura, unde producta fuit illa crux pulcerrima, que in precipuis diebus portari consuevit. Et si quis bene consideraret, ille archiepiscopus fecit quod voluit, sed facere non debuit nec potuit.

Carrochium primo fuit factum.

Henribertus archiepiscopus bellorum amator pro subsidio belli excogitavit facere carrocerum, quod nihil aliud est, nisi quidam currus magnus super quatuor magnas rotas, quem trahebant quatuor paria bovum, qui erant

fallerati albis farellis habentibus crucem rubeam intus; et erat ille currus cohopertus scarlato rubeo a summitate deorsum. Erat una archa lignea bicameris et tricameris distincta, ubi reponebantur omnia que erant pro infirmis necessaria, ita quod ad civitatem pro quacumque infirmitate sive plagarum sive febrium non erat necessarius nuntius. In summitate arche erat arbor altissima, in cuius summitate erat crux aurea; in pede crucis erat vexillum comunitatis album cum cruce rubea. Magister carroceri erat vir nobilis ense accinctus; et sex tybicines in singulis dextrariis. Iuxta currum erat unus capellanus, qui missam omni die celebrabat, et omnes supradicti erant magnis salariis stipendiati. Iste currus licet fuerit institutus pro infirmorum remediis, attamen postea conversus est in triumphum, ut perdito carrocero exercitus dispergeretur, quasi perditus esset rex et caput aliorum. Et nota quod civitas nostra nunquam perdidit in campo carrocerum, sicut infra dicetur.

Capitanei portarum.

Henribertus archiepiscopus monarchus instituit per singulas portas civitatis capitaneos, qui dicuntur cathanei portarum, et instituit in qualibet porta spetiale vexillum et spetialia arma, ita quod in exercitu quilibet cognoscebatur de qua porta esset, et obediebant suo capitaneo quasi regi vel principi. Et nota quod capitanei portarum facti sunt tribus vicibus ex diversis parentellis. Primi facti sunt per beatum Ambroxium, secundi facti sunt per imperatorem Ottonem primum; tertii facti sunt per Henribertum archiepiscopum; et BB. non nominat aliquos in spetiali, nisi illos de Carchano, quos dicit factos fuisse capitaneos porte cumane. Unde in illa porta sunt plures parentelle, scilicet illi de Badagio et illi de Carchano.

Archiepiscopus mortuus exportavit Useriam uxorem suam.

Henribertus archiepiscopus uxorem duxit, cui nomen fuit Useria. Mortuo archiepiscopo, uxor eius Useria mulier nobilissima et ditissima in longinquis partibus in domo patris sui degebat. Cui archiepiscopus in equo albo apparuit cum multis aliis in albis destrariis, et uxorem suam assumpsit, et usque ad monasterium sancti Dyonisii extra ecclesiam ubi erat sepultus attulit. Ipsa perterrita nimis fuit, et in monacha tonsorata sancto fine quievit, possessionem, que dicitur Useria, abbatis monasterio sancti Dyonisii donavit. Nec te moveat quod dixi hunc archiepiscopum habuisse uxorem, quia hoc tunc temporis licitum fuit.

Conradus intravit Ytaliam.

Conradus post tres annos a sua electione intravit Ytaliam, et fuit per archiepiscopum mediolanensem coronatus in sancto Ambroxio. Deinde petiit coronari in burgo dicto Narentia; cui cum dictum fuisset, ex quo in Mediolano coronatus fuerat, ait Modoetiam. Ex tunc illa terra quondam dicta Narentia dicitur Modoetia. Et vadens Romam per papam Iohannem XX fuit in die Pascatis coronatus VII kallendas martii procedens inter duos reges, scilicet inter Cutonem regem Anglorum, et Rodulfum regem Burgondionum avunculum suum. Hec Pantheon. Item genuit filiam, quam divo prodigio imperante duxit in uxorem filius comitis Luithprandi.

Episcopus papiensis deponit crucem.

Imperator Conradus gybilinus Mediolanum rediit, et convocatis universis archiepiscopis, episcopis et baronibus concilium in Ronchaliis convocavit pro sui imperii stabilimento, leges iustas edidit, et toti orbi pacem indixit. Isti concilio interfuit Eusebius episcopus papiensis, portans ante crucem, contra quem archiepiscopus Heribertus insurrexit redarguens eum, quod propria temeritate crucem deferret. Episcopus papiensis erubuit; et dicit cronica Datii, quod crucem ante pedes archiepiscopi deposuit, ubi erat multum de cristallo. Istam crucem archiepiscopus in sacristia ecclexie yemalis deposuit ad perpetuam rei memoriam, quod nullus episcopus papiensis crucem ante se deferri faceret.

Archiepiscopus investivit episcopum laudensem per baculum et anulum, et Laude superatur et homagium recepit.

Henribertus archiepiscopus cum esset imperatoris Conradi intimus, optinuit ab eo quod ad ipsum pertineret investire episcopum laudensem per baculum et anulum, quod erat imperatorium spetiale privilegium. Tunc archiepiscopus quemdam Ambroxium ecclexie mediolanensis cardinalem instituit episcopum laudensem, quem laudenses repudiaverunt. Ex hoc turbatus archiepiscopus, ipsum Ambroxium super portas civitatis laudensis veteris hostiliter posuit, et tantis preliis et obsidione fatigavit, quod cives de Laude episcopum sibi datum receperunt, et super portam civitatis archiepiscopo mediolanensi fidelitatis sacramentum prestiterunt. Ex hac causa orta est turbatio inter mediolanenses et laudenses, que nunquam finem habuit.

De illis de Mota.

Henribertus archiepiscopus, expugnato Arduino imperatore, subactisque civitatibus et castris nimis dominativus existens in suos vires proprias extendere cepit, quia requisivit a capitaneis et valvasoribus homagia et fidelitates insolitas et exactiones indebitas. Ex hoc multi sunt turbati, et ipsi mortem inferre voluerunt. Quo cognito archiepiscopus arma clamitat, et cataneos valvasores de civitate expulit, et omnibus feudis et dignitatibus privavit, et de novo in portis capitaneos instituit. Illi autem qui expulsi fuerunt de Mediolano, ad civitatem Laude vetus fugierunt, et adiunctis sepriensibus et illi de Marthesana laudenses prestantibus auxilium castrum quoddam erexerunt, quod dictum fuit Mota (1). Et nolentes dici populares, nec esse poterant nobiles, fecerunt quamdam ex diversis parentelis congeriem, que dicitur pars illorum de Mota usque in presentem diem. Archiepiscopus contra eos movit exercitum, et commissa pugna in agro, qui dicitur campus malus, ex utraque parte lacrimabilis pugna fuit. Ibi occubuit Oldericus episcopus astensis, qui pro archiepiscopo pugnavit.

Archiepiscopus fugavit imperatorem usque Papiam.

Imperator Conradus gibellinus venit in succursum Heriberti archiepiscopi amici sui, et illos de Mota fugavit, castrum subvertit, et intelligens quod tota ista turbatio facta fuit, quia archiepiscopo dederat privilegium de investitura episcopi laudensis, privilegium revocavit. Ex

(1) V. la nota al precedente cap. « De Valvassoribus vallium qui erant capitanei ».

hoc turbatus archiepiscopus, facto tumultu in populo contra imperatorem, imperator usque Papiam fugit, querens omnibus modis qualiter posset de archiepiscopo vindictam facere. Et dicit cronica Datii, quod in civitate papiensi audientiam ordinavit, et quidam ultramontanus de curte Leuci archiepiscopum de multis accusavit; unde imperator archiepiscopum citavit, qui assumtis tribus episcopis suffraganeis suis, scilicet placentino, vercellensi et cremonensi, in Papia comparuit, quem imperator cepit et in Placentia in monasterio sancti Sisti sub theutonicorum custodia captivavit. Sed abbas eiusdem loci, quem archiepiscopus consecraverat, inebriatis theutonicis archiepiscopum liberavit, qui Mediolanum rediit. Tunc imperator archiepiscopum deposuit prout potuit, et quemdam Ambroxium ecclexie mediolanensis cardinalem archiepiscopum instituit, quem Bruno archiepiscopus coloniensis consecravit. Archiepiscopus Henribertus verba imperatoris despexit, et insurgens contra eum de imperio deposuit, et Aldonem comitem Franchonie in imperatorem elegit, qui multa prelia in Alamania movit.

Imperator obsedit civitatem Mediolani.

Henribertus archiepiscopus, audito quod imperator ad obsidionem civitatis se prepararet, murum civitatis in quo erant, ut dicit cronica Datii, cccx turres, reparari precepit anteportalia, et angulares turres introytum ad portas denegantes communivit; turrim triumphalem papilone superposita cohoperuit. Henribertum ex Vicecomitibus regaliter natum millenarium super mille milites instituit, super turrim triumphalem custodes instituit sive ordinavit, quod dato signo una legio militum exiret, et per alias portas centum milites exirent, in

insidiis hostes invaderent. Interim dum hec agerentur in civitate, imperator exercitum validum ordinavit, et versus civitatem castra movit. Et fuerunt cum eo Baverus nepos eius, et Guido comes Ytalie signifer imperatoris, et Ugo comes transpadi, et Bruno archiepiscopus coloniensis, et Ambroxius archiepiscopus mediolanensis falso dictus archiepiscopus; item illi de Seprio, illi de Marthesana, et reges quatuor de corona, et principes et barones multi nimis de Burgondia, Ytalia, Alamania; et exercitum suum posuit inter Victabiam et Lambrum, et post tres dies usque ad muros civitatis attigit, et super quamlibet portam civitatis unum exercitum posuit, ita quod fuerunt sex exercitus; et foderunt foveas, erexerunt munitiones, et facta est obsidio valida nimis, quia nullus poterat exire per aliquam portam civitatis, excepto quod poterant exire ad arcum triumphalem, qui erat extra portam romanam.

Heriprandus Vicecomes regaliter natus.

Instante tam forti obsidione, quidam nepos imperatoris dictus Baverius vir gyganteus progressus ad campum petiit singulare certamen, et exivit contra eum Heriprandus Vicecomes regaliter natus miles millenarius. Et chronica Datii dicit, quod erat ex regali prosapia oriundus, et equis prostrepentibus unus versum alium venit, et uterque fregit hastam suam super alium, et scutis impingunt et neuter prevaluit; et extractis ensibus unus super alium insilivit, et tamdiu se percusserunt, quod lacessiti subsistere non valuerunt, et resumptis viribus, Heriprandus Vicecomes per nasale caspidis Baverium arripuit, et ad terram de equo prostravit, cuius caput amputavit, et corpus per pedes in turri super

archum triumphalem suspendit in oculis imperatoris, et obbrobrium abstulit.

Beatus Ambroxius liberavit civitatem de obsidione.

Cum autem in die Pentecostes Bruno archiepiscopus coloniensis in parva ecclexia sancti Michaelis missam celebraret coram imperatore et baronibus, facta sunt tonitrua et coruscationes maiores quam nulla etas recordari potuisset. Beatus Ambrosius cum gladio extracto apparuit in ecclexia, et terribilibus oculis imperatori comminatus est mortem, nisi de obsidione civitatis recederet. Et dicit cronica Arnulfi, quod plures viderunt beatum Ambrosium, et plures effecti sunt amentes. Tunc imperator Conradus, posito igne in suburbiis ubi habitavit, magnam partem burgorum combussit; et dicit cronica paduana, quod ille ignis totam civitatem combussit; et ista fuit istius civitatis XVII destructio. Deinde imperator ivit Corbetam, ubi nurus eius tonitruo periit, quam balsamo inunxit et in Alamaniam detulit.

Archiepiscopus fugavit archiepiscopum Ambrosium.

Imperator Conradus gibilinus dum de Ytalia exiret, Ambrosium archiepiscopatus mediolanensis invasorem suum vicarium in Ytalia derelinquit, et Papiam perrexit et inde ivit in Alamaniam; et moriens generum suum, qui dictus est Henricus gibilinus Barba nigra, imperii heredem derelinquit. Henribertus autem archiepiscopus restaurationi civitatis studuit, et Ambroxium antiarchiepiscopum ubique fugavit, et sedem suam viriliter defendit (1).

(1) « Anno Domini 1036 Benedictus de Cortexella fecit fieri ecclesiam s. Sepulchri Mediolani » (*Chron.* Phil. de Castro Seprio).

Henricus Barba nigra.

Christi anno MXLI, eminente in Roma Benedicto IX, sedente Mediolani Heriberto archiepiscopo, Henricus gibilinus huius nominis secundus dictus Barba nigra gener Conradi imperatoris factus imperator sedit annis XVII; et dicit Pantheon quod per annos quatuor antequam socer eius moriretur, ad patris procurationem factus fuit imperator. Hic duxit uxorem Agnetem filiam Bini ducis Batavie et Aquitanie, in cuius nuptiis ioculatores visi sunt expelli et vestes pauperibus erogari. Deinde intravit Ytaliam, quem Henribertus archiepiscopus in ecclesia sancti Ambroxii coronavit secundum formam supradictam. Tunc imperator versus Romam pro sua coronatione properavit, et Heribertus archiepiscopus, convocato episcopo vercellensi suffraganeo suo pluribusque aliis prelatis et baronibus, cum mirabili familia cum imperatore Romam pervenit. Cum autem papa Benedictus papa verus ipsum deberet coronare, Henribertus archiepiscopus mediolanensis, cui ex privilegio competebat imperatorem per manum tenere et pape presentare, cum hoc facere voluisset Heribertus archiepiscopus Ravene, qui propter hoc Romam venerat, imperatoris manum arripuit, quod hoc facere ad ipsum pertinebat. Tunc factus tumultus magnus inter clericos et alios populares de Roma; ex hoc imperator silentio cunctis indicto contionatus sic ait:

Archiepiscopus debet eligere imperatorem et presentare pape.

« Patres reverendi, o summe sanctissime papa, et vos venerandi cardinales, sicut privilegium sedis romane

est consecratio et coronatio imperatoris, certum est quod eodem modo privilegium beati Ambrosii est electio et consecratio regis. Unde firmum videtur quod manus archiepiscopi mediolanensis, que imperatorem primo in ecclexia mediolanensi benedicit, et prius coronam ytalici regni imponit, quod ipse presentet beato Petro eiusque vicario regem ad imperium promovendum, quatenus ambroxiano testimonio possit imperare, qui ambroxiana consecratione primo didicit regnare. » Tunc papa sub pena canonis precepit archiepiscopo ravenati, quod nunquam in alio negotio se auderet preferre archiepiscopo mediolanensi. Tunc archiepiscopus Heribertus cum gloria Domini rediit. Post paucos dies papa synodum celebravit, in quo statuit, quod archiepiscopus mediolanensis precedit ravenatem, et de hoc habetur in decreto di. xi. BB. dicit quod non fuit Henricus sed fuit Conradus pater eius, de cuius coronatione dictum est supra; sed cronica Bonvesini dicit quod fuit hic Henricus; sed quicquid sit de hoc, veritas ystorie non mutatur, et secunda opinio est verior, quia Vincentius dicit in Speculo, quod Conradus nunquam fuit Rome coronatus.

Lanzo de Curte fit dominus civitatis et fuit primus monarcus.

Isto tempore, sicut dicit cronica Arnulfi, cum archiepiscopus Heribertus expulisset de civitate illos de Mota, populus volebat quod reducerentur in domum suam, quod archiepiscopus et pars nobilium noluerunt. Ex hoc orta est turbatio magna in civitate et comitatu, et diversis confectis preliis, populus cum Credentia fecerunt capitaneum populi Lanzum de Curte virum nobilem, ut ex hoc pars nobilium divideretur. Lanzo dominium

civitatis recepit contra partem nobilium et contra parentes suos, in servitium populi et Credentie se erexit, et arma clamitans partem nobilium de civitate eiecit; et archiepiscopus Henribertus iam senio confectus et diversis preliis extediatus nullo impellente Modoetiam perrexit. Lanzo de Curte vir bellicosus, ingenio providus, pectore leonino turgidus, gressu velox nobiles quos expulerat, de civitate exbannivit, bona eorum subripuit et domos evertit, cui quasi Deo obediebat Credentia, populus et illi de Mota. Ex altera parte contra Lanzum nobiles ultra modum indignati convocaverunt cives de Parazo, que erat civitas posita iuxta Curtem novam, et illos de Seprio et illos de Marthesana, et congregato exercitu forti civitatem invaserunt, et super sex portas civitatis exercitus sex posuerunt in locis suis, et per illum modum, secundum quem obsederat civitatem Corradus supradictus. Et dicit cronica Datii, quod cum ipsis sex exercitibus pars nobilium obsedit civitatem tribus annis continuis, et fuit tam fortis et crudelis obsidio, quod in civitate non erat ad comedendum, nisi quantum infra civitatis ambitum aratores poterant metere, et vinitores poterant cultura diligenti metere et laborare. Ex hoc loco colligitur quod civitas erat valde magna.

Lanzo vocavit imperatorem.

Lanzo de Curte, qui fuit primus ex civibus, qui dominium singulare obtinuerat, videns se obsessum in civitate, cum decenti comitatu nocte de civitate egressus est et in Alamaniam ivit ad Henricum secundum, qui dictus est Barba nigra, cui exposuit gravem conditionem civitatis mediolanensis et populi, petens ab ipso auxilium. Cui dixit imperator: si vis michi iurare dare dominium

civitatis mediolanensis, personaliter intrabo Ytaliam, et in manus tuas hostes tuos tradam. Iuravit Lanzo dare imperatori civitatem et Mediolanum rediit. Archiepiscopus Henribertus audito quid fecerit Lanzo, timuit, et tantum factum est, quod obsidio amota fuit, et sub dominio Lanzi pars nobilium domum cum archiepiscopo rediit. Interim nobiles de Mediolano de illatis dampnis petunt restitutionem; Lanzo contradicebat. Tunc Lanzo per nobiles capitur, et in turri que dicitur de Morigiis includitur, et unum capellum plenum de stercore humano imposuerunt dicentes: cum stercore idest populo sociatus es et cenabis stercora, et sic tota die illuserunt; sequenti die cum omni sua posteritate proscribitur, et statutum fuit, quod nullus de Curte de cetero civitatis mediolanensis posset esse habitator. Tunc dispersi sunt, quia alii Papiam, alii Pergamum, alii ad alias civitates perrexerunt; attamen quamdiu Lanzo vixit, multa prelia et dampna civitati intulit [1].

Glosa.

Iste Lanzo dominus civitatis mediolanensis equitans ivit usque ad flumen Lolium, cui hostiliter occurrit episcopus cremonensis cum toto populo de Cremona, et commissum est prelium forte nimis et arrupti sunt cremonenses, et tot in Lolio sunt submersi, quod flumen ingurgitavit; et captus est episcopus cremonensis cum populo suo, et ducti sunt in carceribus de Mediolano, et dedit episcopus cremonensis pro sua redemptione ipsi Lanzo de Curte Castrum Leonis cum suis pertinentiis. Cum autem Lanzo de Mediolano fuisset expulsus,

(1) « Anno Domini 1045 consecrata est ecclesia sanctorum Satyri et Sylvestri Mediolani » (*Chron.* Phil. de Castro Seprio).

ut dictum est, perrexit ad Castrum Leonis quod erat suum, et cum quadam vice mediolanenses fugerent a facie cremonensium, Lanzo supradictus eos in Castro Leonis recepit et Mediolanum salvos remisit, propter quod beneficium ad civitatem mediolanensem revocatus de exilio fuit; et moriens in civitate mediolanensi in canonica sancte Tegle sepultus fuit, in qua ecclexia illi de Curte multas nobilitates habere consueverunt.

Moritur Heribertus archiepiscopus.

Heribertus archiepiscopus cum sedisset annis XXVII et mensibus IX, infirmatus diem clausit extremum anno Domini MXLVII, et in monasterio sancti Dionisii, quod ipse fundaverat, extra ecclesiam sepelitur, eo quod civitas esset interdicta. Post VII menses interdicto relaxato, cum vellent monachi corpus eius transferre, invenerunt corpus eius integrum cum oculis apertis, baculum pastoralem summo cum vigore regentem, et tunc fuit sepultus iuxta sepulcrum valvasorum de Bussero. Eodem anno beatus Yemulus fuit martirizatus per Rubeum de Uboldo, cuius monasterium est Arsizate in Gana.

Guido de Velate archiepiscopus Mediolani.

Christi anno MXLVII, eminente in Roma Benedicto IX, imperante Henrico secundo gybillino Barba nigra, Guido de Velate factus archiepiscopus sedit annis XXVI. Isto tempore misso Lanzo de Curte in exilium, congregati illi de populo et Credentia et illi de Mota elegerunt in dominum suum Heruebaldum de Cottis, cuius domus quasi regalis erat in opposito sancti Victoris ad XL martires. Cronica Datii dicit quod habuit domum palatinam

cum curte mirabili et viridario delectabili. Tunc vacante archiepiscopatu, Hernebaldus dominus populi procuravit cum clero, quod eligerentur quatuor, et imperator quem vellet in archiepiscopum confirmaret; et fuerunt electi Landulfus Cotta sacri palatii notarius, frater carnalis ipsius Hernebaldi; alter dictus est Anselmus de Badagio ecclexie mediolanensis cardinalis; tertius dictus est Arialdus ex capitaneis de Carimate; quartus dictus est Atho ecclexie mediolanensis cardinalis. Ex alia parte pars nobilium de Mediolano elegit Guidonem de Velate imperatoris secretarium. Facta relatione ad imperatorem, ipse ceteris exclusis Guidonem de Velate investivit per baculum et anulum de archiepiscopatu Mediolani, quem papa cum cardinalibus palio archiepiscopali superinvestivit. Tunc in curia romana erat quidam archiepiscopus Ravenne, qui archiepiscopum mediolanensem in consistorio precessit et in dextra pape resedit. Ex hoc causatum fuit; et dicit cronica Datii quod archiepiscopus mediolanensis prevaluit, et sedem in dextra pape obtinuit, et domum cum gloria rediit.

De principio schismatis sacerdotum uxoratorum.

Cum autem Guido archiepiscopus de novo civitatem Mediolani intrasset, et primam missam in pontificalibus celebraret, Hernebaldus Cotta dominus civitatis ei publice opposuit, quod per pecuniam imperator Henricus tertius ipsum archiepiscopum instituisset. Quo audito, universus populus recessit, et solus in altari dimissus fuit. Tunc Guido archiepiscopus Romam perrexit, et de imposito crimine se expurgavit, et quod esset verus archiepiscopus papa determinavit; qui rediit Mediolanum, et tenens sacros ordines Anselmum de Badagio consecravit

sacerdotem, et procuravit cum imperatore quod fieret episcopus in Luca. Hic Anselmus de Badagio episcopus lucensis fuit predicator gratiosus, potens et divitiis affluens. Ipse ultra modum detestabatur quod sacerdotes haberent uxores et facerent nuptias, ducerent coreas; et fuerunt eius complices Landulfus Cotta, Arialdus de Carimate et quidam Oprandus et Hernebaldus Cotta dominus populi. Et cepit predicare Anselmus de Badagio episcopus lucensis contra sacerdotes uxoratos, quod opus nuptiarum non erat opus clericale, sed potius seculare; e contrario Guido archiepiscopus predicabat, quod sacerdotes poterant licite uxores habere secundum doctrinam apostoli Pauli et beati Ambroxii. Et facta est mirabilis turbatio per totam civitatem et comitatum, in tantum quod sacerdotibus uxoratis nullus voluit comunicare, nec ab eis emere vel vendere. Unde ipsi sacerdotes uxorati cum suis amicis faciebant suum forum in loco qui dicitur pataria, unde et patarini sunt cognominati, quod sonat heresim. Nullus volebat audire missas ab istis sacerdotibus uxoratis, et quando ibant per civitatem, pueri clamabant post eos: patarini, patarini. Guido archiepiscopus apud Fontanetum concilium congregavit, in quo determinavit quod licebat sacerdotibus uxores habere, et contraria facientes excommunicavit. Contra hanc sententiam plures appellaverunt, inter quos fuerunt supradicti tres, scilicet Landulfus, Arialdus et Oprandus; Anselmus de Badagio autem iverat Lucam ad sedem suam. Qui Romam perrexerunt, et statim Oprandus supradictus factus fuit ecclexie romane archidiaconus. Hec ex chronica Datii.

Quattuor legati pape determinaverunt contra sacerdotes uxoratos.

Auditis utriusque partibus, summus pontifex super questionem instituit tres legatos; unus dictus est Petrus cardinalis ostiensis, alter fuit Anselmus de Badagio episcopus lucensis, tertius dictus est Oprandus nuper ecclexie romane factus archidiaconus. Alique cronice dicunt, quod dictus est Heribertus ecclexie romane cardinalis. Hii tres legati pape Mediolanum venerunt, et auditis utriusque partis allegationibus, determinaverunt contra uxoratos sacerdotes, et Guidonem archiepiscopum declaraverunt esse symoniacum; et isti sententie primo subscripsit Petrus cardinalis episcopus ostiensis, postea Guido archiepiscopus mediolanensis, qui contradixit et ad curiam romanam appellavit. Ex hoc facta est magna turbatio in civitate, eo quod Petrus episcopus ostiensis primo subscripserat, quia ex hoc ecclesia mediolanensis videbatur esse subiecta ecclexie romane, et hoc fuit fatuum dicere. Guido archiepiscopus ivit Romam et in omnibus prevaluit, videlicet quod liceret sacerdotibus uxorem habere, et quod ipse non erat symoniacus; qui rediens Mediolanum per uxoratos sacerdotes cum mirabili gloria susceptus est; qui in superbiam elatus eo quod prevaluisset, arma clamitans uxoratos sacerdotes in equis congregans, voluit suos hostes de civitate eiicere. Tunc Hernebaldus Cotta dominus civitatis ipsum Guidonem archiepiscopum in palatio per barbam arripuit, et quantum placuit, per capillos circumduxit et ad terram prostravit, et iniecto gladio super guttur eius ipsum archiepiscopatui renuntiare coegit, quem in exilium Bregollium misit, ubi miseram vitam finivit. Et vacavit sedes annis tribus.

Anno Christi ML Anchifredus de Fagnano construxit ecclexiam sancti Mathei ad Banchetam.

Anno Christi MLV ecclexia sancti Bartholomei extra portam novam fuit fundata, ut dicit Gothofredus de Bussero (1).

Anno Christi MLVI Anselmus de Badagio, qui postea fuit papa, construxit ecclexiam sancti Ylarii.

Papia superatur per Mediolanum.

Isto tempore Henricus secundus dictus Barbanigra gybillinus ecclexie papiensi dedit in episcopum Landulfum Cottam supradictum, ad petitionem Hernebaldi domini civitatis fratris sui carnalis. Quo audito turbati sunt papienses et contradixerunt. Tunc cives de Mediolano arma parantes ipsum episcopum in Papiam violenter introducere statuerunt; papienses hostiliter progressi sunt. Et dicit Gothofredus de Bussero, quod anno Domini MLXI die IX ante kalendas iunii uterque exercitus congregatus est in Campo mortuo, et commissa pugna papienses prostrati sunt et innumerabiles sunt mortui. Tunc cives de Mediolano usque Papiam equitaverunt, et oppugnantes portas civitatis hostiliter ingressi sunt, et Landulfum Cottam episcopum papiensem in sua sede collocaverunt, multa damna civitati papiensi intulerunt. Ex tunc locus pugne dictus est Campus mortuorum a multitudine occisorum papiensium, ubi in memoriam sempiternam constructa fuit ecclexia que dicitur . . . . .

Henricus tertius imperator.

Christi anno MLVIII, eminente in Roma Victore secundo,

(1) « Anno Domini 1055 presbiter Anselmus de Badagio Mediolani ordinarius fieri fecit ecclesiam s. Hilarii Mediolani » (*Chron.* Phil. e Castro Seprio). La chiesa di s. Ilario era nella via del Lauro a breve distanza da quella di s. Giovanni alle quattro facce.

sedente Guidone archiepiscopo Mediolani, Henricus tertius filius Henrici secundi cognominato gybillinus imperavit annis XLIX. Pantheon. Hic ex imperatrice dicta Agnete genuit filium, qui dictus fuit Henricus quartus. Iste Henricus tertius multa schismata in ecclexia procuravit, ideo iusto Dei iuditio filius eius imperium subripuit et patrem vinculis subiecit, ubi mortuus fuit, et caruit ecclexiastica sepultura per annos quinque.

Origo comitisse Matheldis.

Hic Henricus tertius secundum Pantheon duxit uxorem, que dicta fuit Berta filia marchionis ytalici, de qua genuit duos filios; primogenitus dictus est Conradus, qui factus comes Ytaliae genuit filiam, que dicta est Beatrix, que tradita comiti Bonifatio genuit comitissam Matheldim. Alter filius dictus est Henricus, et mortuo Conrado primogenito, Henricus de mandato patris factus est imperator; et ipse Henricus Barbanigra iuravit facere passagium, sed non potuit filii carcere innodatus. Item genuit filiam, quam comiti Baverie dedit uxorem, de qua nata fuit una puella, que dicta est Leobissa bavara, que tradita Emanueli imperatori constantinopolitano, qui civitatem mediolanensem rehedificavit, in uxorem genuit filium, qui dictus est Andronicus, qui turpiter fuit occisus. Item hic Henricus Barbanigra genuit aliam filiam, quam dedit uxorem duci Saxonie, de qua natus est Lotharius imperator primus. Item genuit aliam filiam, quam tradidit duci Suevie, de qua natus est Conradus imperator huius nominis secundus, et alter filius dictus Federicus Barba rubea comes de Stoph, qui genuit Federicum Barbam rubeam imperatorem, qui fuit huius nominis primus.

Magnificentie et nobilitates comitisse Matheldis.

Isto tempore comitissa Matheldis mulier admodum militaris in Ytalia plurima gessit. Eius origo secundum Iacobum de Voragine fuit talis, quia Singibertus princeps Thuscie, cuius patrimonium se extendebat a Ceperano usque ad Ratisconum, insuper in Lombardia et Thuscia plures civitates habuit et castra obtinuit, de quo natus est comes Atho, qui genuit comitem Thaldum, qui genuit marchionem Bonifatium. Hic marchio Bonifatius duxit in uxorem Beatricem neptem Henrici tertii, que genuit comitissam Matheldam. Ista comitissa Matheldis obtinuit in Lombardia Ferrariam, Mutinam, Mantuam, Parmam et Sonzinum, ubi construxit castrum, quod usque hodie dicitur castrum comitisse Matheldis. In Thuscia totum territorium, quod est a Ceperano usque ad Ratisconum, subiugavit. Hec tradita in uxorem cuidam nobili comiti filium genuit, qui modico tempore vixit, que experta dolorem partus proposuit nunquam cognoscere virum suum. Ex hoc turbatus vir suus contra uxorem arma movit; illa cum esset uxor ferocissima, exercitum congregans maritum suum de terris propriis exbannivit, et cum ipso in campo hostiliter conflixit ac ipsum superavit, et caput eius abscidit. Deinde cum imperatore durissime conflixit, pro ecclexia semper pugnavit, filium imperatoris sprevit habere virum, quia contra ecclexiam ille pugnavit. Hec mirabilis comitissa Matheldis devotissima filia beati Petri apostoli dum moriretur, totum patrimonium suum, quod a Ceperano usque ad Ratisconum protenditur, super altare beati Petri apostoli obtulit, quod usque hodie dicitur patrimonium beati Petri apostoli. Hec dum viveret, in suis litteris se intitulabat filiam beati Petri apostoli. Mortua

est anno Christi MLV; secundum Gothofredum de Bussero mortua fuit anno Christi MLXVIII.

Questio de sacerdotibus uxoratis renovatur.

Isto tempore incepit passio beati Arialdi martyris, ubi est sciendum quod tunc temporis erat archiepiscopus Mediolani Guido de Velate, qui totis viribus favebat sacerdotibus uxoratis, cui favebat pars nobilium sive pars cathaneorum et valvassorum, qui sibi prefecerunt unum capitaneum, qui dictus fuit Guliermus de Landriano. Et erat archiepiscopus cum parte nobilium exul de civitate, residens in castris de Castiliono; ex altera parte in civitate dominabatur Hernebaldus Cotta capitaneus populi, qui semper fuit persecutus sacerdotes uxoratos. Huic adherebat Arialdus ex capitaneis de Carimate diaconus in ecclexia decumana; item Anselmus de Badagio episcopus lucensis et universaliter totus populus. Hic Hernebaldus Cotta dominus populi audiens quod nobiles caput sibi fecerant Guliermum de Landriano, turbatus cepit obsidere castrum de Castiliono, ubi erat archiepiscopus, et contra omnes faventes sacerdotibus uxoratis sententiam mortis protulit. Finaliter Hernebaldus Cotta, superato castro de Castiliono expulsisque hostibus, ad civitatem cum gloria rediit, licet civitatem perustam in magna parte invenerit.

Tempore istius Nicholay pape quidam Berengarius turonensis sacre theologie doctor Parisius dogmatizavit, quod corpus Christi in altari non erat verum corpus Christi, sed quedam representatio sive figura corporis Christi et sanguinis, contra quem Nicholaus congregavit concilium CXIII episcoporum, unde retractavit, cuius retractatio habetur in decretis di. IX *Ego Berengarius.*

Ignis de cyconia, ignis de Castiliono.

Instante supradicta obsidione castri de Castiliono, erat in civitate Mediolani in porta vercellina una turris illorum de la Porta, in cuius summitate erat unus nidus cyconiarum, ad quem cum quidam serpens ascendisset vel delatus fuisset, pullos ciconiarum interfecit. Veniens ciconia et videns quod factum fuerat, abiit et lignum ignitum sive tizonum ore subripiens in nidum suum proiecit, et excutiens alas magnum ignem succendit, et sic serpentem combussit. Ignis autem de turri descendit et succendit civitatis portas tres, scilicet vercellinam, ticinensem et romanam, et tunc ecclesia sancti Laurentii fuit combusta, que erat tota opere musayco ornata, etiam pavimentum fuit tabulatum. Tunc etiam columne XIV, que laminis ereis cum celaturis avium, piscium, bestiarum cohoperte erant, ignis calore sunt resolute. Ignis se vergens versus portam romanam, combussit ecclesiam sancti Nazarii et ecclexiam sancti Stephani ad rotam, et omnes domos interiacentes ignis consumpsit, qui dictus est ignis de Castiliono propter instantem obsidionem castri illius, vel dicitur ignis de ciconia, propter ciconiam que attulit ignem.

Hernebaldus factus vexillifer ecclesie contra sacerdotes uxoratos.

Creato Alexandro in summum pontificem, Hernebaldus Cotta dominus populi Mediolani gavisus est gaudio magno valde, et assumpto magnifico comitatu perrexit Romam, quem papa cum mirabili honore suscepit et ad persequendum uxoratos sacerdotes inanimavit, et vexillum ecclexie ipsi tradidit, ut ubique sacerdotes uxoratos

persequeretur. Qui veniens Mediolanum, ut dicit cronica Datii, omnes sacerdotes habentes uxores verberabat de altari, cum missas celebrarent, per capillos distrhaebat, de civitate cum uxoribus et filiis expellebat, et eos paterinos appellabat; que omnia fuerant ei licita facere, in quantum hoc habuit in mandatis a papa. His sic stantibus conditionibus, Guido archiepiscopus iterum aliud concilium apud Novariam convocavit omnium suorum suffraganeorum in favorem sacerdotum habentium uxores, ubi citavit Hernebaldum, Arialdum et Landulfum; qui eius verba despexerunt tamquam verba lupi rapacis, asserentes ipsum esse symoniacum et ecclesie invasorem et violenter intrusum. Guido archiepiscopus contra eos sententiam excommunicationis protulit in Novaria, et veniens Mediolanum intravit theatrum, et cum vellet super pulpitum ascendere et predicare, Hernebaldus Cotta dominus civitatis ipsum per vestes ad terram prostravit, eius barbam depilavit et turpiter verberavit, ac archiepiscopatui renuntiare coegit. Quod multum Vidoni de Landriano displicuit, quia iuraverat fidelitatem archiepiscopo, et sacramento se astrinxit quod faceret vindictam de ista iniuria facta archiepiscopo. Tunc quidam sacerdos sancti Pauli ad compitum, qui pro uxoratis steterat sacerdotibus, Hernebaldi Cotte factus est amicus. Guido autem archiepiscopus mediolanensis coactus verberibus renuntiavit archiepiscopatui in manibus Gothfredi ordinarii subdiaconi, et virga et anulo recommendavit, qui per suffraganeos archiepiscopatus consecratus fuit, sed hoc nihil fuit, ymo vacavit sedes annis tribus. Guido autem depositus Bergolium in exilium missus est, ubi miseram vitam finivit. Hec Cronica Datii.

Alexander papa venit Mediolanum contra sacerdotes uxoratos.

Interim Alexander papa, cum pro quibusdam urgentibus ecclexie negotiis ad imperatorem pergeret, venit Mediolanum, et dicit cronica kalendaria, quod multas leges et statuta contra uxoratos sacerdotes statuit, eos totaliter omni matrimonio privavit, ex quo tam grave scandalum in ecclesia ortum est, quod nullus heresis tempore ecclesia tantam iacturam sustinuit (*sic*), sed finaliter sententia pastoris prevaluit. His confortatus statutis papalibus, Hernebaldus Cotta dominus civitatis videns quod Gothfredus invaserat archiepiscopatum, ipsum de civitate expulit, et tunc Alexander papa, qui erat presens in Mediolano, quemdam Athum cardinalem ecclesie mediolanensis in archiepiscopum dedit sine consensu imperatoris et sine virga et anulo; unde et ipse fuit coactus renuntiare archiepiscopatui. Et isti duo, scilicet Gothfredus et Atho multis supervixere temporibus omni honore nudati. Hec Cronica Datii.

De morte Arialdi.

Interim vacante sede Mediolani, et Alexandro papa in Alamania constituto, Landulfus Cotta frater carnalis Hernebaldi Cotte, qui semper uxoratos sacerdotes persecutus fuerat, moritur. Ex hoc timor invasit Arialdum supradictum ipsius Landulfi complicem, et fugit de Mediolano et pervenit Legnianum, ubi per sacerdotes uxoratos capitur; et cuidam mulieri que dicebatur Oliva, que erat neptis Guidonis de Velate quondam archiepiscopi, traditur. Hec mulier Arialdum duxit in castrum de Arona, et ait illi: O Arialde maledicte! credis Guidonem de

Velate patruum meum verum esse archiepiscopum, quem ecclesia romana dando ei pallium in archiepiscopum confirmavit? Ait Arialdus constanti voce: non credo nec unquam credidi, imo fuit symoniacus et homo pessimus. Tunc illa Oliva femineo furore debacchata iussit quod lingua eius abscinderetur, et tantis plagis fuit perfossus, quod semivivus in insula fuit derelictus; qui inde portatus ad arcem Trevalli, ibi mortuus fuit, et in apotheca sancti Ambrosii sepultus anno Domini MLXVI. Cronica kalendaria dicit, quod passus est beatus Arialdus levita et martir anno Christi MLXVI, quinto kalendas iunii. Cuius corpus cum inde fuisset eiectum et in ripa Ticini proiectum, vox angeli in aere insonuit dicens; currite, veri christiani, currite ad ripam Ticini, quia sanctus noster Arialdus advenit. Tunc currentes sacerdotes cum stolis et mirabili solemnitate ut martyrem sanctissimum in monasterio sancti Celsi sepeliverunt, cuius ossa Anselmus quartus archiepiscopus mediolanensis ad ecclesiam sancti Dyonisii transtulit, in cuius tumulo sculpti fuerunt isti versus:

Hoc mausoleo reverenter condita digno
Hiis geminis causis Arialdus passus ab istis
Martir in ecclesia levita reconditur ista.
Transtulit Anselmus pastor venerabile corpus.
Sanctos thesauros venerare per omnia caros
Hos pugiles Christi, gens inclita Mediolani,
De cuius sancti sunt isti sanguine nati.

Et in pavimento chori sancti Dyonisii sunt scripti isti versus ad honorem beati Arialdi martyris:

Martir et levita iacet hic Arialdus in urna,
Trunchatus moritur, sed vite dona meretur.

Hec omnia supradicta habentur in Chronica kalendaria.

Arialdus de Raude caput nobilium interfecit Hernebaldum Cottam dominum civitatis.

Eodem anno, scilicet in MLXVI, cum Hernebaldus Cotta partem nobilium in exilio detineret, nobiles idest cathanei et valvasores sibi prefecerunt capitaneum Arialdum de Rhaude, qui genuit Ardericum de Raude, qui genuit Arialdum. Hic Arialdus senior caput nobilium congregato forti exercitu civitatem mediolanensem invasit, cui occurrit Hernebaldus Cotta portans vexillum ecclesie, quod sibi dederat papa Alexander, et cum eo erat Leoprandus sacerdos sancti Pauli ad compitum portans in alto aere crucem, et erant ambo in magnis destrariis cum multa militia. Tunc Arialdus de Raude Hernebaldum Cottam percutiens de equo deiecit et caput eius amputavit, Leoprando autem nasum et aures precidi iussit. Cronica kalendaria dicit, quod non fuit iste Arialdus, qui Hernebaldum Cottam prostravit, sed fuit Arialdus de Raude filius eius, qui hunc presbiterum incarceravit, et aures et nasum precidit. Deinde Ardericus de Raude hunc presbiterum per ignem transire coegit. De Hernebaldo Cotta dicit Cronica Leonis, quod fuit sanctus et inter martires connumeratur, qui passus est mortem propter iustitiam, eo quod semper sacerdotes symoniacos et clericos uxoratos, quos ecclesia condemnaverat, constanter fuerit persecutus usque ad mortem, cuius corpus sacerdotes uxorati in quodam lacu submerserunt. Cum autem ipso anno Alexander papa de Alamania rediens venisset Mediolanum, audita morte Hernebaldi amici sui, quamplurimum doluit, et corpus eius diligenter perquiri fecit; quod cum non

invaniretur, aquila mirabilis de celo descendit et super lacum, ubi eius corpus fuerat submersum, volitavit, et sic inventum fuit, quod Alexander papa in ecclesia sancti Dionisii recondidit in navello murato in pariete, ubi eius passio depicta est, ubi sunt isti versus:

Hic Hernebaldus miles Christi reverendus
Occisus regitur, qui celi sede potitur.
Incestus reprobat, symonias, et quia dampnat,
Hunc Veneris servi perimunt Symonisque maligni.
Urbanus summus presul dictusque secundus,
Noster et Arnulfus pastor pius atque benignus
Huius ossa viri tumulant translata beati.

Ubi nota quod Alexander eum sepelivit in monasterio sancti Dyonisii, sed Urbanus papa de Crivellis transtulit. Alexander papa de Badagio ad preces Henrici imperatoris tertii in Mantua concilium celebravit, et pacificatis omnibus, Romam reversus est, ubi et mortuus iacet in ecclesia lateranensi. Et in MCLXX castrum de Abiate Guazono fuit destructum.

Thealdus, archiepiscopus Mediolani.

Christi anno MLXXIV, eminente in Roma Alexandro secundo, imperante Henrico tertio gibilino, Thealdus de Castiliono archiepiscopus sedit annis IX et mensibus IV. Cum autem cives de Mediolano elegissent quatuor et misissent imperatori, ut quem vellet ex illis daret, imperator omnibus spretis dedit istum Thealdum sicut dare potuit. Iste archiepiscopus multa contra ecclesiam fecit, ut infra dicetur.

Chronica Datii dicit, quod dictus Odeprandus, qui fuit

principalis in civitate Mediolani suscitare questionem contra sacerdotes uxoratos, et ivit ad curiam romanam cum Landulfo Cotta supradicto et Arialdo, et factus fuit ecclesie romane archidiaconus et cardinalis; postea per cardinales est in papam electus. Hic celebrata synodo, sacerdotes uxoratos et symoniacos excommunicavit, eos omnibus benefitiis privavit, eorum missas audire laycis interdixit. Chronica Datii dicit, quod iste Gregorius papa requisivit ut imperator renuntiaret privilegium de investituris prelatorum, quo pre ceteris imperatoribus abutebatur, sed imperator noluit; ex hoc papa ipsum tali privilegio, quo abutebatur, privavit et excommunicavit, et de imperio deposuit. Imperator turbatus venit Mediolanum, et voluit Thealdum archiepiscopum facere papam, sed archiepiscopus renuit. Tunc temporis quidam nomine Cenzius papam celebrantem in nocte nativitatis Domini cepit, et in turri sua posuit ad instantiam imperatoris. Pantheon dicit quod iste Henricus tertius fuit invidus ultra modum, in tantum quod nullum probum militem, qui laudaretur de fortitudine, sineret vivere. Unde cum audisset, quod quidam miles iuvenis princeps nobilissimus mactasset unum leonem cum pugno et ab omnibus laudaretur, tantam habuit invidiam, quod illum militem fecit insidiose interfici; quo audito principes Alamanie ipsum accusaverunt pape Gregorio VII.

Anselmus de Raude archiepiscopus.

Christi anno MLXXXIII, eminente in Roma Gregorio VII, imperante Henrico tertio gibillino, Anselmus ex capitaneis de Raude factus archiepiscopus sedit annis VII et mensibus V. Hic Anselmus archiepiscopus, ut dicit BB. in kalendaria, proposuit ire ultra mare ut caperet Babiloniam

Carri, et congregans mirabilem exercitum ex civitate mediolanensi cruce signatorum transfretavit, et multis confectis preliis, nihil profecit, unde Constantinopolim rediit, ubi vitam finivit. Sed Cronica archiepiscoporum dicit, quod rediit domum et magnam indulgentiam ecclesie Sancti Sepulcri dedit, cum testimonio omnium cardinalium ecclesie mediolanensis et omnium abatum, et iacet ad sanctum Nazarium.

Arnulfus archiepiscopus Mediolani.

Christi anno MXCI, eminente in Roma Urbano secundo, imperante Henrico tertio damnato et deposito, Arnulfus ex Capitaneis porte orientalis archiepiscopus Mediolani sedit annis tribus et mensibus VIII. Isto tempore abbas Robertus monasterii Mollissiensis cum XX monachis intrans solitudinem Cystertii novum ordinem ex veteri construxit. Cronica Martiniana dicit, quod anno Domini MXCV in territorio Gabilonensi in die sancti Benedicti fuit fundatum monasterium, quod dicitur Cystertium. Ossa beati Nycolai in Apuliam sunt translata, que oleo natabant. Baculus igneus per celum agitatus ad terram descendit et terra tremuit.

Anselmus archiepiscopus huius nominis quartus.

Christi anno MXCIV, eminente in Roma Urbano secundo, imperante Henrico tertio deposito, Anselmus huius nominis quartus ex valvassoribus de Buyso plebis de Desio factus archiepiscopus sedit annis quatuor. Isto tempore quidam Crisolaus presidii imperatoris Henrici tertii heretici suffultus hunc Anselmum archiepiscopum pro Christi fide, quam tuebatur, de Mediolano expulit,

et in Constantinopolim in exilium misit, ubi mortuus est, et Crisolaus archiepiscopatum invasit (1).

Crisolaus archiepiscopus invasor sedis.

Christi anno MXCVIII, stantibus supradictis concurrentiis, vivente Anselmo vero archiepiscopo in exilio, Crisolaus invasor archiepiscopatus multis intervenientibus symoniis sedit annis IX. Isto tempore fuit factum passagium, et civitas Ierusalem fuit capta. Hoc tempore ista contigerunt in civitate Mediolani, quia in MCIII secundum Cronicam Gotefredi de Bussero, factum fuit iuditium ignis presbiteri Aliprandi ecclesie sancti Pauli in compito (2), et tunc Crisolaus archiepiscopus depositus fuit tamquam symoniacus de archiepiscopatu; et in MCIV fuit unus magnus ignis in Mediolano, qui totam civitatem combussit, et ista fuit istius civitatis destructio XVI. Rehedificata civitate ex ligneis et pae̜aribus domibus, statutum fuit quod nullus accenderet ignem in domo flante vento, et tunc in lampadibus ecclesiarum ignis conservaretur. Quidam de Vincemaris nuptias facere satagens, ignem occulte in domo succendit, qui totam civitatem XVII vice destruxit. Ex hoc omnes de Vincemariis exbanniti fuerunt ad

(1) « Anno Domini 1095 die XII iulii dedicatur monasterium de Ganna apud Arzizate » (*Chron. Phil. praedicti*).

(2) « Anno Domini 1103 die VII ante kalendas aprilis factum est iudicium presbiteri Aliprandi s. Pauli in Compedo, per quem ignem suprascriptus presbiter transivit illesus, et ipsum Ardericus de Raude transire compulit; quo non obstante Arnoldus fratris filius predicti Arderici ad vincula, ad truncatum nasi et aurium ipsum presbiterum Aliprandum condemnavit; quo facto ipsum immaculatum carceribus mancipavit; tantam enim malevolentiam isti de Raude dicto presbitero ferebant, eo quia presbiter predictus partem fovebat Herlembaldi, qui ab Arialdo de Raude huius Arnoldi (fratre?) uno gladio peremptus est, et eo anno Grossulanus de archiepiscopatu Mediolani expulsus est » (*Chron. Phil. de Castro Seprio*).

perpetuum exilium, unde nunquam de cetero bene civitatem habitaverunt; et in MCV in civitate Mediolani fuit ignis maximus, qui dicitur ignis Rugerii, die VII octubris; et ista fuit istius civitatis XVIII destructio.

Henricus imperator huius nominis quartus.

Christi anno MCII, eminente in Roma papa Pascali, vivente Crisolao archiepiscopo Mediolani, Henricus huius nominis quartus imperavit annis XXIII; ubi est sciendum, quod postquam pater istius Henrici imperio renuntiaverat in manibus istius Henrici filii sui, legati pape qui ad hoc missi fuerant, ipsum confirmaverunt in regem romanorum; et post annos sex fuit in Roma coronatus. Hic duxit in uxorem filiam regis Anglie, que dicta est Malcida; de qua nunquam prolem habuit. Hic impetravit a papa, quod ossa Henrici tertii Barbenigre patris sui, que intumulata remanserunt annis V, quod possent sepeliri, que in sepulcro aureo in terra dicta Spira honorifice tumulata sunt. Hic licet aliquando contra ecclesiam fuerit, in fine conscientia ductus cum ecclesia concordavit, et privilegium de investituris renuntiavit. Habuit insuper multas sorores excellenter maritatas, de quibus omnes subsequentes imperatores, videlicet usque ad Federicum ultimum nati sunt, ut Lotharius, Conradus secundus, Federicus Barbarubea cum tota sua posteritate, sicut patebit in locis suis.

Iordanus archiepiscopus Mediolani.

Christi anno MCIX, eminente in Roma papa Pascali, imperante Henrico quarto, Iordanus ex Capitaneis de Clivi de Seprio factus archiepiscopus sedit Mediolani

annis VIII, mensibus IX, et eodem anno, sicut dicit cronica Gothofredi de Bussero, fuit bellum de Campo. Tunc enim episcopus papiensis cum omnibus civibus de Papia manu armata venit ad Campum petentes bellum; tunc exiverunt mediolanenses, bellum committitur, et prostratis papiensibus, eorum episcopus captus fuit, et cum magno suo vituperio est ductus Mediolanum, et fere omnes papienses sunt Mediolanum adducti. Sed cum omnes carceres essent plene et non haberent redemptionem, relaxati sunt cum tali perpetuo memoriali: nam ad caudas vestium sunt alligate palee et igni succense, et licentiati sunt ut fugerent, et plures fuerunt concremati, alii qui evaserunt, cum verecundia sua domum redierunt. Unde usque hodie pueri de Mediolano post papienses clamare consueverunt: paves, paves cum palea ad caudam.

Cremonenses submerguntur in Lolio.

Eodem anno, secundum Sycardum episcopum cremonensem in Cronicis, cives de Cremona convocatis civitatibus circumstantibus congregantes exercitum mirabilem obsiderunt civitatem brixiensem. Quo audito, milites de Mediolano illuc equitaverunt in auxilium brixiensium; Cremonenses visis mediolanensibus congressi sunt, pugna fuit fortis, tandem prostrati sunt cremonenses et multi interfecti, et parantes fugam potius elegerunt in Lolio flumine fortune se exponere, quam gladiis mediolanensium extingui, et tunc innumerabiles in flumine submersi sunt. Ex tunc pueri de Mediolano insultantes cremonensium dampnis per plateas cantabant: fugiamus, fugiamus et ad Lolium vadamus, quod melius est submergi quam mori. Gothofredus de Bussero dicit, quod istud bellum fuit in MCX, sed Sycardus dicit quod fuit in MCIX.

Isto tempore in Ravenna et in campis pluit sanguis de celo, inditium effusionis sanguinis papiensium et cremonensium.

Quod expedit quod nulla civitas inter Ticinum et Abduam habeat murum.

Sequenti anno, scilicet MCXI, cives de Mediolano considerantes quod cives de Laude semper fuissent infesti civitati Mediolani, habito consilio, ordinatum fuit quod nulla civitas, que esset inter Ticinum et Abduam, haberet muros in circuitu nec fossas, ut si aliquo tempore vellent rebellare, faciliter possent humiliari, et inceperunt a civitate laudensi, que erat propinquior et ad dampna paratior; et congregantes exercitum obsederunt civitatem tamdiu, quod ipsam hostiliter debellaverunt die VII exeunte madio in MCXI, nec unquam in perpetuum fuit rehedificata. Et dicit cronica Bonacursi, quod murus civitatis fuit destructus usque ad fundamenta, et fuerunt facti quatuor burgi, et iuraverunt laudenses perpetuam fidelitatem communitati Mediolani, et quod nunquam facerent aliquod concilium, nisi in palatio Mediolani, et solvebant maxima tributa civitati Mediolani omni anno. Et duravit ista servitus annis XLIX; deinde mediolanenses destruxerunt omnes burgos quatuor, et tunc laudenses iverunt ad habitandum ad Castrum Leonis vel Castilionum. Postea facta nova civitate per Federicum Barbamrubeam, habitaverunt in Laude quod nunc est. Hic nota contra laudenses, qui se iactant habere privilegium a beato Bassiano, quod nullus leprosus posset habitare inter eos, quia beatus Bassianus nunquam fuit episcopus in civitate laudensi, que nunc est et dicitur Laude, quia istud Laude fuit constructum anno Domini MCLX, et beatus Bassianus

iam erat mortuus per annos mille. Ex hoc apparet manifeste evacuatam esse omnem laudensium vanamgloriam, quod beatus Bassianus fuit episcopus in Laude veteri, et privilegium de leprosis et de morsu canis rabidi fuit in Laude veteri, et non in Laude quod nunc est, nec unquam pyrate per Pompeium positi fuerunt apud istos, sed in Laude veteri.

Horricus archiepiscopus Mediolani.

Christi anno MCXVII, eminente in Roma papa Pascali, imperante Henrico quarto, Horricus ex Capitaneis de Curte vicedominus et archipresbiter ecclesie mediolanensis factus archiepiscopus sedit annis v cum dimidio. Iste ordinavit festum mortuorum. Isto tempore fuit terremotus maximus per totam Ytaliam [1].

Anselmus de Pusterla archiepiscopus Mediolani.

Christi anno MCXXIII, eminente in Roma Callisto papa, imperante Henrico quarto, Anselmus huius nominis quintus ex illis de Pusterla de Pizo factus archiepiscopus sedit annis x. Hic fecit Cathaneos illos de Pusterla, scilicet illos de cypo suo, qui dicuntur de Pizo. Hic archiepiscopus dederat in episcopum cumanum quemdam ordinarium ecclesie maioris, qui dictus est Ambrosius de Carchano, et misit pro suo legato ad civitatem cumanam unum fratrem carnalem ipsius Ambrosii de Carchano; qui cum venisset Cumas, facta sua ambaxiata, turbati cives de Cumis dixerunt, quod ad archiepiscopum non pertinebat eis dare episcopum, et crescentibus verbis,

(1) « Anno Domini 1122 Bernardus abbas est electus archiepiscopus Mediolani, sed refutavit » (*Chron. Philippi de Castro Seprio*).

cumani interfecerunt illum legatum archiepiscopi, qui eo ipso quod erat de Carchano, erat vassallus archiepiscopi. In MCXXIV, die quarto augusti fuit unus magnus ignis, qui combussit civitatem a porta Iovis usque ad ecclesiam sancti Laurentii, ut dicit Gothofredus de Bussero.

Civitas cumana destruitur.

Anselmus archiepiscopus vehementer turbatus de morte vassalli sui, congregans de civitate Mediolani exercitum magnum invasit civitatem cumanam, que tunc erat in latere montis, ubi nunc est conventus fratrum predicatorum. Cumani, quorum corda semper eorum vires excedunt, egressi ad campum pugnaverunt cum mediolanensibus et prostrati sunt, et interfecti multi, et fere omnes sunt Mediolanum deducti, pro quorum redemptione dederunt cumani altare aureum sancti Abundii et quecumque pretiosa. Tunc archiepiscopus manu armata civitatis muros invasit, quam violenter obtinuit et funditus evertit anno Domini MCXXVII, die V vel VII ante kalendas aprilis; et ordinaverunt cives de Mediolano, quod fierent de civitate cumana quatuor burgi super ripam laci, et simili servitute premerentur, qua et civitas laudensis in quatuor burgos redacta sub magna servitute premeretur et teneretur. Et primo fecerunt eos iurare perpetuam fidelitatem communitati Mediolani, et singulis annis tributa imposita persolverent, et nunquam facerent aliquod concilium nisi in palatio Mediolani; et duravit ista servitus XXX annis, videlicet usque ad adventum Federici Barbarubee. Tunc cives de Mediolano super flumen Aquosam[1] construxerunt castrum in monte, quod

[1] Chiamasi ora la *Cosia*, che scende dai monti di Brunate e versasi nel Lario.

dicitur Castrum novum, quod toti civitati dominabatur, ubi cives de Mediolano habitaverunt.

Lotharius imperator.

Christi anno MCXXVI, eminente in Roma Honorio papa, sedente Anselmo de Pusterla archiepiscopo Mediolani, Lotharius huius nominis quartus factus imperator imperavit annis XI. Pantheon dicit quod mortuo Henrico quarto, electores congregati elegerunt quatuor imperatores, scilicet Federicum ducem Svevie, Luythprandum marchionem orientalis Franchie, Karulum comitem Flandrie, et Lotharium sive Lucherium ducem Saxonie. Vincentius dicit, quod legati pape in Alamaniam missi sunt ut Lotharius fieret imperator; ex hoc electus fuit, quem archiepiscopus coloniensis in civitate Colonia coronavit. Tunc, ut dicit Cronica kalendaria, Conradus unus ex electis intravit Ytaliam, et fuit coronatus in Modoetia per Anselmum archiepiscopum mediolanensem. Qui audito quod ecclesia favebat Lothario et volebat eum coronare, prudenter imperio cessit et imperatoris Lotharii vexillifer factus est, et post eum imperavit. Copia Landulfi dicit, quod Lotharius cum magno favore ecclesie intravit Italiam, et in Modoetia primo fuit coronatus corona ferrea in ecclesia sancti Michaelis per Anselmum de Pusterla archiepiscopum mediolanensem; deinde fuit coronatus per eundem archiepiscopum in Mediolano, postea in Roma per Innocentium papam fuit coronatus in palatio lateranensi. Eodem anno, scilicet in MCXXVI de mense augusti constructum fuit castrum Pizileonis.

Christi anno MCXXXIV, eminente in Roma Innocentio secundo, imperante Lothario quarto, Robaldus episcopus albinganensis factus archiepiscopus mediolanensis sedit annis x et mensibus quatuor. Isto tempore Lotharius imperator in Ytaliam rediit et Cremone longam moram traxit; qui obsedit Cremam ad petitionem cremonensium per unum mensem, sed nihil profitiens iterum Cremonam rediit. Ex hoc turbati cremonenses imperatorem veneno extinguere studuerunt. Quo agnito, imperator venit Mediolanum, et congregato forti exercitu ad destruendum civitatem cremonensem totis viribus anelavit, et aggressus Sonzinum totum igne ferroque consumpsit, Bassianum destruxit, omnes terras circumstantes ad nihilum redegit, et Mediolanum rediit. Inde in Alamaniam perrexit, ubi moriens unam filiam dereliquit, que fuit uxor Henrici superbi ducis Bavarie, cuius frater dictus fuit Guelfus. Hic Henricus superbus post mortem Lotharii imperatoris soceri sui omnia insignia imperialia, scilicet crucem, lanceam et coronam usurpavit, asserens se debere imperare ratione uxoris sue, que fuit filia imperatoris.

Isto tempore, scilicet anno Domini MCXXXII, imperator Lotharius supradictus de Roma egressus, intravit Lombardiam et pervenit Cremonam, et ipso anno Cremam obsedit, ut dicit Gothofredus de Bussero.

Ista per ordinem contigerunt supradictis temporibus, quia anno Domini MCXXVI Padus congelatus fuit in tantum, quod mercatores cum curribus oneratis faciliter ipsum transvadabant.

In MCXXVII in kalendis iulii fuit bellum de Maconago, ubi ordinatis campestribus aciebus mediolanenses pugnaverunt contra papienses, et more suo papienses fugam

paraverunt, et multi interfecti sunt et quamplures capti.

Et in MCXXXII imperator obsedit Cremam, ut dictum est.

Et ipso anno, scilicet MCXXXII, fuit bellum de Martinengo, ubi papienses in campo per mediolanenses universaliter omnes capti sunt.

In MCXXXV (1) beatus Bernardus fundavit monasterium de Clarevalle iuxta Mediolanum, cuius adiutor spetialis fuit Guido ex Capitaneis porte orientalis in die sancti Vincentii, et in MCXXXVI ipse fundavit monasterium de Cerredo.

In MCXXXVII Innocentius secundus cum exercitu romanorum in servitium Raynoni regis Apulie ivit illuc contra Rogerium quondam regem. Rogerius papam cepit, et quocumque papa ipsum in regno restituit, et fidelitatis homagium recepit.

Conradus imperator.

Christi anno MCXXXIX, eminente in Roma Innocentio secundo, sedente Robaldo archiepiscopo Mediolani, Conradus huius nominis secundus imperavit annis XV. Eius mater secundum Crotonium fuit filia Guilliermi marchionis Montisferrati. Pantheon dicit quod papa misit in Alamaniam unum legatum, qui dictus est Theodorus cardinalis tituli prenestini. Hic congregavit apud Confluentiam electores imperii, qui elegerunt istum Conradum secundum, quem legatus pape coronavit in Aquisgrani, et coegit Henricum superbum supradictum omnia insignia imperialia restituere Conrado electo; ex quo turbatus Guelfus Baverie frater ipsius Henrici superbi, et ivit in Siciliam contra ecclesiam, ut infra dicetur.

(1) « In die s. Vincentii » (*Chron. Phil. de Castro Seprio*).

Conradus imperator de Alamania exiens intravit Ytaliam, et in Mediolano per archiepiscopum mediolanensem fuit coronatus in sancto Ambrosio. Gothofredus de Bussero dicit quod fuit coronatus ad Asiam, et postea per eundem archiepiscopum fuit coronatus in Modoetia; attamen coronam in Roma non obtinuit. Isto tempore Guelfus dux Baverie supradictus in Siciliam perrexit, et factus caput pro exercitu Rogerii regis Sicilie. Conradus imperator intravit Siciliam, et contra Rogerium regem bellum paravit. Guelfus dux Baverie caput exercitus Rogerii venit contra imperatorem, et Conradus imperator, qui erat pulchrior princeps mundi et formosior, illi Guelfoni sibi occurrenti gladio caput amputavit, et omnia superavit; propter quod turbata ecclesia quia regnum Sicilie, quod est ecclesie, invaserat, ipsum nunquam voluit coronare. Ex tunc ab isto Guelfo hoste imperatoris quicumque est contra imperatorem, dictus est guelfus, sicut a Conrado imperatore nato de domo Gybillina omnes amici imperii dicti sunt gibillini.

Istis temporibus ista acciderunt, quia in MCXXXIX cremonenses obsiderunt Cremam, et mediolanenses supervenientes turpiter obsidionem amoverunt, et de cremonensibus mirabilem stragem fecerunt, ut dicit Sycardus in Cronicis, qui fuit episcopus cremonensis. Et iste conflictus dicitur bellum de Rivolta.

Ipso anno, scilicet in MCXXXIX, mortuus est Iohannes de Temporibus, qui vixit CCCLXI annis; fuerat enim armiger Karuli Magni, ut dicit Cronica Martiniana.

Item MCXLIII ianuenses ceperunt Montempesulanum, et ipso anno cives de Vigintimilio iuraverunt perpetuam fidelitatem communitati ianuensi.

In MCXLV hospitale Brolii fuit fundatum per Gothofredum de Bussero, qui etiam fundavit hospitale sancti Barnabe.

Item in MCXLVI die XIV iulii fuit in Mediolano unus maximus ignis, ut dicit Gothofredus de Bussero.

In MCXLVI ianuenses invaserunt insulam de Minorica, quam tenebant Sarraceni, et totam insulam superaverunt, et plusquam XX millia sarracenorum interfecerunt.

Eodem tempore ianuenses invaserunt Tortuosam, et plusquam X millia sarracenorum ceperunt, et Ianuam adduxerunt. Tunc murum civitatis sue ianuenses in LV diebus erexerunt, cuius ambitus habet passus V̄DXXII, merli sunt CC.

Ubertus de Pirovano archiepiscopus.

Christi anno MCXLIV, eminente in Roma Eugenio tertio, imperante Conrado secundo, Ubertus de Pirovano factus archiepiscopus sedit annis XX, et ipso anno stella coronata apparuit, tres lune in celo vise sunt, inter quas in medio apparuit crux splendida nimis. Eodem tempore in celo tres soles apparuerunt. Istius archiepiscopi temporibus civitas fuit destructa, ipse vero in exilium missus mortuus est in Benevento, ut infra dicetur.

In MCLIII Gothofredus de Bussero construxit hospitale Brolii et hospitale s. Barnabe, vel in MCXLV, ut supra dictum est.

In MCLIV fuit unus magnus ignis in Mediolano.

Postquam Dei auxilio et beati Ambrosii presidiis complevimus hos libros cronice, nunc ad illa que spectant ad alium librum accedamus. Incipit autem iste liber a gestis Federici Barberubee, et terminatur in primam monarchiam urbis mediolanensis factam in personam Uberti marchionis Pelavecini. In isto libro continetur primo de imperio Federici primi, item de dominio comitum Anglerie, item de politia istius temporis, de

diversis statutis civium, de muro et portis civitatis antique; item de obsidione VII annorum, de preliis, de quodam igne, de destructione civitatis, de eius rehedificatione, de preliis factis cum imperatore, de pace Constantie et pactis. Item de privilegiis datis per Federicum Barbamrubeam; item de bellis habitis cum Federico ultimo, et de rupta Curte nove, et de primo adventu Turrianorum ad civitatem, et de omnibus potestatibus et summis pontificibus et archiepiscopis et imperatoribus contemporaneis, et de adventu Uberti Pellavicini, et ibi terminatur iste liber (1).

Federicus Barbarubea huius nominis primus.

Christi anno MCLIV, eminente in Roma Adriano quarto, sedente Mediolani Uberto de Pirovano archiepiscopo, Federicus huius nominis primus imperavit annis XXXVII. Fuit autem coronatus in Roma per Adrianum quartum anno Domini MCLIV secundum Crotonium. Ipse fuit coronatus anno quarto Adriani, quo stollus factus fuit pro recuperatione terre sancte. Regnavit post mortem Conradi annis V et post suam coronationem annis XXXVII, ergo regnavit in universo annis XLIII, quibus subtractis, sequitur quod regnare cepit anno Domini MCLI. In litteris suis apparet quod inter regnum et imperium non fuerunt nisi duo anni, dicit enim sic: data anno regni nostri XXXIII, imperii nostri XXXI. Gothofredus in cronicis dicit, quod cepit regnare anno Domini MCXLVI, et concordat fere cum Crotonio. Chronica kalendaria dicit, quod cepit regnare anno Domini MCLVI; item Crotonius dicit quod tempore istius Federici sederunt Rome Eugenius annis quatuor, Anastasius anno uno, Adrianus annis VI, Alexander annis XXI, Lutius annis IV, Urbanus annis duobus,

(1) Nel Codice Ambrosiano questa Cronaca è troncata all'anno MCCXVI.

Gregorius et Clemens annis VI. Eius origo fuit nobilissima, quia Conradus imperator qui nunquam fuerit factus electionem (*sic*), dictus est Conradus gybillinus, cuius gener fuit Henricus Barbanigra imperator. Hic genuit Henricum tertium, qui genuit Henricum quartum. Huius Henrici quarti fuit nepos Conradus secundus, de cuius sorore natus est Federicus Barbarubea dux Suevie et comes de Steph, de quo natus Federicus Barbarubea imperator, qui genuit Henricum V imperatorem, qui genuit Federicum ultimum depositum, qui genuit Conradum regem Sicilie, qui genuit regem Conradinum, in quo tota domus gybilina habuit finem.

De moribus Barberubee et filiis.

Federicus hic imperator non solum fuit nobilis genere, ymo insuper fuit in armis fortissimus, sermone facundus, largus quasi Alexander. In omnibus factis suis fuit cordatissimus, in assumendis arduis et periculosis negotiis audacissimus, per omnia fuit ultra modum magnanimus et gloriosus. Attamen fuit litterarum ignarus, in promissis largus, interdum proditor apparebat, nec Deum timuit, nec hominem mundi in reverentiam habuit. Ipse duxit uxorem, que dicta est Beatrix, de qua genuit quinque filios et unam filiam; primogenitus dictus est Henricus, qui fuit imperator post patrem; secundogenitus dictus est Federicus, qui fuit dux Suevie; tertiogenitus dictus est Otto, qui fuit comes de Steph; quartogenitus dictus est Conradus, qui fuit dux; quintogenitus dictus Philippus, qui rex Alamanie filiam suam tradidit Conrado marchioni Montisferrati, que genuit quinque filios. Primus dictus est Gulielmus Spatalonga virorum probissimus, qui duxit uxorem Balduini regis Ierusalem filiam, de qua genuit

filium, qui fuit rex Ierusalem; secundus dictus est Conradus, tertius Bonifatius, quartus Federicus, qui fuit episcopus gabensis, quem magnimiorem fecit prosapia generis, quam ordo exigeret episcopalis; quintus dictus est Raynerius, qui duxit in uxorem filiam imperatoris constantinopolitani, et regnum Salonich accepit in dotem. Bonifatius tertiogenitus factus fuit marchio Montisferrati, de quo descenderunt isti marchiones qui nunc habentur. Hic est sciendum, quod Conradus marchio pater omnium istorum fuit filius illius Guliermi marchionis, qui cepit Tyrum, quem iam senem Saladinus cepit et in Damasco captivavit. Et dicit Crotonius in Cronicis, quod iste Guliermus genuit duas filias, unam dedit regi franchorum, de qua natus est Ludovicus rex franchorum, altera filia sua fuit mater Conradi imperatoris huius nominis secundi.

Fuit autem electus in Francforth, ut dicit Pantheon, ab omnibus electoribus unanimiter, quem archiepiscopus maguntinus coronavit in regem in Aquisgrani. Imperator tamquam vir christianissimus significavit pape suam electionem, petens confirmationem et consecrationem; et papa statim denuntiavit ipsum esse regem romanorum, et habilem ad suscipiendam imperialis celsitudinis dignitatem. Et tunc fuit verus rex romanorum habens plenum dominium in Alamania et Ytalia, et potuit leges condere, sicut legitur de Henrico sexto in septima decretalium, et potuit per civitates Ytalie vicarios ponere, sicut legimus factum per Rodulfum regem romanorum, qui fecit vicarium Matheum Vicecomitem, cum nondum intrasset Ytaliam.

De concilio apud Constantiam.

Federicus imperator per ecclesiam confirmatus et vocatus ad coronam imperii versus Ytaliam veniens, inter

medios fines Lombardie et Alamanie in civitate constantiensi, convocatis baronibus et prelatis, audientiam publicam instituit xxv diebus continuis. Quo audito, duo cives de Laude, scilicet magister Homobonus et Albertanus de Alamanis, portantes quamdam magnam crucem in humeris coram imperatore steterunt, deponentes querimoniam de civibus de Mediolano, qui civitatem laudensem destruxerant et in quatuor burgos diviserant, et eos miserabili servitute presserant annis XLIX continuis, narrantes similiter quomodo civitas cumana iacebat destructa, in quatuor burgos redacta et divisa annis fere xxx. Similiter Gullielmus marchio Montisferrati, et papienses et cremonenses plurimas querimonias de Mediolano deposuerunt, portantes singuli claves suarum civitatum, rogantes imperatorem quod superbie mediolanensium finem poneret. Imperator nuntios solemnes misit Mediolanum, qui nuntiarent suum in Ytaliam felicem eventum, mandans quatenus ab iniuriis circumstantium civitatum abstinerent. Et dicit cronica Bonacursi et Crotonius, quod cives Mediolani verba imperatoris despexerunt, et nuntios imperatoris verbis et verberibus affecerunt, quod factum cor imperatoris perforavit. Unde Pantheon dicit in suis versibus:

Urbs Melana potens merito dicenda leena,
Viribus eximia populis et milite plena,
Sera, superba, fera tota rebellis erat.

Glosa.

Crotonius in Cronicis: in civitate papiensi comites de Lomello a castro lomellino sic dicti, erant domini in civitate papiensi, et de quolibet nato recipiebant duodecim

denarios et plura alia regalia habuerunt. Quodam die Paschatis cum omnes comites venissent Papiam ad festum, cives de Papia clausis ianuis omnes comites interfecerunt, et unus solus transito Ticino evasit. Insuper ceperunt castrum de Lomello et funditus everterunt. Tunc mediolanenses in servitium illius comitis, qui evaserat, burges civitatis papiensis destruxerunt, terras et castra subiugaverunt, et iuxta Vigevanum papienses in campo prostraverunt, ccc incarceraverunt, et civitatem mirabili servitute subiugaverunt. Et dicit Crotonius, quod propter hanc causam papienses miserunt in Alamaniam pro imperatore.

De ambaxiatoribus pape.

Supervenerunt duo ambasiatores ex parte pape Adriani, scilicet Arditio de Rivolta et Otho de Brixia, rogantes cives de Mediolano, quatenus imperatori tamquam filio ecclesie deberent obedire, et iugum circumstantium civitatum alevare, quod facere cives de Mediolano promiserunt, sed peius fecerunt. Ex hoc patet quod cives de Mediolano contra imperatorem Federicum habuerunt bellum iniustum, quia erat verus rex romanorum, habens plenariam iurisdictionis administrationem super omnes civitates Ytalie. Ex hoc manifeste colligitur, quod civitas non pugnavit contra Federicum imperatorem in servitium ecclesie, quia ipse erat verus filius ecclesie, et stabat ecclesia pro eo contra civitatem mediolanensem.

De politia istius temporis.

Erat tunc in hac civitate dominus et capitaneus Galvaneus comes Anglerie, et Vivianus consanguineus eius

germanus erat secundus dominus ab ipso. Et dicit Cronica comitum Anglerie, quod erant in illa domo LXXXV comites educentes gladios, qui non comites dicebantur propter reverentiam comitis Galvanei, sed vicecomites. Erat etiam tunc temporis in civitate unus dux de domo marchionum Hestensium, qui erat dux ad vitam. Erant etiam in civitate XII consules, inter quos erat unus vicecomes, ad quem spectabat facere iudicium sanguinis. Extra civitatem pauci obediebant civitati, quia in Parabiago et super totum Seprium dominabatur quidam ex comitibus de sancto Bonifatio de Verona, in Leuco erat unus comes potentissimus, alius in Turrigia. Etiam archiepiscopus tenebat unam magnam partem nostri comitatus; et hi omnes non obediebant communitati, imo peius aliis ipsam infestabant, sicut dicitur in Cronica mixta ex tribus. Insuper in civitate erant multe divisiones inter nobiles ex una parte, et illos de Mota, de Credentia, de populo ex alia parte. Comes autem Galvaneus potenter dominabatur, qui plus confidebat de Uberto de Pirovano quam de se ipso. Sed dicit Cronica Danielis, quod archiepiscopus occulte insidiabatur ei, studens totis viribus concordare cum imperatore, ut posset civitatis dominium in temporalibus ab imperatore obtinere. Et fuerunt eius sotii, ut dicit Cronica comitum Anglerie, in hac proditione Andreas de Scachabarotiis, Fulchus de Landriano, Simon de la Cruce, Albertus Gambarus et eorum notarius, qui scribebat clam litteras imperatori, cui nomen erat Rampinus Syronus.

De tribus coronis imperatoris in Ytalia.

Supradicti autem proditores, convocatis ad se quinque nobilioribus civibus de Papia, scilicet Rolando Butigela,

Lafrancho de Tortis, Fatio de sancto Nazario, Viola de Caneva nova, Ardico de Petra, miserunt eos ad imperatorem ut intraret Ytaliam, quia erant parati dare sibi dominium civitatis mediolanensis. Quo audito, imperator gavisus est. Insuper promiserunt imperatori ex parte archiepiscopi, quod si volebat ipsum archiepiscopum facere dominum civitatis, quod daret ei omni anno pro censu sex millia libras tertiolorum argenti purissimi; et spopondit imperator. Ex tunc posuit in corde imperator intrare Ytaliam, et assumpta secum uxore sua Beatrice Augusta, intravit per montes taurinos, et pervenit ad civitatem Mediolani anno regni sui primo secundum Crotonium; quam cum voluisset intrare, prohibitus est. Attamen extra civitatem in ecclesia sancti Ambrosii fuit per archiepiscopum mediolanensem coronatus; deinde per eundem archiepiscopum fuit in Modoetia similiter coronatus anno domini MCLIII; qui versus Romam equitans fuit per papam Adrianum in Roma coronatus. Quo coronato, ipse sacramentum fidelitatis a romanis petiit et a senatu; illi contradixerunt, et assumptis ex utraque parte armis, imperator prevaluit, romanos incarceravit, quos ad preces pape relaxavit. Deinde Spoletum destruxit, Tyburtinum in odium romanorum erexit, et in Lombardiam rediit, et pervenit ad civitatem laudensem destructam et in quatuor burgos redactam, a quibus fidelitatis sacramentum exegit; illi hoc facere ausi non fuerunt, nisi prius habita licentia a civibus de Mediolano dominis suis. Hoc consules de Mediolano concesserunt.

Secundum Crotonium in Cronicis, imperator intravit Ytaliam anno regni sui primo, scilicet in MCXLVI, et statim convocavit consilium omnium prelatorum et baronum, tractans qualiter posset in Ytalia pacem ponere; sed mediolanenses, qui interfuerunt consilio,

verba imperatoris despexerunt, et soli papienses imperatori adheserunt. Postea fuit Mediolani coronatus per annos VII. Cronica Laude veteris dicit, quod Federicus Barbarubea intravit Ytaliam anno Domini MCLIII de mense octubris.

Imperator recuperat iura imperii.

Christi anno MCLIV, eminente in Roma Adriano quarto, imperante Federico Barbarubea filio ecclesie, cui papa Adrianus erat plus quam pater, hic imperator (1) iussit in Ronchaliis in provintia Apulie, que est terra plena omnibus delitiis et omni aquarum et aeris amenitate, consilium generale omnium baronum et prelatorum Ytalie congregari. Inter alios iussit advenire XII doctores iuris civilis de studio bononiensi, et XII doctores iuris canonici de tota Ytalia, et fecit declarari que essent iure imperii

(1) « Anno Domini MCLIV Federicus romanorum rex cum Henrico duce primo introivit in Lombardiam undecimo kalendas novembris, et venit Papiam et destruxit Rosate et pontes supra Ticinum et castra de Galbiate et de Trecate et de Momo et de Ast (*Chron. Daniel.*). Anno 1155 in festivitate sanctorum Gervasii et Protasii capti fuerunt papienses in maxima quantitate apud Sedezanum, Maragalia de Aliate tunc consule existente, et ratificata fuit civitas Terdone a mediolanensibus, et eodem anno et mense novembris elevatus fuit (*pons?*) supra Ticinum de Brinate. Anno 1156 porta romana et porta ticinensis obsiderunt et vincerunt Stabium cum porta orientali, et die XIII mediolanenses, congregato exercitu cum ducentis militibus brixiensibus, qui erant in solis expensis communis Mediolani obsiderunt Cerredanum et illud destruxerunt, hoc videntibus papiensibus et novariensibus, qui erant ibi prope cum tota sua fortia, et mediolanenses ceperunt papienses et suburbia Papie; et eodem anno de mense iullio vel augusti porta vercellina, porta cumana, porta nova intraverunt vallem de Lugano, et ibi ceperunt circa viginti castella, et aliae tres portae fecerunt mirabile prelium cum papiensibus in campis de Vidigulfo, et mense novembris sequenti aliae tres portae ceperunt edificare pontem supra Ticinum inter Habiate et Cassolum, et alie tres porte postea per totum hyemem et quadragesimam pulcherrimum pontem compleverunt » (*Chron. eod.*).

in Ytalia, et voluit quod omnes barones et omnes prelati, et precipue archiepiscopus mediolanensis et omnes civitates et communitates et castra renuntiarent omni feudo, omni dignitati quam tenerent ab imperio, alias ipso iure essent privati. Et dicit cronica Bonacursi, quod archiepiscopus mediolanensis inter alios renuntiavit. Ex tunc perdidit comitatum Seprii et ducatum Burgarie et marchionatum Marthesane, que omnia imperator Otto primus donaverat ecclesie mediolanensi. Idem imperator ab ipsis xxiv doctoribus iuris requisivit, si esset verus dominus Ytalie, habens merum dominium in omnes civitates, et declaratum fuit, quod quando imperator est electus et per ecclesiam confirmatus et vocatus quod intret Ytaliam, potest omnes actus regales exercere, et ad ipsum spectat ponere vicarios et rectores in omnibus civitatibus et castris, et habet merum dominium cum alta iustitia, et potest census imperiales preteritos exigere, et potest simpliciter et absolute et absque aliquo pacto instituere et destituere. Unde si aliqua civitas denegat imperatori ingressum vel censum, vel petit pacta vel conditiones, facit contra ius et contra iustitiam, nec tenetur imperator ad pacta. Imperator, habita diligenti deliberatione contra comitem Galvaneum dominum civitatis mediolanensis, ipsum exbannivit de toto imperio sub pena capitis, nisi compareret, quod facere ipse contempsit. Ex his omnibus manifeste colligitur, quod cives de Mediolano contra imperatorem habuerunt bellum iniustum, maxime quod ecclesia stabat pro imperatore.

De quatuor potestatibus et duodecim consulibus.

His auditis, comes Galvaneus tamquam vir magnanimus stetit imperterritus, et fecit in Mediolano quatuor

potestates, quos sentiebat amicos, scilicet Mutium de Soresina, Azum de Mandello, Iacobum de Pusterla et Gratium de Yvorio ex Vicecomitibus. Hi fuerunt primi potestates, qui unquam fuerunt in Mediolano. Insuper instituit XII consules, quorum nomina sunt hec: Otto Vicecomes, Amizo de Porta romana, Anselmus de Mandello, Gothofredus de Mayneriis, Ardicus Cassina, Osa de Ossis, Anselmus de Orto, Aliprandus de Iudicibus, Ardicus de Bonate. Aliorum duorum nomina non habentur. Item instituti sunt duo iudices credentie, scilicet Salandeus Cotta et Iohannes de Mallatata. Institutis igitur universis rectoribus civitatis, studuit quod murus civitatis et centum turres, que erant super murum, optime custodirentur, et fossatum evacuaretur terra et impleretur aqua, et quod archus triumphalis, qui erat extra urbem et portam romanam longe a civitate per duos iactus baliste, ubi nunc est hospitale s. Lazari, qui locus dicitur hospitale ad archum romanum usque in presentem diem, optime muniretur; et turris altissima, que erat in ipso archu situata, bene die et nocte vigilibus custodibus traderetur. Insuper comes Galvaneus in sex portis instituit sex capitaneos, qui deinceps a portis sortiti sunt nomina similia. In porta romana instituti sunt illi de Ostiolo, sic dicti a parvo hostio cui preerant, quod erat in medio porte romane, ut nullus ingrederetur vel egrederetur sine ipsorum bulleta. In porta ticinensi fuerunt illi de la Porta, et in porta vercellina illi qui dicuntur Portenarii. De aliis tribus portis nihil clarum invenitur, et isti de cetero dicti sunt capitanei portarum. Fuerunt ergo quatuor vicibus facti diversi capitanei per portas: primo per beatum Ambrosium, secundo per Ottonem imperatorem, tertio per archiepiscopum Heribertum, quarto nunc per comitem Galvaneum. Potest ergo esse, quod una porta

haberet quatuor genera capitaneorum, verbi gratia: porta romana habet illos de Carrogiis, illos de porta Romana, Vicecomites et illos de Hostiolo, et idem inditium est de aliis portis.

De vexillis sex portarum.

Item statuit comes Galvaneus equos parari militares, reparari carrochium, vexilla distincta per portas haberi, ut sic faciliter omnes de una porta possent cognosci ab aliis aliarum portarum. Et habuit porta romana vexillum ex toto rubeum, et omnes homines illius porte habuerunt scuta rubea et vestes rubeas; porta ticinensis habuit omnia insignia sua alba; porta vercellina habuit balzanam et albo inferius et rubeo superius; porta cumana habuit tabulatum ex albo et nigro; porta orientalis leonem nigrum in campo albo. Facto autem mandato per capitaneum alicuius porte, quod aliqua porta faceret hoc vel illud, statim ex armis cognoscebantur omnes de illa porta. Nec poterat se aliquis abscondere vel aliis de alia porta se commiscere, et omnes cognoscebant suum vexillum magistrum et suum capitaneum.

De hostibus contra civitatem Mediolani.

Imperator ex alia parte preparabat se ad bellum, et fuerunt cum eo omnes infradicte civitates, scilicet Bononia, Ferraria, Vicentia, Trivisium, Padua, Verona, Ravenna, Regium, Cremona, Parma, Papia, Novaria, Vercelle, Cume, Pergamum, Bergolium, Blandrate, Ast et fere omnes civitates Thuscie et civitates Romandiole. Insuper venerunt in auxilium imperatoris contra civitatem mediolanensem infradicti barones: marchio Montisferrati,

marchio Hestensis, marchio Salutiarum, marchio Carreti, marchio Malaspina. Item comites Canipitii et Blandrate, item unus legatus pape missus in servitium imperatoris contra Mediolanum, qui convocavit patriarchas, archiepiscopos, episcopos et prelatos multos. Item ex Alamania venerunt contra Mediolanum dux Austrie, dux Boemie, dux Suevie, archiepiscopus coloniensis et episcopus leodiensis; et fuit numerus militum in exercitu imperatoris plusquam xv millia, exceptis ballestrariis et peditibus, qui fuerunt ut arena maris. Fuerunt ergo contra civitatem mediolanensem ius naturale et ius positivum, et papa, imperator et tota Ytalia cum Alamania. Pro civitate Mediolani steterunt iniustitia, fatuitas, superbia, Brixia, Placentia et Tretona.

De dispositione civitatis antique.

Ut autem modus obsidionis et bellorum facilius habeatur, antequam de obsidione dicamus, aliquid de situ et statu et portis antique civitatis dicendum evenit, ubi est sciendum quod murus ille fuit altus satis, non multum grossus, quod apparet in eius ruinis. Fossatum non erat ex aquis scaturientibus, sicut modo est, sed erat ex aquis fluvialibus, scilicet Sevixo ingrediente per portam orientalem, et fluvio Nirono ingrediente per pusterlam Aziarum, et quia fossatum erat ex fluvialibus aquis, faciliter poterat exsiccari. Super murum civitatis erant centum turres. Porta romana erat ubi nunc est ecclesia sancti Victoris ad portam romanam; burgus erat extensus usque ad illum locum, ubi nunc est porta romana; in capite burgi, ubi nunc est hospitale sancti Lazari, erat archus triumphalis, et ita erat burgus parvus, quod non extendebatur ultra illum locum, ubi nunc est murus

civitatis. Erat ergo porta romana, ubi nunc est ecclesia sancti Victoris ad portam romanam. Deinde murus porrigebatur versus oriens usque ad cloacam pontis necis, sive pontinugo (1), ita quod hyatus cloace erat intus infra murum. Postea vergebat versus oriens usque ad cloacam sancti Michaelis ad murum ruptum; postea ibat versus verzarium super ecclesiam sancti Clementis, que erat extra civitatem, et verzarium erat intra civitatem sub muro. Deinde ibat usque ad cloacham, que est in capite palatii hospitalis Brolii, et dimittebat hospitale extra civitatem; deinde ipse murus super fluvium Sevisum, quod erat fossatum civitatis, procedebat usque ad locum, ubi nunc sunt terme, idest balneum calidum, quod dicitur Stupa, et ibi erat porta Tonsa. Inde vergebat semper super Sevisum usque ad locum qui dicitur pons porte orientalis, et ibi erat porta orientalis. Postea ibat versus sanctum Domninum ad mazam, ubi erat porta nova; inde protelabatur usque ad pontem porte cumane, et ibi erat porta cumana. Deinde super ecclexiam sancti Iohannis supra murum; procedebat murus usque ad monasterium maius, ubi erat porta vercellina (2). De

(1) « Marcellus consul romanorum cum mirabili exercitu venit inter Padum et Ticinum, et transito fluvio Ticini, civitatem mediolanensem usque ad muros invasit. Pugna super portas civitatis committitur, 24 millia ex gallis cisalpinis interfecti sunt, et v millia usque Romam sunt adducti. Unde locus illius pugne usque in hodiernum diem dicitur pont nug, idest pons necis » (*Chron. mai.*).

(2) « Hic est sciendum, quod licet murus civitatis interior esset rotundus, tamen propter circum inter ecclesiam s. Marie ad circulum usque ad monasterium maius exterius ultra murum fuit quidam murus rectus. Sub terra erat via in pillis, per quam ire poterant homines de s. Maria ad circulum usque ad monasterium maius. In isto loco erat porta dicta vercellina, que erat porta civitatis; in circuitu porte erant vii turres fortissime, ubi martyres gloriosi Gervaxius et Protaxius fuerunt carceri mancipati. In processu temporis imperator Maximianus, ut dicit cronica Danielis, in illis vii turribus diversa ydola reposuit. Super portam s. Marie ad circulum

mònasterio maiori non in globum, sed in directum ibat murum usque ad ecclexiam sancte Marie ad circulum; deinde vergebat usque ad cloacham, ubi dicitur carrubium porte tycinensis, et ibi erat porta ticinensis. Inde reflectebatur per viam levatam, usque ad domum fratrum de Gallerate, inde usque ad ecclexiam sancti Victoris ad portam romanam. Et ista erat dispositio muri civitatis veteris.

De fortilitiis.

Intra civitatem erant alique magne fortilitie, quia iuxta ecclesiam maiorem erat turris alta brachia CCXLV, que respitiebat totum planum Lombardie, et spetialiter civitatis papiensis etiam secreta rimabatur. Erat aliud magnum campanile in ecclesia sancti Georgii in palatio, ubi cives antequam fieret obsidio, portaverunt corpora trium regum de ecclesia sancti Eustorgii, ubi steterant octocentum annis. Tum quia valebant contra grandines et tempestates, tum quia succurrebant morbo caduco, ideo cum diligentia fuerunt in campanili sancti Georgii absconditi, paucis hoc scientibus. Quod si non fuissent moti, non fuissent exportati, quia burgi semper obediebant imperatori, nec quicquam mali delatum est burgis, sicut patet de beato Ambroxio et aliis ecclesiis, que erant extra civitatem. Nec erant in sancto Eustorgio, ubi erant magi, fratres predicatores, quia nundum erant, nec fratres predicatores nec fratres minores in mundo. Locus qui dicitur curia ducis, erat in medio civitatis,

idem imperator Maximianus permaximum construxit palatium, ubi de causis iudicabat. Istud palatium deinde fuit palatium herculianum, cui adiunctae sunt thermae, quia ibi residebat quoddam ydolum Herculis » (*Chr. mai.* ad ann. C).

et erat curia comunitatis, sicut modo est broletum. In verzario fiebat forum rerum venalium, sed superveniente scismate sacerdotum uxoratorum, tales sacerdotes et sequaces eorum fatiebant forum per se iuxta ecclesiam maiorem, in loco qui dicitur Patharia, et a loco dicti sunt tales sacerdotes patharini.

Sex exercitus super sex portas civitatis facti sunt circa Mediolanum.

Sic itaque dispositis utriusque partibus, imperator ad civitatis obsidionem advenit, et cum haberet xv m. militum et peditum multitudinem indicibilem, eratque cum eo unus legatus cardinalis et prelati multi, ut dictum est, ipse super sex portas civitatis instituit sex exercitus. Imperator cum imperatrice fixit sua castra in brolio inter sanctum Nazarium et sanctum Stephanum, archiepiscopus coloniensis stetit in sancto Celso, dux Bohemie in sancto Dyonisio, et sic de aliis. Tunc probissimi milites, scilicet Gerardus Vicecomes et Tazo de Mandello cum aliquibus electis militibus exiverunt per portam orientalem sancti Domnini ad mazam, et iverunt versus sanctum Dyonisium, et pugnaverunt cum duce Bohemie, qui habuit xv m. virorum armatorum secum de terra sua, et pugna producta est in longum, et venit imperator personaliter in succursum ducis Boemie, et interfecti sunt duo predicti milites cum multis aliis. Tunc precepit comes Galvaneus sex capitaneis portarum, de quibus dictum est, quod nulli de cetero esset licitum exire civitatem sine suo mandato.

Archus triumphalis superatur, et dux Boemie fit rex.

Imperator totis viribus cogitavit expugnare archum triumphalem, qui erat extra civitatem; et dixit duci Bohemie: tu teneris imperio in multis angariis et tributis et serenitatibus super omnes alios barones Alamanie; si tu poteris hunc archum expugnare, te ex duce faciam regem, et ab omni onere imperiali te absolvo. Dux hoc libenter audivit, et archum triumphalem obsedit. Et habuit de gente sua xv m. virorum armatorum, et divisit gentem suam in tres cohortes, et ordinavit quod prima cohors pugnaret a mane usque ad sextam, et alie due cohortes quiescerent; perfecta pugna prime cohortis ad sextam, statim alia cohors pugnavit usque ad vesperas; et statim tertia cohors pugnavit a vesperis ad primum sompnium. Iterum prima cohors rediit refocillata et medicamentis oblectata, et pugnavit a media nocte usque ad diem; et sic continuando non cessabant a pugnis die et nocte sine intermissione aliqua. Illi autem, qui super archum erant, non poterant nec comedere, nec bibere, nec dormire, nec medicari a plagis, et statim superati sunt, et imperator obtinuit archum et optime comunivit, quia per totam civitatem intus videre poterat quicquid fiebat. Cives de Mediolano sunt terribiliter consternati, et imperator in ecclesia sancti Ambrosii coronavit ducem Bohemie in regem et tributa relaxavit. Hec autem peracta sunt anno Domini MCLIV, et duravit obsidio annis fere tribus. Deinde audivit imperator de morte Adriani amici sui pape, et turbatus est valde, unde oportuit imperatorem ab obsidione temporare, ut statim dicetur. Cronica Iacobi de Voragine dicit, quod ista obsidio facta fuit anno Domini MCLVIII, quod verum est de secunda obsidione.

Alexander papa huius nominis tertius.

Christi anno MCLVII, sedente Mediolani Uberto de Pirovano archiepiscopo, imperante Federico Barbarubea, Alexander huius nominis tertius factus papa sedit annis XXII. Hic est sciendum, quod mortuo Adriano papa, cardinales, inter quos erat beatus Galdinus de la Sala civis mediolanensis tituli sancte Sabine episcopus cardinalis, congregati sunt in Roma, et elegerunt magistrum Rolandum cardinalem tituli sancti Marchi, qui fuerat canzellarius curie, vir sapiens et multum litteratus, qui consecratus in papam dictus est Alexander tertius. Hic coram cardinalibus se humilians, se excusavit quod esset insuffitiens, attamen non contradixit. Tunc temporis casu duo legati imperatoris Federici erant in curia, scilicet Otto comes palatinus et comes de Blandrate. Hi dixerunt quod Alexander non poterat esse papa, quia reclamaverat, et tantum fecerunt cum duobus cardinalibus, quod elegerunt quemdam tituli s. Felicis presbiterum cardinalem nomine Octavianum, qui sibi ipsi palium imposuit, et dictus est Victor apostaticus, qui cum sedem apostolicam invasisset auxilio legatorum supradictorum, Alexandrum papam et beatum Galdinum civem nostrum, et alios cardinales in una turri inclusit per IX dies. Postea seductus malo consilio legatorum imperatoris, una cum ipsis ivit Mediolanum ad imperatorem Federicum, qui obsidebat civitatem; et ut melius posset diffiniri, quid iuris esset inter duos istos electos, imperator misit quod papa Alexander adveniret; et invenerunt nuntii quod fugisset de carcere, et super naves ianuensium pervenisset Ianuam. Et dicit cronica Bonacursi, quod imperator iterum misit pro ipso usque Ianuam ut compareret, qui respondit: papa est maior homine, et a nullo potest iudicari, nec

indigeo tua confirmatione, quia papa est ipso facto quod est electus et prebuit assensum, ipso facto est a Deo confirmatus. Imperator tunc Victorem apostaticum sua pestifera maledictione confirmavit. Ex tunc imperator fuit scismaticus et excommunicatus, et ab omni actu legiptimo suspensus. Et duravit scisma inter papam Alexandrum et imperatorem annis XVIII.

Chronica Iacobi de Voragine dicit, quod papa Alexander per naves ianuensium assumptus pervenit Ianuam anno Domini MCLXII, quod verum est de eius reditu, ut infra dicetur.

Glosa.

Cardinales congregati in Roma (et tunc temporis medietas vocum cardinalium suffitiebat ad eligendum summum pontificem) et omnes cardinales, exceptis duobus, elegerunt magistrum Rolandum virum litteratum multum, qui erat vicecanzellarius curie romane et presbiter cardinalis tituli sancti Marchi, qui factus papa dictus est Alexander tertius. Hic cum fuisset electus, humiliter se excusavit quod non esset suffitiens pro tanto offitio. Tunc duo cardinales, qui ipsum eligere noluerant, dixerunt: hic non potest esse papa, quia assensum non prebuit, et suffulti auxilio duorum nuntiorum imperatoris Federici, videlicet comitis palatini et comitis de Blandrate, qui ad curiam venerant propter electionem pape, que instabat, elegerunt isti duo cardinales quemdam nomine Octavianum presbiterum cardinalem tituli sancti Felicis, et iste statim fuit coronatus et inunctus, et pontificali palio circumdatus et in cathedra sublimatus, et dictus est papa Victor, qui auxilio legatorum imperatoris cepit papam Alexandrum cum omnibus cardinalibus, qui ipsum

elegerant, et inclusit in carcere diebus IX. Tum Victor papa apostaticus cum legatis imperatoris de Roma exiens, venit Mediolanum ad imperatorem Federicum, qui civitatem mediolanensem obsidebat, et narravit modum sue electionis, et quomodo papam Alexandrum cum cardinalibus incarceraverat. Interim papa Alexander cum cardinalibus de carcere fugit, et cum navibus ianuensium usque ianuam pervenit. Imperator, habito diligenti consilio, misit Ianuam citans papam Alexandrum, quod veniret ad ipsum et sua iura allegaret, ut melius posset deffiniri quis foret verus papa. Respondit papa Alexander, quod papa est superior omni homine et a nullo potest iudicari, et quod ille est verus papa, qui electus a maiori parte cardinalium, si prebuit assensum, est inunctus et coronatus. Imperator Federicus ex sola fatuitate et propria temeritate Victorem apostaticum promulgavit esse verum papam romanum, cui obediebant fere omnes prelati Ytalie, Alamanie, Bohemie, Anglie; et tunc papa Alexander in Franchiam fugit. Postea in habitu pauperis sacerdotis Venetias venit, ubi privatam vitam ducens quamdam capellam incoluit, ubi dum quadam vice celebraret, ymago beate Virginis ipsi inclinavit. Ex hoc cognitus quod esset papa Alexander, cum summo honore fuit tractatus, ad quem cardinales venerunt; et tunc misit unum legatum Mediolanum, qui in puplito ecclesie maioris coram archiepiscopo et universo populo tulit sententiam excommunicationis, depositionis, privationis omnis nobilitatis et regie dignitatis contra imperatorem Federicum et contra Victorem apostaticum. E contrario Victor apostaticus fecit contra papam Alexandrum. Superata civitate Mediolani, Victor apostaticus cum imperatore intravit Mediolanum, postea ivit Laude, ubi ad tantam paupertatem devenit, quod vix ad modum unius

pauperis clerici ad vivendum haberet. Deinde ivit Lucam, et ibi in maxima miseria mortuus est, postquam sedem apostolicam defenderat annis VIII et mensibus VIII et diebus VII.

Imperator temporavit obsidionem.

Imperator, prout erat astutus, considerans quod totum factum imperii dependet a papa, a quo imperator confirmatur, coronatur et deponitur, obsidionem civitatis mediolanensis ad circumstantes civitates et castra elongavit; et ipse cum suo Victore apostatico versus Romam properavit. Tunc dux de Brunsvich, qui habuit secum CCC milites galleatos de terra sua, imperatorem relinquens, in Alamaniam rediit, contra quem imperator tulit sententiam, quod nullus de domo ducum de Brunsvich posset eligi in imperatorem usque in quartam generationem, quod bene fuit servatum usque in hodiernam diem. Imperator venit Romam, et Victorem apostaticum in apostolica sede collocavit, qui sedit annis VIII, et imperatori plus quam Deo obedivit. Imperator urgentibus negotiis regni in Alamaniam rediit, ubi pluribus annis moram contraxit.

Coniuratio inter papam Alexandrum et Mediolanum.

Interim dum hec agerentur, et papa Alexander fuerat Ianue, Galvaneus comes dominus civitatis mediolanensis misit nuntios Ianuam ad papam Alexandrum, et facta est coniuratio fortis inter papam et mediolanenses, et misit papa Mediolanum unum legatum cardinalem, qui dictus est Iohannes de Anania, qui in puplito ecclesie maioris imperatorem solempniter excommunicavit, et scismaticum et fautorem hereticorum esse declaravit. Item

excommunicavit civitates papiensem, cremonensem, novariensem, vercellensem. Item excommunicavit Guliermum marchionem Montisferrati, Lodovicum comitem Baradelli et comitem de Blandrate; item excommunicavit episcopos cremonensem et papiensem, quem palii et crucis honore privavit sub hoc titulo, ut dicit cronica Martiniana nove correctionis, eo quod episcopus papiensis Federico imperatori tunc et ab antiquo regibus persequentibus ecclexiam adhesisset. Item excommunicavit totum Seprium et totam Marthesanam et episcopos novariensem et vercellensem; et dicit cronica Danielis, quod duravit istud interdictum annis XII; et cronica Pagani dicit, quod cives de Mediolano in manibus legati iuraverunt fidelitatem pape.

Bellum iniustum fit iustum.

Ex tunc quando imperator fuit factus scismaticus et excommunicatus, fuit licitum unicuique ipsi imperatori rebellare et bella movere; et sic bellum mediolanensium contra imperatorem, quod fuerat usque ad ista tempora iniustum, factum est iustum; et tunc cepit ecclesia pugnare pro mediolanensibus. Sed utrum mediolanenses unquam pugnaverunt pro ecclesia, vel aliquod detrimentum sustinuerunt, vel utrum civitas mediolanensis fuerit destructa in servitium ecclesie, habetur una questio disputata in Cronica nostra Extravagante.

Papia fit burgus et Vigevanum superatur.

Christi anno MCLVII, eminente in sede apostolica Alexandro tertio, imperante Federico Barbarubea excommunicato, scismatico condempnato, Ubertus de Pirovano archiepiscopus et comes Galvaneus regebant civitatem.

Considerans autem comes Galvaneus, quod imperator iverat in Alamaniam, et quod papa Alexander cepit pugnare pro mediolanensibus confortatus viribus, convocatis placentinis, brixiensibus et tertonensibus, congregans exercitum totis viribus cogitabat, quomodo posset de civitate papiensi, que hostium nidus erat, se vindicare. Et audito quod papienses venerant Viglevanum, castrum munitissimum muro, turribus et fossatis, et ibi essent congregati marchio Montisferrati imperatoris vicarius in Ytalia, cum marchione Malaspine et aliis VII marchionibus et comitibus, illuc properans, transito ponte de Habiate, pervenit Cassiolum, et cum appropinquasset Vigievanum, comissa est pugna; papienses terga vergentes, versus castrum fugientes impellentibus nostris, omnia fossata fuerunt repleta cadaveribus; tunc castrum fuit captum et funditus eversum. Omnes papienses sunt ducti Mediolanum, attamen marchionibus data fuit licentia fugiendi. Et dicit Gothofredus de Bussero, quod hoc fuit anno Domini MCLVII; et ultra progressus comes Galvaneus perrexit Papiam, quam inveniens vacuam pugnatoribus, eo quod omnes essent Mediolani in carcere, cives tradiderunt se in manibus mediolanensium, et iuraverunt fidelitatem communitati Mediolani, qualem servi suis dominis prestare consueverunt; et datus fuit eis in dominum quidam faber lignarius, dictus magister Guitellinus.

Quatuor pacta servitutis papiensis.

Civitas papiensis viribus mediolanensium subacta per magistrum Guitellinum lignorum fabrum dominum civitatis papiensis his miserabilibus servitutibus subiugata fuit. Primo, quia ipsa civitas papiensis iuravit communitati

Mediolani perpetuam fidelitatem; secundo, quod nullum possent facere consilium, nisi in palatio mediolanensi; tertio, quod propriis suis manibus explanarent murum civitatis versus Mediolanum, cuius fracture vestigium adhuc apparet in muros; quarto, quod daretur eis potestas per sortem in palatio Mediolani, sicut dari consuevit aliis burgis. Tunc episcopus papiensis nuper palii et crucis honore nudatus, audiens quod civitas papiensis esset ad burgi vilitatem tam vituperabiliter per unum fabrilignarium redacta, cum oculis lacrimosis ait: O magister Guitelline, ista suffitiant gravamina. Respondit magister Guitellinus: Domine episcope, non habetis tot capillos in capite, quanta iterum sum superadditurus gravamina. Et tunc ex nobilioribus de Papia dati sunt ccc obsides, centum ex nobilibus et cc ex popularibus.

Quod omnes civitates inter duas aquas facte burgi fuerunt.

Ex tunc completum est desiderium mediolanensium, quia viderunt uno die explanatos muros omnium civitatum positarum inter Tycinum et Abduam, et ad statum burgorum esse redactas. Nam civitas laudensis redacta in quatuor burgos prostrata iacebat XLIX annis iam transactis. Civitas cumana in quatuor burgos divisa stetit destructa iam fere XXX annis; et tunc civitas papiensis simili servitute premebatur. Et quia civitas mediolanensis semper fuit circumstantibus nimis ferox et aspera, et ad vindictas usuraria, ait actor:

Cumis urbs celebris laureata subria longis
Usuras reddis edax ultrix potentia sevis
Equis belligeris volutis ungue rotundis,

Balteis auratis stravisti cuspide bellis
Urbes et ligures, nec remus sanguine postes
Tinxerat hunc urbis romane vulnere fratris;
Non oblita priscis moribus vitiata superbis,
En reddis hostibus vulnera dira nimis.

Monsferratus subiugatur
et Vallis de Tellio destruitur.

Tribus civitatibus interfluvialibus ad miserabilem servitutis conditionem redactis, cives de Mediolano cogitaverunt visitare in gladio Gulliermum marchionem Montisferrati vicarium imperatoris in Ytalia. Et transito ponte de Brinate, versus Montemferratum equitantes superaverunt duo fortissima castra, scilicet Gynasium et Stabulum tradentes militibus, qui continuis incursionibus totum Montem ferratum igne ferroque consumerent. Et redeuntes per terras papiensium, superaverunt castrum de Cerredano altissimo muro et turribus communitum, quo funditus everso, omnes circumstantes terre in manibus mediolanensium cum corrigiis ad collum devenerunt, scilicet Morengum, Turris de Omono, Mosezium, Fara. Et reversi mediolanenses castrametati sunt versus Cumas, et xx castra fortissima in valle de Lugano de mense augusti destruxerunt, et fuerunt expense communitatis mediolanensis in destruendo inimicos, in construendo pontes et roborando amicos D millia marcharum argenti.

Imperator secunda vice intravit Ytaliam.

Christi anno MCLVIII, eminente in sede apostolica in civitate turonensi Alexandro quarto, imperante Federico

Barbarubea scismatico dampnato, Ubertus de Pirovano archiepiscopus et comes Galvaneus Anglerie conservabant urbem. Isto tempore cives de Papia sue miserabilis servitutis impatientes fecerunt unam clavem auri et miserunt in Alamaniam imperatori, narrantes suum vituperabilem statum, et dicentes: Veni, domine, et noli tardare, relaxa iugum servitutis nostre. Similiter fecit marchio Montisferrati et cumani et laudenses, qui omnes ab civibus de Mediolano subpeditati premebantur. Et ecce imperator cum Augusta imperatrice et exercitu copioso per Terdentinum et Veronam fatiens introitum, pervenit Brixiam sibi ab antiquo rebellem; et dicit cronica Bonacursi, quod diebus xv super Brixiam stetit, omnes campos, vineas, terras, castra igne consumpsit. Et tunc venerunt ad eum marchiones, comites, civitates fere totius Ytalie; insuper accurrit ei Victor apostaticus romane sedis invasor, cum episcopis et prelatis et cardinalibus hostibus ecclesie; et cum non potuisset imperator civitatem brixiensem superare, inde recedens pervenit ad fluvium Abdue, cui ex opposito cives de Mediolano castramentati, ipsum prohibuerunt transire. Supervenerunt v cives de Cumis, scilicet Ruscha de Ruschis de Bylinzona, Galvaneus de Lambertengis, Manfredus de Lavizariis, Ruscha de Advocatis et Iohannes de Lucino, et imperatorem conduxerunt Cumas anno Domini MCLVIII, die VI iulii. De Cumis ivit Tritium, et illum locum communivit muro et turri ex saxis quadratis, que omnes turres et campanilia excedit in grossitie. Ibi imperatricem dimisit, omnes thesauros, quos de Alamania attulerat, ibidem recondidit. Raynum militem theutonicum castri capitaneum instituit, et ad obsidendum civitatem mediolanensem se disposuit.

Imperator secunda vice obsedit Mediolanum.

Christi anno supradicto, scilicet in MCLVIII, imperator cum toto suo exercitu venit ad prata de Castirago in kalendis augusti; et dimisso ibi suo exercitu, ipse cum aliquibus ivit Laude vetus; et assumptis civibus de Laude, posuit eos in monte Gezonis, et ibi construxit Laude novum die VI augusti. Die vero tertio augusti in festo sancti Gaudentii, subascendente astro scorpionis, et dedit imperator civitati laudensi, licet esset depositus et excommunicatus, unum episcopum hereticum et excommunicatum, qui dictus est Lafranchus de Cassino; et post xx annos, idest anno Domini MCLXXIX, datus fuit civitati laudensi primus potestas, qui dictus est Iohannes de Calopino brixiensis; et post decem annos papa Alexander dedit Laude novo alium episcopum, ut infra dicetur; et inde pervenit Mediolanum, et in brolio inter sanctum Nazarium et sanctum Stephanum, ut prima vice fecerat, se collocavit et obsidionem paravit. Et dicit Cronica Iacobi de Voragine, quod hoc fuit anno Domini MCLVIII. Tunc Victor apostaticus, cui obediebant omnes prelati Alamanie, Lombardie, Tuscie et Sicilie, qui iampridem imperatori occurrerat, cum magna solempnitate tulit sententiam excommunicationis, interdicti et maledictionis contra civitatem mediolanensem, et facta est obsidio fortis. Et fuerunt qui de pace tractare ceperunt, et placuit utrique parti; et pacta pacis fuerunt ista, quod imperator de obsidione recederet et iret Modoetiam, et ibi pacifice omnia complerentur. Placuit imperatori.

De pactis pacis inter imperatorem et mediolanenses.

Imperator in Modoetia constitutus existens, iverunt ad eum comes Galvaneus cum archiepiscopo et aliqui

alii pauci, quos imperator dulciter recepit ad osculum pacis, et statim civitatem de banno extraxit. Et ista fuerunt pacta pacis: quia imperator petiit, quod cum civitas mediolanensis iam per C annos imperatoribus debitum censum denegassent, quod solverent novem millia marchas argenti; item quod vexillum suum cum aquila poneretur super campanile ecclesie maioris. Ex alia parte fuit statutum, quod imperator numquam faceret guerram civitati mediolanensi; item quod non se intromitteret de regimine civitatis; item quod iuraret, quod nunquam intraret portas civitatis mediolanensis; et firmata sunt pacta, et tunc iuraverunt mediolanenses imperatori fidelitatem, similiter illi de Seprio per se et illi de Marthesana per se, illi de Belfort per se, illi de Statione sive de Angleria per se. Et tunc misit imperator, quod civitas papiensis rehedificaretur, et civitas cumana similiter. Tunc imperator instituit suum vicarium Goffinum super Seprium et super Marthesanam. Ipse, pacificata tota Lombardia, Laude perrexit, postea ivit Cremam, quam obsedit tamdiu, quod se reddidit imperatori tali pacto, quod quicquid possent exportare in uno die, salvum esset. Tunc omnes iverunt Mediolanum, et in MCLXXXV de mense madii fuit rehedificatum.

Imperator contra pacta dat potestatem mediolanensibus.

His itaque peractis, imperator, transito Pado in Montemferratum, perrexit et in Occimiano yemavit. Tunc cremonenses, oblatis IX millibus marcharum argenti, castrum de Crema sibi dari procuraverunt destruendum, et omnia spolia essent sua. Imperator pecunia corruptus, misit quod cremonenses propriis manibus murum castri diruerent, et cremonensibus obedirent. Item misit

placentinis, quod omnes turres civitatis destruerent. Ipsi verba imperatoris despexerunt, dicentes eum de suo imperio depositum, nec volebant in aliquo obedire. Deinde imperator invasit civitatem tretonensem, que tunc erat in ripa Scrivie ad sanctum Precipianum longe per XII milliaria ab illo loco, ubi nunc est in monte constructa. Deinde oblitus imperator pactorum pacis factorum cum mediolanensibus, misit Mediolanum duos legatos, scilicet Ottonem comitem palatinum et Raynerium canzellarium, precipiendo quod sublato omni dominio consulum, reciperent in suum potestatem Gyrardum comitem de Ligino genere theutonicum. Comes Galvaneus in sala sua mirabili in cathedra ex marmoreis leonibus capistrata ascendit, et coram legatis imperatoris et omni populo concionatus fuit, quomodo fecerat pacem cum imperatore sub certis pactis, et mediolanenses pacta omnia imperatori servaverant, et quod imperator nunc inciperet nova bella, dando potestatem civitati, quod erat expresse contra pacta. Et tunc surrexerunt tres cives de Mediolano, scilicet Azo Bultrafus, Castellus de Hermenulfis et Martinus Malaopera, qui, facto tumulto in populo, nuntios imperatoris turpiter percusserunt et eos abiecerunt. Quo audito, imperator turbatus, iterum cives de Mediolano de toto imperio exbannivit, et per coronam capitis sui iuravit, quod nunquam de Ytalia recederet nec capiti suo coronam imponeret, nisi prius de civitate Mediolani triumpharet. Et sic innovata sunt bella inter imperatorem depositum dampnatum et Mediolanum.

Tritium superatur per Mediolanum.

Incepta itaque guerra, comes Galvaneus conspiciens imperatorem in obsidione civitatis tretonensis preoccupatum, congregato exercitu, castrum de Tritio, ubi erat

imperatrix et omnes thesauri imperatoris reconditi, invasit per terram et per aquam, et perserpentibus ii navigio per criptas montis statim castrum obtinuit, omnes thesauros imperatoris habuit, et theutonicos interfecit et castrum communivit; et rediens domum c milites et cc sagittarios in auxilium tretonensium misit; quibus advenientibus theutonici occurrerunt, et commissa pugna, v nobiles viri de Mediolano interfecti sunt, scilicet Ugo Vicecomes, Lafrancus de la Cruce, Zaninus Maynerius, Albertinus de Carate, Rogerius de Sancta Maria. Tandem imperator obtinuit Tretonam, quam ad preces papiensium destruxit, quam postea mediolanenses rehedificaverunt in monte, ubi nunc est xii miliario a loco, ubi prius fuerat; et dicit Sycardus, quod ista civitas fuit primo dicta Altillia, quam Troyani construxerunt. Destructa Tretona, imperator versus Mediolanum rediens, duo castra ecclesie mediolanensis, scilicet Trechate et Galliate, quod erat muro et quatuor turribus communitum, destruxit, Rosate igne concremavit.

De turta et de marchione de Boscho.

Imperator toto spiritu contra civitatem mediolanensem debacchatus, in Ronchaliis in Campanie partibus conscilium convocavit prelatorum et baronum; inter alios vocavit Gulliermum marchionem Montisferrati cum duobus eius consanguineis, scilicet marchionem de Guasto et marchionem de Boscho, et Murellum marchionem Malaspinam. Cum autem marchio de Boscho iuvenis et lascivus non advenisset, imperator dixit marchioni Montisferrati: ubi est consanguineus tuus comes de Boscho? Respondit: consanguineus meus non invenitur, nisi cum

meretricibus aut super tabulerium cum ribaldis. Imperator, habito concilio suo de ore omnium baronum, qui consulebant quod melius erat pacem cum mediolanensibus reformare quam bella gerere, marchio Muruellus iussit quamdam turtam imperatori presentari. Et ait: o imperator, quamdiu turta habet cohoperculum, nichil de ipsa poterit comedi: aufer cohoperculum, et ubique ut libuerit, turta tibi patebit. Imperator interrogavit quale esset istud consilium? Ille respondit: cohoperculum et corona Lombardie est Mediolanum, quo sic stante, quilibet, ut placuerit, tibi rebellabit eorum auxilio fretus; aufer hanc civitatem, et totius Ytalie rapinis ditaberis. Finito consilio, et ecce comes de Boscho advenit, et audito quid de ipso dixerat marchio Montisferrati, nimis indignatus dixit ei; consanguinee, me turpissimis verbis coram imperatore vituperasti, dicens quod sum magis aptus tabulerio ribaldorum, quam consiliis imperatorum. Et dico tibi, quod ego fatiam tibi tale tabulerium, ubi tibi dabitur tale zarrum, quod nunquam respondebis ad illud libellum. Et cum esset sine prole, donavit ecclesie romane Bergolium et quatuor circumstantes villas, ubi per mediolanenses de mandato ecclesie fuit constructa Alexandria in modum tabulerii quadrata, ubi facti sunt ad zarrum ludi in destructionem domus Montisferrati.

Imperator superatur apud Raude.

Imperator, congregatis undique copiis, civitatem mediolanensem iterum iam tertia vice obsidere disposuit, et primo Cremam superavit, quam funditus evertendam cremonensibus commisit. Deinde cum exercitu suo pervenit Raude pridie kalendas aprilis, et congregatis ad

se seepriensibus et marthesanis, iuxta Raude in campo castra sua fixit. Occurrerunt mediolanenses cum militia et populo et ccc curribus falchatis subvehentibus equis, qui videri non poterant; currus erant angulares, habentes superius latera undique ligneata, unde egrediebantur falces pro pratis ad secandum apte, et velut remiges deducebantur cum ictu fervido et impetuoso nimis. Et commissa pugna, theutonici non potuerunt sustinere ictus falcales, et fugit imperator cum suis et ivit Bernarigium, postea Murimundum; deinde Papiam totus confusus et verecondatus intravit. Et fuit tanta copia spoliorum de exercitu theutonicorum, quod quicquid imperator vel theutonici de nostro comitatu per novem annos abstullerunt, totum in hoc conflictu recuperatum est anno Domini MCLX, et dabatur unus equus pro quatuor turonensibus.

Carchanum obseditur per Mediolanum.

Christi anno supradicto, imperator exercitum iterum contra civitatem mediolanensem parare visus est. Quo audito, comes Galvaneus congregato exercitu pergens in Marthesanam destruxit Paravexinum, Herbam, Corne, Cesanam, et victualia undique recolligens ad civitatem transmisit, et cum carrocero et universo populo castrum de Carchano, quod erat fortissimum, obsedit; et interfuit isti obsidioni Ubertus de Pirovano archiepiscopus mediolanensis, et Millus archipresbiter et Galdinus archidiaconus et Algio cimiliarcha. Tunc archiepiscopus sedens pro tribunali, sententiam contra castrum de Carchano protulit cum solempnitate in hec verba: certum est, quod castrum de Carchano est feudum archiepiscopi; nunc autem quia sunt rebelles ecclesie et fautores

Federici excommunicati et dampnati, et suam civitatem destruere conantur, privamus eos omni nobilitate, omni feudo, et castrum de Carchano confiscamus ecclesie Mediolani. Imperator de Papia exiens flumen Abdue occulte transivit, et castrum de Carchano obsessum intravit, et fuerunt cum eo marchio Montisferrati et papienses, novarienses et vercellenses; insuper illi de Seprio et de Marthesana.

Imperator superatur per mediolanenses.

Imperator Federicus Barbarubea depositus et dampnatus exercitum suum posuit inter Taxeram et Orsenicum, et fossato circumdedit; mediolanenses non longe ab imperatore per iactum baliste inter Carchanum et Taxeram se locaverunt, et statuta die, scilicet in MCLX, in vigilia sancti Laurentii quodam die mercuri pugna commissa est; et prevaluerunt mediolanenses, et marchio Montisferrati cum papiensibus, novariensibus et vercellensibus usque Angleriam fugit. Reliqua pars exercitus perrexit Cumas (1). Imperator turpem fatiens fugam, mediolanensibus eum insequentibus, equus eius viti pede connexus et aliquo parvo tempore detentus, vix incidit in manibus hostium. Tulerunt autem mediolanenses tantam predam, quod currus nec equi portare poterant, captique sunt tot teuthonici, quod imperator omnes captivos, quos umquam ceperat, ex mediolanensibus libenter commutasset. Imperator audiens quod cives de Mediolano equos suos oneratos abducerent, et ipsi theutonici pedites iterarent, recollectis CC militibus ad pugnam rediit; et

(1) « Anno Domini MCLX die IV augusti inceptum est edificari civitatem Laudensem iuvenem » (*Chron.* Phil. Castr. Sepr.).

primo invasit carrocerum, quem in lutum evertit; tria paria bovum carroceri abduxit, cc pedites carrocerum custodientes cepit, et exclamans ait: ego vici, ego vici. Respondit unus ex mediolanensibus, quem tenebat captivum: Quid vicisti? vicisti unum currum et tria paria bovum. Certe imo victus es: expecta quod exercitus dispersus recolligatur, et hodie captus eris. Et ecce subito mediolanenses quasi leones clamantes undique confluxerunt, et facto impetu super imperatorem, ipse statim fugit et Papiam perrexit. Tunc comes Galvaneus castrum de Carcano invasit, superavit et funditus evertit anno Domini MCLX, die XX tertio augusti.

Imperator vulneratur.

Christi anno MCLXI, eminente in sede apostolica Alexandro tertio, imperante Federico deposito dampnato, comes Galvaneus erat dominus civitatis mediolanensis. Isto tempore imperator iterum contra civitatem mediolanensem arma paravit, et pervenit ad cassinam guanazinam de Aliate, et ibi castra sua fixit, et missis devastatoribus, a muris civitatis et per XV miliaria in circuitu omnia, tam vineas quam campos sive villas, devastari fecit, cui in campo occurrerunt cives de Mediolano, et commissa pugna mediolanenses terga verterunt et versus civitatem fugerunt. Imperator nostros fortissime persequebatur, committens se hostibus, volens cum ipsis civitatem intrare. Cum autem appropinquasset porte civitatis et fere intrasset, in introitu porte quidam miles nobilissimus latus imperatoris perfodit, et reiterans ictum equum eius in pectore hasta transverberavit et interfecit, sicque fere captus fuit. Qui fugiens totus sanguine madidebatur, propter quod turbatus omnes incarceratos

de Mediolano, quos habuit, abscissis naribus et auribus, ad civitatem remisit mediolanensem.

Imperator tertia vice obsedit Mediolanum.

Imperator iterum undique congregavit exercitum, et venit in eius auxilium Victor papa apostaticus cum magno exercitu ex Sicilia et Thuscia; et precipiendo mandavit omnibus prelatis Ytalie, ut ad obsidionem civitatis mediolanensis congregarentur, quod et factum est. Tunc imperator posuit cc milites in Ripalta sicha, et alios cc in sancto Evastio iuxta Tritium, ut prohiberent ne victualia de Brixia vel Placentia ad civitatem Mediolani deportarentur. Illi de Seprio et illi de Marthesana die et nocte vigilabant, ne aliquis deferret ad civitatem victualia. Tunc illa turpis bestia Victor papa apostaticus contra civitatem mediolanensem duras sententias fulminavit, ut potuit. Et dicit Crotonius, quod imperator construxit quamdam civitatem in medio inter Cumas, Novariam et Mediolanum, que dicta fuit civitas........; unde per milites suos iussit custodiri passus ne victualia possent venire ad civitatem; et iuravit per coronam suam, quod nunquam cessaret, donec civitatem mediolanensem superaret, et in quatuor burgos divideret, et per ipsam salem seminari faceret.

Imperator iterum obsedit Mediolanum quarta vice.

Imperator, congregatis ad se xxxii civitatibus Ytalie, cum theutonicorum exercitu valido anno Domini MCLXI de mense madii civitatem mediolanensem usque ad muros in circuitu obsedit; et imperator cum imperatrice in brolio inter sanctum Nazarium et ecclesiam sancti

Stephani more solito se locavit. Federicus dux de Ruthinbourgh nepos imperatoris et eius vexillifer iuxta archum triumphalem, ubi nunc est hospitale sancti Lazari, exercitum suum posuit, et archum triumphalem optime communitum impugnare cepit. Tunc exiverunt mediolanenses, et commissa est in loco iuxta archum triumphalem prima pugna, et prostrati sunt mediolanenses et fugati usque ad fossatum civitatis, idest usque ad Sevisum iuxta ecclesiam sancti Victoris ad portam romanam; et capti sunt ccc, quos imperator misit Laude in carcerem. Tunc imperator longe a civitate pernoctavit, et post paucos dies iterum ad obsidionem rediit, et quicquid occurrebat, destruxit; et in suo reditu, secunda pugna commissa fuit ad portam cumanam, et imperator abiit omnia destruens. Et iterum tertio ad obsidionem rediit, et commissa est ibi alia pugna; nunc hos nunc illos consumebat gladiis. Iterum imperator abiit et rediit, et commissa est alia pugna ad portam vercellinam. Iterum abiit et rediit, et commissa est alia pugna ad portam ticinensem. Et duravit iste novus modus eundi et redeundi, et duraverunt iste pugne sex mensibus continuis.

Imperator procuravit quod victualia civitatis comburerentur.

Imperator videns quod nihil proficeret, et novem annis, ut dicit Vincentius in Speculo, civitatem mediolanensem bellis et obsidionibus fatigasset, cogitavit cum aliquibus proditoribus qui erant in civitate, quomodo posset granum, quod erat in civitate in plures annos congregatum, destruere; et data pecunia fecit poni ignem in domo Lafranchi Canis in porta cumana, ubi erant horrea bladi communitatis congregati, observato tempore opportuno, quando flare cepit unus magnus ventus. Tunc ille ignis combussit

totam portam cumanam usque ad muros, ubi nunc est ecclesia sancte Eufemie, et totam portam romanam usque ad fossatum, sive usque ad Sevisum, et partem porte ticinensis et magnam partem porte vercelline. Et propter hanc causam combusta sunt fere omnia victualia; et imperator facto tunc concursu ad muros civitatis, ferè obtinuit civitatem; sed comes Galvaneus miles fortissimus die et nocte vigilans, huc et illuc continue discurrens, civitatem et cives suo protegebat gladio.

Carestia mirabilis.

Fames autem hostis validus indomitos bellatores nostros, quos fere totus mundus annis novem superare non poterat, nunc absque gladio prosternere paullatim de die in diem cepit. Dicit enim cronica Bonacursi, quod vendebatur in civitate unus sextarius bladi duobus soldis nove monete, que erat ex argento purissimo et valebant xx soldi unum florenum auri. Item in sextario salis dabantur soldos xII ipsius grosse monete. Deinde ceperunt comedere equos, postea canes et gatos; et factus est tumultus magnus in populo, quia xII consules dicebant: bonum est quod demus terram imperatori. Quo audito, populus acclamavit: moriantur consules, moriantur consules; adhuc restant filii, quos nondum comedimus; comedamus filios, postea comedamus nos ipsos, antequam terra nostra tradatur hostibus, et mulieres nostre exponantur postribulis. Melius est mori gladio quam vivere opprobrio. Tunc comes Vivianus secundus dominus civitatis et consanguineus germanus comitis Galvanei, congregato universo populo (1), ait: Ego de proprio meo

(1) « Factum fuit unum generale consilium, in quo fuit ordinatum per comitem Galvagnium et Vivianum consanguineum suum et per Sabandeum Cottam iudicem credentiae et iustitiae Mediolani, et per alios iudices

horreo sum paratus cras ponere in verzario sive in foro DM modios bladi et plus; et tota nocte fecit impleri plusquam mille saccos de sabulo sive terra, et fecit portare ante diem in verzarium, ubi fuit antiquitus forum. Item quidquid potuit inveniri in civitate de ovis, gallinis, leguminibus, totum fuit ad forum deportatum. Facto mane speculator imperatoris, qui in altissima turre archus trihumphalis residebat, aspitiens vidit innumerabilem copiam sachorum et victualium, et exclamans ad imperatorem, qui erat ibi iuxta in brolio, ait: O domine, nos decepti sumus, et tota civitas est plena cibariis. Imperator credere noluit, donec ipsemet ascendisset turrim et omnia conspexisset. Tunc ait: ego turpiter sum deceptus, et quasi desperatus iussit obsidionem amoveri a civitate, et ivit Laude.

Quod proditores procurarunt quod civitas iterum obsideatur.

Tunc proditores qui erant in civitate, cum vidissent quod imperator de obsidione recessisset, et quod victualia ad civitatem de Brixia et Placentia et de comitatu indifferenter introducerentur, pre dolore mori voluerunt (1);

dominorum comitum Galvagnii et Viviani, et per dominum Iohannem de Maladata similiter iudicem credentiae, et per Aliprandum de Cazule, et hoc est quod ordinaverunt, scilicet quod fecerunt preconizari quod omnes qui haberent pullos, ova, animalia, bladum et victualia aliqua deberent portare in merchato, et etiam de omnibus quae possent comedi, ad hoc ut custodia imperatoris posset videre omnia quae portarentur in merchato, et quod omnes homines civitatis Mediolani deberent habere bonam spem et bonam franchitatem ad defendendam civitatem suam ab illo perfido imperatore et malo. Tunc dominus Ubertus de la Cruce, qui voluit esse probus et fidelis, dixit in consilio sapientum: vivat qui vult esse ad destruendum illum imperatorem, et qui vult esse suus amicus, moriatur, etc.» (*Chron. Dan. de Com. Angler.*).

(1) « Tunc isti traditores, qui ducebant tradimentum, fuerunt territi usque

et habito clandestino consilio, Ubertus de Pirovano archiepiscopus, et cum eo Andreas Scachabarotius, et Fulco de Landriano, et Simon de la Cruce, et Albertus de Gambaris, qui XII annis continuis insidiis et proditionibus institerant in destructionem domus comitum Anglerie, simulantes quod vellent ire Laude ad imperatorem pro pace et concordia fatienda, placuit comiti Galvaneo et populo. Qui cum pervenissent Laude, dixerunt imperatori in magna furia: quare recessistis de obsidione? Respondit imperator: quia multitudinem victuariorum vidi in foro. Tunc ait archiepiscopus: O domine, vos estis turpiter deceptus, quia illi mille sacchi, quos credidistis plenos grani, erant pleni sabulo. Iam comedebant canes et gatos. Domine, ergo acquiescite nostro consilio, et antequam victualia introducantur, obsidionem instaurate. Et dicit cronica Danielis, quod archiepiscopus promisit dari imperatori omni anno DC millia libras tertiolorum (1), si obtenta civitate et expulsis comitibus Anglerie, eum vellet facere dominum civitatis; et spopondit imperator.

Parentelle XXXI, *que consenserunt proditoribus.*

Nomine parentellarum de Mediolano, que fuerunt in isto tractatu cum archiepiscopo non in destructionem

ad mortem, scilicet dominus Ubertus de Pirovano archiepiscopus, Andreas Scacabarozius, Fulchus de Landriano et Henricus frater eius, Symon de la Cruce, Albertus et Galvagnius fratres de Gamberis omnes traditores. « Gullielmus de Pomo superstes huius ecclesiae hoc opus et multa alia fieri fecit; » hoc est scriptum super lavello sive monumento, ubi legitur et cantatur evangelium et epistola in ecclesia s. Ambrosii etc. » (*Chron. Dan. de Comit. Angler.*).

(1) « Dominus Ubertus fecit sibi promittere quod ipse (imperator) permitteret aptare suam terram, et promisit ei dare omni anno sex millia libras tertiolorum ipsi et cuilibet alio suo imperatori pro sua regalia etc. » (*Chron. Dan. de Com. Angl.*).

civitatis, sed in destructionem comitum Anglerie, et quod archiepiscopus dominaretur in temporalibus et spiritualibus, sunt hec: illi de Arziago, illi de Bisozero, illi de Besozo, illi de Casate, illi de Sexa, illi de Herba, illi de Bultraffis, illi de Olivis, illi de Prealonibus, illi de Tuonibus, illi de Rovello, illi de Biassono, illi de Figino, illi de la Solla, illi de Trivillio, illi de Calvenzano, illi de Guidis, illi de Castano, illi de Patrano, illi de Canillis, illi de Cortellis, illi de Limino, illi de Cistellis, illi de Castro Seprii, illi de Crassis, illi de Fraraoldis, illi de Villa, illi de Vigono, illi de Creppa, illi de Pachemesso, illi de Molteno. Iste xxxi cognationes miserunt archiepiscopum, et Symonem de la Cruce; et Albertum de Gambaris, et Andream de Scachabaroziis, et Fulchum de Landriano supradictos Laude ad imperatorem excommunicatum, hereticorum fautorem, scismaticum dampnatum, ut ipse dominium nostre civitatis haberet. Et causa principalis fuit ista, quia, ut habetur ex Cronica comitum Anglerie, omnes supradicte parentelle erant vassalli et servi adiurati comitum Anglerie, et cupiebant servitutis iugum de collo suo excutere.

Imperator obsedit civitatem quinta vice.

His auditis, confortatus imperator tum de paupertate victualium, tum de multitudine proditorum, remisit archiepiscopum Mediolanum multis dotatum muneribus, qui cum intrasset civitatem, commendavit imperatorem de clementia, et quod libenter volebat pacem habere cum mediolanensibus. Et ecce subito imperator invasit civitatem et obsedit, fossata in circuitu fodit, stondegardas (1),

(1) Specie di fortificazione o ridotto. Si trova più volte questo vocabolo anche nel *Manip. Flor.* dell' istesso Fiamma. V. Murat. *Rer. Ital. Script.* tom. XII, col. 1001, 1006.

spaltos erexit, et tam fortiter omnes passus preclusit, quod nulle persone viventi fuit licitum nec intrare nec exire. Et facta est fames in civitate, proditores multiplicabantur, et imperator misit in civitatem XII barones et prelatos, qui iurabant per animam suam quod civitatem imperator nollet destruere (1), ymo fortificare et conservare sicut oculos capitis sui. Tunc comes Galvaneus cum populo dederunt libertatem et arbitrium componendi inter ipsos et imperatorem Ose de Ossis et Alberto filio eius et Anselmo de Orto, ut facerent pacta pacis cum imperatore, dummodo iuraret quod non destrueret civitatem, et quod ipse nunquam intraret portas civitatis. Placuerunt pacta imperatori, et extraxit civitatem de banno, et amovit obsidionem et ivit Laude.

Carocerum mittitur Laude ad imperatorem.

Christi anno MCLXII firmata fuit pax inter imperatorem

(1) « Idem imperator stando in obsidione iuxta civitatem Mediolani, sexcenti homines de civitate Mediolani iverunt, secundum quod habuerant consilium, ad dominum imperatorem ad petendum ei gratiam et misericordiam, quod sibi placeret non destruere civitatem Mediolani; et isti sexcenti homines fuerunt centum de qualibet porta, et iverunt cum corrigiis ad collum ad dictum imperatorem, petendo sibi misericordiam. Quibus dictus imperator respondit, quod secure darent sibi terram, et promisit quod non veniret per portas civitatis; intendendo malitiose destruere civitatem et facere omne malum quod posset civitati et hominibus civitatis, et cogitavit malitiam, quamvis diceret: portas civitatis non intrabo; et tunc dictos sexcentos homines detinuit et duxit eos in civitatem, et fecit frangi murum civitatis iuxta ecclesiam s. Andree, ubi dicitur ad s. Andream ad murum ruptum, et per illum locum intravit et destruxit dictam civitatem; et de dictis sexcentis hominibus misit eos in Alamaniam, de quibus non fuerunt dicta aliqua nec bona nec mala nova, et alios trecentos fecit cathaneos et vavassores, quia fuerunt proditores civitatis Mediolani, et eis dedit multa, que non erant sua, sed erant obedientium s. romane ecclesie, et fecit destruere castrum de Rossino etc. » (*Chron. Daniel. suprad.*).

et Mediolanum, et tunc comes Galvaneus volens imperatoris animum placare, misit ei ad civitatem laudensem carrocerum et tubas communitatis, et omnia insignia regalia urbis, et centum milites, et centum de populo, quibus visis, gavisus fuit imperator ultra modum. Tunc misit illos c milites in obsides Papiam, et donavit carrocerum communitati papiensi, tubas sibi retinuit, et c populares domum remisit. Et turbati sunt mediolanenses ultra modum, quod carrocerum suum esset deductum Papiam, dicentes: papienses viri verbosi hoc in futuris temporibus statuent in triumphum. Et vere ita evenit. Imperator ivit Papiam, ubi fecit festum nativitatis Domini nostri Iesu Christi, et comedit coronatus, et imperatrix similiter, qui iamdudum iuraverat quod numquam coronam capiti suo imponeret, nisi prius de civitate Mediolani triumpharet.

De introitu imperatoris et imperatricis in civitatem.

Tunc facta est pax in civitate, victualia undique confluebant, cives choreas ducebant, porte civitatis sunt reserate, et imperator nihil dicebat nec curare videbatur. Tunc proditores videntes quod comes Galvaneus dominabatur ut prius, dixerunt inter se: quid faciemus? eamus Papiam et introducamus imperatorem ad civitatem. Quod cum factum fuisset, imperator respondit: ego non possum Mediolanum venire, quia iuravi quod numquam intrabo portas civitatis. Responderunt proditores: nos scimus quid sumus facturi, quia frangemus murum civitatis, et sic poteritis intrare et vestrum sacramentum non frangere. Placuit imperatori, et sic factum est. Redeuntes proditores ad civitatem cum magna audatia et cum magnis

verbis, fregerunt murum civitatis inter ecclesiam sancti Michaelis ad murum ruptum (1), et ecclesiam sancti Andree ad murum ruptum, unde a fractione muri sic nomen acceperunt. Tunc archiepiscopus cum universo clero et comes Galvaneus cum militia et populo exiverunt per fracturam muri cum cantibus et diversis instrumentis obviam imperatori. Imperator recepit ad osculum pacis archiepiscopum et comitem Galvaneum, et cum panno aureo quem portabant XII milites vestiti scarlato super caput imperatoris elevato, et alio panno similiter super caput imperatricis, intravit per fracturam muri in civitatem. Intravit etiam cum imperatore Victor papa apostaticus cum mirabili honore susceptus, et stetit in Mediolano cum imperatore per unum annum integrum et plus.

Imperator Federicus Barbarubea intravit Mediolanum per murum.

Christi anno MCLXII, eminente in sede apostolica papa Alexandro, vivente Uberto de Pirovano archiepiscopo, Federicus Barbarubea imperator excommunicatus depositus, hostis ecclesie publicus intravit Mediolanum die secundo februarii in festo Purificationis. Et cum iurasset non descendere de equo, sed per murum fractum intrare et per aliam portam civitatis exire, et pervenisset ad locum qui dicitur curia ducis, ubi erat curia communitatis,

(1) « In loco ubi nunc est cloaca, per quam aque civitatis colantur iuxta ecclesiam s. Michaelis ad murum ruptum, fuit in muro civitatis per manus populi mediolanensis et cum immenso gaudio omnium civium facta quedam magna fractura, per quam quasi per portam intravit pacifice et concorditer Federicus Barbarubea imperator, unde ille locus usque hodie dicitur ad murum ruptum » (*Chron. mai.*).

nobiles cives de Mediolano proditores (1) cupientes sue civitatis destructionem, ut dicit Cronica Danielis, fuit violenter de equo depositus, et in manibus omnium sublevatus in aere, fuit super palatium communitatis delatus; cui ait archiepiscopus: O domine imperator, vos facitis

(1) La Cronaca di Daniele enumera non pochi di tali traditori: « Ubertus, Andreas et Paganus de Roello, Biaxinus et Robinus filii dicti Andree, Ardighinus et Symon de Figino, Gazotus et Sponzinus filii eius, qui tunc fuerunt facti capitanei a dicto imperatore pro dicto tradimento, Albertus de la Tolla de Trivilio, et Carnevarius eius filius, qui debebant esse obedientes dictis comitibus, et etiam de decimis et primitiis de Trivilio dabant dictis comitibus, et tradiderunt eos, et pro dicto tradimento facti fuerunt vavassores a dicto imperatore. Item Simon de Bizozero, Henricus, Iacobus et Albertus filii eius, Canigna de Arzago, Lantelmus et Gullielmus fratres de Arzago, Albertus, Iacobus et Zaninus de Prealonis (isti de Bizozero, de Arzago et de Calvenzano facti fuerunt nobiles et cives a dicto imperatore pro dicto tradimento); Monus de Paravexino, Paganus et Ubertus et Guido filii eius, Casseta de Andreis de loco de Cervenzano. Isti fuerunt papienses, scilicet illi de Lomello, illi de Zaziis, illi de s. Nazario, illi de Preda, illi de Carreto; isti fuerunt mediolanenses, scilicet illi de Balbis de Hercho, Salaschonus de curia Modoetie, et Aliprandus et Gullielmus de Camerlenghis de curia Modoetie, et Andreas frater eius, Obizinus et Mozolus fratres de Casate comites de Paruco, Guastanus de Guastano frater eius, Buschan Oculo et Gasparrus frater eius de parrochia s. Marcellini, dominus Ayroldus Butaffus et Lantermus frater eius, Albertus Comolus et Fulchus frater eius, Petrus de Petris et Olivinus frater eius, Petrus Adobatus et Tironus fratres, Franzius et Gullielminus fratres filii q. domini Mirani Tuoni, Passaginus et Adimnacius filii q. domini Galvanei in servitio sancte romane ecclesie, et stabant et possidebant in loco Busti Garulfi, et dabant decimam dicto comiti, et per dictum tradimentum dictus imperator fecit eos cataneos, scilicet Galvagnius filius Petri de Cruce, Vercellius filius q. Lafranchi de Cruce, Laurentius filius q. Symonis de Cruce, Albregardus filius q. Guffredi Cortelli, Plonata filius q. Milli de Sessa, Polus filius q. Visandri de Sessa, Antonius filius Raynerii de Luyno, Maffeus filius q. Zuche de Luyno, Andreas filius q. Baroni de Citelis, Buba Grassus, Guffredus Grassus, Laurentius Grassus, omnes fratres et filii Henrici Grassi, Henricus Farroldus qui stabat ad Tutam, Zambellus frater eius, omnes fratres et filii Gullielmi Feroldi, Petrazius de Villa, Maffeus filius quondam Alberti de Besutio et Obizinus frater eius, Petrus de Besutio filius q. Alberti, Zuchus de Castro Seprio et fratres filii suprascripti Galvanei de Castro Seprio. Isti fuerunt traditores, qui ordinaverunt tractatum et ordinamenta, sed fuerunt mortui et destructi in personis et here etc. »

contra pacta, quia iurastis in civitate nullam moram contrahere. Respondit imperator: ego non sum in causa, quia violenter de equo detractus sum. Tunc assumpsit imperator dominium civitatis. Tunc instituit unum ducem in civitate, et quidam theutonicus, qui dictus est Alico, factus fuit vicarius super totam Ytaliam, qui post paucos dies obiit, et sepultus in sancto Ambrosio, ubi supra fuit sculptus in cupro deaurato, insuper habens aquilam auream positam sub puplito, ubi cantatur epistola.

Crux facta est per medium civitatis.

Crotonius dicit in Cronicis, quod imperator recordatus quod iurasset, si unquam civitatem mediolanensem intraret, quod ipsam in quatuor burgos divideret, et sale ipsam aspergeret, precepit quod per mediam civitatem fierent due latissime vie in modum crucis, et iussit vias sale aspergi, et illas quatuor partes iussit burgos appellari. Obsedit autem Mediolanum per annos VII, videlicet ab anno Domini MCLV usque ad annum MCLXII, qui fuit annus decimus imperii sui.

De statutis factis in odium populi.

Item imperator in odium populi et in favorem nobilium statuit, quod nullus posset esse de sex, nisi esset nobilis, et quod nullus posset esse ordinarius ecclesie maioris, nisi esset nobilis (1). Item statuit aliud statutum

(1) « Item predictus imperator fecit unam constitutionem, videlicet quod aliquis de populo Mediolani non deberet nec ausus esset portare aliquem cutellum ad latus, qui haberet pontam; et si aliquis popularis inveniretur cum predictis armis, vel cum ense, vel cum cutello, pro qualibet vice solveret pro quolibet istorum, scilicet cum cutello cum punta libras X

nequissimum in odium populi, videlicet quod si nobilis interficeret popularem, solveret VII libras tertiolorum et unum denarium; si popularis interficeret nobilem, quod absque audientia suspenderetur per gulam. Hec omnia habentur in Cronica comitum Anglerie (1). His auditis, populus ad arma cucurrit cum favore comitum Anglerie et archiepiscopi, et invaserunt palatium imperatoris, et interfecerunt multos de familia imperatoris. Ex hoc turbatus imperator archiepiscopum Ubertum misit in exilium in Beneventum, ubi mortuus fuit; eius palatium et argenteriam et equos expoliari precepit; insuper omnes comites Anglerie numero LXXXV misit in exilium aliquos Fontegium, et aliquos ad sanctum Petrum de la Sala; unus solus dictus comes Vivianus, consanguineus germanus comitis Galvanei, fugit ab oculis imperatoris et ivit Bononiam, qui postea scripsit Cronicam comitum Anglerie.

tertiol. et denar. IV tert., et pro ense similiter, et etiam lancea, vel etiam pro qualibet armatura, de qua non haberet licentiam a vicario dicti dom. imperatoris. Et predictis de populo dabatur terminus trium dierum ad solvendum dictam condemnationem; et si non poterant solvere propter paupertatem, quod quilibet amitteret pro qualibet vice unum membrum, videlicet unum pedem, manum, vel unum oculum, et infra tertiam diem deberent fecisse suam defensionem sub dicta pena » (*Chron. Daniel. de Com. Angler.*).

(1) Un esemplare della Cronaca spesso favolosa, ma non di rado pregevole per minute particolarità, dei conti d'Angera, scritta da Daniele, è di proprietà dell'Ill.^{mo} signor Conte Giulio Porro Lambertenghi, erudito cultore e raccoglitore di memorie e monumenti patrii, a cui io professo tante obbligazioni pe' suoi incoraggiamenti agli studii storici, e per cortesie d'ogni ragione, ed apparteneva un tempo alla Biblioteca del monastero di s. Ambrogio in Milano, da cui passò in più mani successivamente. Da quell'esemplare, ch'io ebbi a mia disposizione dalla squisita gentilezza del predetto signor Conte, io tolsi i frammenti che posi in nota a questa Cronaca. Ad essa va unita altresì una « Cronica de antiquitatibus et fastis civitatis Mediolani et totius sui comitatus et quamplurium civitatum ». Il Codice apografo fu scritto nel 1513 da un Gabriele Cusani, copiandolo, com'ei dice, da altro Codice vetustissimo. Altra Cronica dei conti d'Angera dice il Fiamma che fu scritta da Viviano fratello di Galvagno, fuggito a Bologna.

De statutis factis in odium comitum Anglerie.

Imperator timens potentiam comitum Anglerie, omnes subito capi fecit, et fuerunt interfecti ex eis LXIII, et XXII missi in Alamaniam, de quibus nunquam fuit auditus nuntius bonus nec malus; et precavens in futurum, statuit quod nullus nominaret aliquem comitum Anglerie, et quicumque nominaret, lingua usque ad radicem precideretur. Item privavit eos omni nobilitate; similiter omnes cathaneos, milites, campiones per illos ullo tempore factos; item fecit dirui salam comitis Galvanei cum trono marmoreo, que leunculis marmoribus sustentabatur. Item ludum schacorum, qui ex ebore grandes erant, donavit cathaneis de Sundrio, et tabulerium cathaneis de Locarni. Item fecit dirui sepulcrum comitum Anglerie, ubi erant tumulati VII reges de corona, et alii ex comitibus multi, et precepit quod eorum ossa spargerentur.

De Mediolano facto ultra mare.

Et dicit Cronica Martiniana nove correctionis, quod multi nobiles de Mediolano et mercatores et populares videntes se turpiter proditos, assumptis uxoribus et filiis et universa substantia, iverunt in Ungariam volentes ibi civitatem construere, que diceretur Mediolanum, sed rex Ungarie prohibuit. Tunc, transito mari mediterraneo, perrexerunt super mare maius, ubi est magna Sclavonia, et ibi construxerunt civitatem, quam Mediolanum nominaverunt. Item alii ex nostris civibus iverunt versus Siciliam, et ibi quamdam aliam civitatem (*condiderunt*). Et nota quod in istis duobus civitatibus est loquela mediolanensium integra et incorrupta, et mirabilem habent amorem ad civitatem mediolanensem.

De destructione turris ecclesie maioris.

Imperator, habens aliis imperii negotiis intendere, voluit recedere, sed illi de Seprio et de Marthesana, pluresque alie civitates, datis magnis pecuniis, instabant apud imperatorem quod civitas destrueretur, quod imperator facere nolebat; attamen precibus et pecuniis corruptus dedit sententiam, quod omnes turres et omnia campanilia destruerentur, excepto campanili sancti Michaelis ad murum ruptum, eo quod ibi in civitatem suum habuisset ingressum. Tunc destructum fuit campanile sancti Georgii in palatio, quod erat maximum, et plura alia hedifitia. Tunc quidam civis papiensis dictus Obizo [1], propria inductus malitia, ascendit super campanile sancte Marie Maioris, cuius altitudo fuit brachiorum CCXLV, in cuius summitate erat unus baculus pastoralis et mortarium cum pistino; et studuit hic maledictus Obizo in casu campanilis etiam ecclesiam destruere. Et fecit cadere hanc turrim in ala ecclesie, que erat in latere ecclesie, et illam alam destruxit, etiam testudines medias ecclesie conquassavit; et tunc ille Obizo portavit baculum pastoralem, pistonum et mortarium, et in triumphum ecclesie papiensis inseruit. Et tamen hec omnia papienses cum usuris regosoris restituerunt in suum magnum opprobrium; et quia civitas papiensis

(1) « Predictus imperator fecit destrui civitatem Mediolani toto suo posse, et primo portam Ticini, et primus qui incepit destruere fuit Rolandus Butigeus, et unus qui dicebatur Lafrancus Porta de Papia, et unus cui dicebatur Obizo, qui fecerunt iactare et destruere campanile ecclesie s. Marie Maioris; item Viola de Canevanova suus socius adiuvando de preda, Facius de s. Nazario papiensis. Et isti fuerunt traditores, qui intraverunt vigesima die mensis aprilis pro imperatore, et duxerunt eum una die Paschatis Pentecostes ad s. Iohannem de Modoetia ad coronandum eum; et isti fuerunt qui dederunt favorem et lumen omnibus aliis de malefaciendo etc. » (*Chron. Comit. Angler.*).

propter hoc fuit interdicta, post paucos annos restituerunt papienses XVIII m. libras illius grosse monete, que valebat quelibet libra florenum, sed quicquid sit factum de illa pecunia, incertum est; hoc certum est, quod turris non fuit rehedificata usque ad tempora Azi Vicecomitis (1).

De civitate facti sunt quatuor burgi.

Instantibus autem sepriensibus et marthesanis, quod omnino civitas destrueretur, precepit imperator quod quilibet posset de civitate exire et in burgis habitare, et per octo dies continuos posset unusquisque exportare aurum, argentum, lectisternia, vestes, et quod nullus ausus esset inferre aliquam molestiam cuicumque persone. Et tunc currebat MCLXII die XVII martii, et die XXV martii in festo Annuntiationis beate Virginis civitas tota fuit evacuata. Unde versus:

Exiit aprilis bis quatuor ante kalendas
De muris urbis plebs tristis Mediolanum.
Tunc fuerunt anni Domini centum quoque mille
Sexaginta duos simul addens conspice, lector.

(1) « Locus sive platea, que est ante atrium hyemalis ecclesie s. Marie Maioris mediolanensis, qui vel que dicitur arengus, locus comunitatis, in quo est multitudo lapidum quadratorum vivorum, fuit repletus terra, et predicti lapides omnes fuerunt dicta terra operti et subterrati. Qui quidem lapides fuerunt de muro campanilis dicte ecclesie, quod dicebatur campanile novum, constructum ab occidentali parte ecclesie et latere aquilonari, via media inter ipsam et canonicam decumanorum, quod quidem campanile destructum fuit per Federicum imperatorem, quando destructa fuit civitas mediolanensis, et eo tempore quo fuerunt operti, estimabantur dicti lapides valere libris quadringentis, et sunt dicte ecclesie, de quibus lapidibus fuerunt facte sedes post dictam destructionem, ut in eis sederent convenientes ad arengum (Puric. in *Monum. Ambros.*, n.° 441).

vel sic:

Mille centum datis armis sexaginta duobus
Vacua fit cive, Virgo salutatur ab ave.

Ordinata autem sunt agmina civium in quatuor partes, videlicet quod porta tycinensis staret in burgo suo versus monasterium sancti Vincentii, porta romana staret in burgo suo versus sanctum Celsum, porta orientalis et porta nova simul starent versus sanctum Dionisium; porta cumana staret in burgo suo versus sanctum Simplitianum; porta vercellina staret in burgo suo versus sanctum Victorem ad corpus. Nam imperator preceperat, quod burgi civitatis non destruerentur, nec aliqua molestia eis fieret, quia in burgis ipse habitaverat fere per VII annos, nec unquam aliquis burgus fuerat rebellis nec contrarius. Et sic steterunt per unum annum integrum, et quilibet expoliabat domos proprias tegulis, lignamentis, lapidibus, ut in burgis sibi facerent habitationes; et usque ad istam diem nullus fuit expoliatus nec vulneratus.

Quod civitas non fuit tota destructa.

Illi autem qui fuerant proditores, steterunt in civitate, unde usque hodie plures domus illius temporis sunt adhuc in pedibus, quarum una est in contrata Advocatorum, et alia est in contrata illorum de Murigiis. Voluit etiam imperator, quod turres et hedifitia monasterii maioris starent in pedibus propter reverentiam Ottonis primi, qui illud monasterium fundaverat, de cuius stirpe ipse descenderat. Voluit etiam quod omnes ecclesie starent in robore suo, et quod nulli clerico vel religioso fieret aliqua molestia, sed starent in civitate cum omni securitate.

Imperator fecit cathaneos et valvasores.

Usque ad ista tempora nec murus fuit diruptus, nec domus fuerunt deiecte, licet populus habitaret in burgis. Imperator stabat in civitate in palatio cum magno comitatu theutonicorum, et volens reddere proditoribus pro benefitiis, fecit ccc cathaneos et valvassores, dans eis in feudum terras et possessiones comitum Anglerie (1); et ordinavit quod omnes portarent in scutis aquilas imperiales, et solverent imperatori reddecimum omnium suorum introituum. Et super hoc facte sunt investiture per manus ducis, qui regebat civitatem, et per istum modum cives de Mediolano facti sunt tributarii imperatoris. Nomina parentellarum proditorum factorum nobilium habentur supra.

Imperator instituit pedagia et instituit sex comites in comitatu.

Item statuit imperator et posuit unum magnum pedagium super omnes aquas, videlicet quod quelibet rota molendini solveret omni anno octo solidos tertiolorum et denarios quatuor, et istud pedagium fuit emptum per datiarios x millibus librarum tertiolorum; et istud fuit primum pedagium, quod umquam fuit positum in Mediolano per Federicum scismaticum, hereticum dampnatum, nec fuit talis consuetudo de pedagiis introducta inferior iactura ipsa destructione civitatis, quia ista abiit,

(1) « Imperator reversus est ad obsidionem civitatis Mediolani, et fecit istos traditores cataneos et vavassores, et eis dedit in feudo decimam de terra propria Mediolani et comitatus, et dedit dom. Uberto de Pirovano archiepiscopo Mediolani in feudum totam decimam de terra ecclesiarum Mediolani, et omnia regalia et honores ecclesiarum in presentia eorum, et similiter fecit omnibus aliis de omnibus terris Lombardie » (*Chron. Daniel. de Comit. Angler.*).

illa semper de malo in malum proficit. Inter alia imperator in comitatu mediolanensi instituit sex comites theutonicos genere: in Marthesana comitem Aufortem, in Burgaria comitem Arisellam, in Leuco comitem Ambradinantem, in Bazana comitem Arnum, in Parazo comitem Henricum, in Seprio comitem Nicholaum (1). Item instituit comites quantum ad actum fatiendi notarios illos de Aliate et illos de Langusco. Tunc temporis magister Guitellinus melior arcithectus mundi pre timore imperatoris in quodam sepulcro se abscondit, quem inventum imperator cum serrea ferrea scindi iussit per medium a capite deorsum. Imperator toto illo anno in Mediolano stetit in palatio, quod erat in curia ducis, et toto illo anno nobiles Seprii et Marthesane cum cumanis et laudensibus, cremonensibus, papiensibus institerunt apud imperatorem, quod murus civitatis explanaretur, et fossatum de ruinis muri adimpleretur. Imperator satis invitus iuravit ante festum ramorum voluntati ipsorum condescendere.

Murus civitatis fuit destructus.

Christi anno MCLXIII, eminente in sede apostolica Alexandro tertio, sedente Uberto de Pirovano archiepiscopo, Federicus imperator in ecclesia sancti Ambroxii recipiebat olivas; cui ait unus ex proditoribus (2): o Domine,

(1) « Posuit unum comitem, qui dominabatur in civitate Mediolani, qui erat vicarius Mediolani, et cui vicario omnes isti sex respondebant, et qui vicarius nominabatur comes Alico, qui erat theutonicus, et obivit Mediolani et sepultus est vel fuit in ecclesia s. Ambrosii in uno lavello, quod erat vel fuerat dictorum comitum de Angleria, et illa corpora dictorum comitum seu regum extra dictum lavellum fuerunt posita, et nescitur, quid sit factum de eis; et quidam Gulielminus de Pomo transmutavit dictum lavellum et multa alia removit, et etiam sculpsit dictum comitem Alicum in eodem lavello, et super dictum lavellum cantabatur evangelium et epistola » (*Chron. Dan. de Comit. Angl.*).

(2) La Cronaca di Daniele riferisce che « primus traditor fuit filius

tu curasti ante festum ramorum dare sententiam de destructione civitatis. Respondit imperator: nondum date sunt omnes olive; unde factum est proverbium, quando aliquod infortunium expectatur, quod homines dicunt: nondum date sunt omnes olive. Tunc imperator precepit, quod murus civitatis explanaretur, et assignatis circumstantibus civitatibus certis portionibus muri ad destruendum, papienses destruxerunt portam ticinensem, novarienses portam vercellinam, cumani portam cumanam, cremonenses portam orientalem, laudenses portam romanam. Attamen burgi, ubi erant cives de Mediolano per turmas divisi cum famulis, intacti remanserunt. Unde dicit Cronica Martiniana: per Federicum primum muri

Botaffii de Vigarono, Platanellus filius Steffani de Vigano, Buffus filius Vegenoni de Viganono, Mondelus filius Uberti de Crepa, Petrazius filius Uberti de Herba, Iacobinus de Paravecino, Menaduxius de Molteno filius domini Facii, Symon filius domini Albegardi de Cruce Clivate, Ubertus de Rippa, Guiscardus Iacobi Vani, et hoc fuit tempore potestatum quatuor, qui fuerunt dom. Muzius de Sorexina, dom. Azo de Mandello, dom. Iacobus de Pusterla, dom. Gratius de Invorio. Item Petrus de Duno, qui morabatur in Ascona, filius Iohannis de Duno, Gulielmus de la Rocha filius Roche de la Rocha, dom. Petrus de Rastello, dom. Grassus de Muralto filius dom. Rodulfi, dom. Iacobus filius q. dom. Gullielmini de Orello, dom. Lucinus filius dom. Iacobi de Orello, dom. Filippus filius ser Beltrami de Magoria; isti sunt de plebe Locarni. Item Rampinus Syronus fuit ille, qui scripsit librum tradimenti de capitulo in capitulum, de die in diem, de anno in annum, secundum quod dom. Ubertus de Pirovano et alii traditores ordinabant, et dictus Rampinus fuit in dicto opere istius libri cum istis traditoribus per quindecim annos continuos etc. Item infrascripti septem proditores fuerunt de Cumis, qui dederunt passum dicto imperatori Federico Barbarubee, qui venit in destructionem sancte ecclesie romane, videlicet Rusca filius dom. Iohannis de Berinzona tenuit manum in isto tradimento..... dom. Galvagnius Lambertengus filius dom. Andree cum omnibus suis parentibus, dom. Mondrolus filius dom. Cabrii Lavizarii, dom. Zucha Advocatus filius dom. Princivali Advocati, dom. Iohannes de Lucino: omnes predicti dederunt passum suo posse civitatis Cumarum dicto imperatori contra voluntatem dom. episcopi de Cumis; dom. Oldradus de Sondrio, dom. Iacobus filius dom. Galvagnii de Sondrio, qui erant obedientes dictorum comitum etc.» (*Chron. Daniel.*).

civitatis mediolanensis altissimi funditus sunt subfossi; unde Cronica kalendaria dicit, quod imperator destruxit Mediolanum anno Domini MCLXIII, imperii sui anno VIII; et Cronica Bonacursi, quod in muro erant C turres, que omnes fuerunt destructe.

Fossatum civitatis fuit explanatum.

Deinde ordinavit imperator quod fossatum civitatis explanaretur; et tota Ytalia sudavit in eius explanatione, et isto anno scilicet in MCLXIII civitates Ytalie tribus vicibus redierunt turmatim cum bucinis et tubis cantantes et iubilantes ad delendam civitatem per talem modum quod nunquam posset rehedificari, nec appareret aliquod vestigium sive inditium muri civitatis.

Quatuor burgi fuerunt in distantia trium miliariorum.

Destructo muro civitatis et explanato fossato, ordinavit imperator quod omnes cives de Mediolano exirent de civitate et de burgis, et quod nullus posset habitare iuxta civitatem per tria miliaria, nec murum super terram erigere per unum brachium. Tunc porta romana ivit Noscam (1); porta ticinensis ivit Vigentinum, et iste due

(1) Meglio *Nosetam.* Intorno a questo villaggio, così narra altrove il Fiamma: « Beatus Simplicianus, congregatis omnibus suis episcopis suffraganeis, de ipsorum consensu ordinavit, quod omnes episcopi singuli singulis septimanis officium facerent et missam cantarent super altare beati Ambroxii, quia non videbatur iustum super corpus beati Ambroxii missam celebrare, nisi esset episcopali dignitate infulatus. Et tunc fuit ordinatum, quod iuxta Noxetam per tria miliaria ab urbe fieret ecclesia s. Georgii cum turri altissima et palatio nobili et magno, et ibi iacebat episcopus ebdomadarius; et audita campana maioris ecclesie, in media nocte surgebat et versus Mediolanum equitabat, ut matutinum inciperet in ecclexia

porte facerent unum burgum per se et unum populum. Porta nova ivit Lambrate, porta cumana ivit ad Carrariam, porta vercellina ivit ad Sirum ad vepram; et factus fuit vicarius imperatoris super istos quatuor burgos quidam episcopus leodiensis nomine Berrutius; et tunc potuit vere dici, quod civitas mediolanensis fuit destructa; et fuit ista destructio XXII in numero destructionum. Et merito ista civitas debuit destrui, quia erat plena hereticis; unde in legenda sancti Galdini habetur, quod populus mediolanensis erat arianus; secundo quia a principio contra istum imperatorem habuit bellum iniustum, ut dictum est; tertio quia ista civitas omnes civitates positas inter duas aquas, scilicet Tycinum et Abduam in burgos redegerat. Ideo iusto Dei iuditio in burgos redigi ipsa similiter debuit.

Imperator destruxit Brixiam, Placentiam et Bononiam.

Destructa civitate Mediolani, imperator destruxit muros civitatis brixiensis et fossatum explanavit, et VI millia libras veterum denariorum ab ipsis exegit, ut dicit Cronica Bonacursi. Similiter civitatis placentine muros deiecit, fossatum explanavit, et VI millia marchas argenti

s. Ambroxii, et nunquam campana cessabat pulsare, donec episcopus presens adesset; cuius consuetudinis molesta pulsatio adhuc durat. In processu temporis, quia nimis erat grave aliquos episcopos de insulis aut de Alemania huc advenire, ipsi episcopi suam redimentes vexationem simbologizantes, aliqua benefitia emerunt et ecclexie mediolanensi donaverunt, quibus aliqui clerici sustentati onera episcoporum supportaverunt » (*Chron. mai.*, cap. « de campana ecclesie maioris » ad ann. 391). Lo stesso attestano con lievi varianti la Cronaca *Flos florum*, il Puricelli (*Dissertat. Nazar.* cap. 55); il Ripamonti (*Hist. Eccl. Med.* decad. I, lib. VI), le cui testimonianze sono intieramente dal Sassi accettate (*Possessio ss. corp. Gerv. et Prot. mm. mediol. vindic.*, n.° 91).

ab eis exegit. Civitatem bononiensem evertit, totam Romandiolam optinuit, omnes civitates et castra humiliavit; attamen arcem Guarde iuxta Veronam numquam habere potuit.

Multa palatia facta sunt in comitatu Mediolani.

Imperator iussit quod in comitatu Mediolani fierent alique fortilitie, quia in Modoetia fuit factum unum palatium pulcherrimum pro imperatrice Augusta. Ad sanctum Columbanum fuit facta una civitas pro imperatore, que dicta fuit civitas imperialis. Castrum de Landriano fuit rehedificatum; iuxta Vigentinum fuit factum quoddam magnum palatium pro vicario imperatoris, qui regebat omnes quatuor burgos. Iuxta Noxetum fuit facta una maxima et fortissima turris pro gubernandis tributis imperialibus, que dicta fuit turris triumphalis. Et dicit Cronica Danielis, quod iussit ut civitas Belforth rehedificaretur, ubi comes totius Seprii resideret.

Questio inter imperatorem et regem francorum utrum Alexander esset verus papa.

Christi anno MCLXIII, eminente in apostolica sede Alexandro papa, vivente in exilio apud Beneventum Uberto de Pirovano Archiepiscopo Mediolani, Federicus imperator consilium convocavit apud Brionzonum Burgundie, et duxit secum Victorem apostaticum, et fuerunt cum eo duo reges, scilicet rex Boemie et rex Datie, quos nuper ex ducibus in reges coronaverat, et exercitus magnus valde. Ex altera parte fuit rex franchorum et rex Anglie, et discussa fuit questio de papatu, utrum Alexander esset verus papa vel Victor. Imperator stabat pro Victore, rex francorum pro Alexandro. Imperatore igitur contra regem franchorum impingente, et rege

franchorum recalcitrante, nichil aliud fuit determinatum. Imperator Mediolanum rediit et Victor apostaticus in Laude perrexit. Et dicit Cronica Bonacursi, quod ad tantam paupertatem devenit, quod vix secundum modum unius capellani haberet sufficienter ad vivendum; qui de Laudę exiens ivit Lucam, ubi suis malefitiis dans terminum in miserabili paupertate vitam finivit, postquam vixerat in antipapatu annis VIII et mensibus VIII. Mortuus autem fuit in MCLXVI.

De modis exigendi pecunias super mediolanensibus.

Imperator in Alamaniam ivit, et pervenit cum ipso Berruzius episcopus leodiensis vicarius civitatis mediolanensis. Qui loco suo instituit vicarium Petrum de Cimino, qui omnes modos extorquendi pecuniam adinvenit. Ipse enim statuit, quod nullus piscaretur hamo vel rete; item quod nullus mitteret seu extenderet laqueum ad aves vel bestias, nisi datis pecuniis. Item statuit, quod de omni re parva vel magna empta vel vendita solverentur pedagia valde magna; item de quocumque animali nuper nato vel puero masculo darentur tributa. Nec defuit Dei maledictio de celo, quia maxime nives de celo descenderunt, que exsiccaverunt omne semen in culturis. Imperator hunc Petrum de vicaria iussit deponi, et instituit suum vicarium quemdam Federicum Petro avariorem. Tunc in tantum invaluit theutonicorum tyrampnia, quod expoliatis bobus hominum et comestis, cogerentur homines loco boum arare, uxores in oculis virorum non erubuerunt opprimere.

Imperator rediit in Ytaliam
et in Laude posuit imperii sedem.

Christi anno MCLXIV papa Alexander, audito quod

imperator ivisset in Alamaniam, congregato exercitu gallicorum super naves ianuensium, deductus fuit Ianuam, inde ivit Romam et sedem apostolicam obtinuit, multas litteras consolatorias mediolanensibus desolatis et tribulatis misit, dicens quod potius volebat mori, quam cives de Mediolano derelinquere. Tunc rebellaverunt imperatori ad instantiam pape he civitates Lombardie, scilicet: Venetia, Padua, Mantua, Vicentia et tota Marchia trivixana. Quo audito, imperator per Tridentinum fatiens introitum, pervenit Veronam; et dicit Cronica Bonacursi, quod veronenses eum turpiter de territorio suo fugaverunt, et tandem pervenit Laude, ubi secundum Crotonium posuit sedem imperii, principali sede destructa, scilicet Mediolanum, et ibi convocavit concilium baronum et prelatorum, et ibi cepit conqueri de lombardis, qui ipsum videbantur velle derelinquere et Alexandro pape adherere; et narravit multa beneficia que fecerat lombardis, precipue quia ipsos de servitute mediolanensium liberaverat. Tunc lombardi responderunt, dicentes quod postquam civitas mediolanensis fuerat subiugata, quod nullum lombardum nisi torvo oculo aspexerat, nulli civitati vel persone gratiam vel privilegium concesserat, imo concessa privilegia revocaverat; insuper instituerat vicarios per totam Lombardiam, qui facerent omnia mala. Tunc ait imperator: ve ve plus dilexi meos quam me. Eodem anno imperator ad petitionem et instantiam ianuensium in civitati papiensi Barisonum iudicem Arboree coronavit in regem totius insule Sardinie, qui genuit filiam, que dicta fuit Domicella Sardinie, quam duxit in uxorem Benzius filius Federici ultimi, et factus est rex Sardinie et mortuus est sine prole. Hec Crotonius.

Corpora trium regum fuerunt exportata.

Christi anno MCLXV imperator de Laude exiens pervenit ad quatuor burgos civitatis Mediolani, ubi auditis queremoniis suorum vicariorum, compassus fuit eis, unde precepit quod omnes captivi relaxarentur, et instituit suum vicarium Rodulfum archiepiscopum coloniensem. Hic Rodulfus totis viribus cepit perquirere corpora trium magorum, que cum non invenirentur in ecclesia sancti Eustorgii, eo quod iamdudum fuissent absconsa sub terra sub campanili sancti Georgii in parazo, revelante quadam vetula, reperta sunt, et in Coloniam exportata per archiepiscopum coloniensem, qui cum recederet cum istis tribus regibus, dimisit in Mediolano loco sui suum vicarium Marchval de Cubab. Unde dicit Crotonius in Cronicis, quod quidam imperator constantinopolitanus corpora trium regum olim de Perside in Constantinopolim transtulit, et quod beatus Eustorgius a quodam principe, cui militando servierat, corpora trium regum impetravit simul cum archa marmorea, quam miraculose duobus vaccis deduxit. Cum autem unus leo et unus ursus vacchas comedissent, leone et urso trahentibus, usque Mediolanum perduxit, ubi in ipsorum honorem ecclesia fabricata fuit. Deinde Rodulfus archiepiscopus archiepiscopum de Mediolano in Coloniam detulit, et in tumba marmorea honorifice collocavit, quam multis lapidibus pretiosis adornavit. Sunt statura impares, quia unus est maior, alter minor, tertius adhuc minor, in cuius capite est aliquid de capillis. Hec Crotonius in Cronicis (1).

(1) « Anno Domini MCLXV, die XXVII mensis augusti imperator Federicus Barbarubea fecit fieri custodiam unam super arcum romanum, qui respitiebat in verzario et in merchato Mediolani et per totam civitatem. Isti sunt qui dederunt totum documentum, quod poterant, dicto imperatori ad

Aliqui dixerunt quod tres viri de Mediolano cognoverunt locum, ubi erant absconsa corpora trium regum, quorum unus metu tormentorum archiepiscopo revelavit, cum digito fatiens signum; unde tam ipse quam omnes qui de ipso nati sunt, quandò audiebant evangelium sancti Iohannis, quod dicitur post missam, semper cum digito fatiebant signum versus terram, in quocumque loco fuissent, et anno Domini MCCCXI unus ex illis visus fuit tale signum facere in ecclesia sancte Tegle. Cum archiepiscopus corpora abstulisset, invenit prophetias, quod per eamdem viam illa corpora erant redditura Mediolanum; bene portam Reni, per quam portata fuerunt in Alamaniam, claudi iussit, nec in perpetuum aperiretur. Eodem anno Pisani totam riperiam ianuensium devastaverunt, civitatem Albiganensem obtinuerunt et destruxerunt.

Ubertus archiepiscopus moritur in Benevento.

Eodem anno Ubertus de Pirovano archiepiscopus in exilio mortuus est in Benevento, et dicit Cronica comitum Anglerie, quod in hora mortis penitentia ductus, quod fuisset proditor comitum Anglerie, et quod fuisset causa destructionis civitatis mediolanensis, statuit quod ipso mortuo, preciderentur sibi lingua et manus et pedes,

faciendum fieri dictam custodiam, et totum id quod fiebat in civitate Mediolani, notificabant; scilicet Albertus et Galvagnius de Gamberis, Symon de Cruce, Andreas Scacabarocius, Fulchus et Henricus fratres de Landriano et socii dictorum, qui erant de provisione et de consilio populi Mediolani. In omnibus consiliis semper erat dictus dom. Ubertus de Pirovano archiepiscopus Mediolani, et semper primus traditor erat contra comitem Galvagnium et comitem Vivianum consanguineum eius germanum de Inglesio, et ipsi habebant plus fidutiam de archiepiscopo quam de aliis » (*Chron. Daniel.*) Questo racconto è da riferirsi all'epoca che precedette la carestia e la resa di Milano, avendo qui la cronaca commesso un anacronismo, difetto in cui sovente cade al pari delle altre cronache.

quod et factum fuit (1). Quedam cronice dicunt, quod mortuus est in exilio pro fide Christi, si dictis credatur. Et vacavit sedes anno uno. Isto tempore Marchualdus de Cubab vicarius imperatoris super populum de Mediolano ceteris vicariis crudelior composuit librum Tristium, in quo posuit omnes modos extorquendi pecunias, cuius offitiales super pedagia instituti fuerunt quatuor, scilicet Iordanus de Scachabaroziis, Anselmus de Orto, Aliprandus de Iudicibus et Henricus de Herbisiis. Tunc fuerunt exportata in Alamaniam corpora sanctorum Naboris et Felicis.

Beatus Galdinus cardinalis fit archiepiscopus mediolanensis.

Christi anno MCLXVI, eminente in sede apostolica Alexandro papa, imperante Federico Barbarubea, beatus Galdinus ex nobilibus valvasoribus de la Sala, tituli sancte Sabine episcopus cardinalis, factus fuit per papam Alexandrum archiepiscopus Mediolani, et super totam Ytaliam contra Federicum Barbamrubeam legatus generalis. Et dicit cronica Leonis, quod ipse fuerat ecclesie mediolanensis archidiaconus. Eodem anno Victor apostaticus suis malefitiis dans terminum, miserabilem vitam finivit existens in Luca. Tunc illi cardinales maledicti et excommunicati, qui cum ipso erant, elegerunt unum ex suis

(1) Tunc dom. Ubertus de Pirovano.... fuit derobatus, sicut fuerunt alii et ecclesie et hospitalia...... et quando hoc vidit, et vidit etiam ducere trecentos viros de melioribus populi Mediolani et viginti duos comites de Inglesia, qui erant vassalli et obedientes dicte ecclesie romane et s. Petri apostoli, qui postmodum inceperunt clamare: moriatur traditor, qui nos duxit ad talem portum, tunc dictus archiepiscopus fuit mestus et se desperavit, et dixit: ego non valeo amplius, quia feci destruere terram meam; et iudicavit se ad faciendum sibi incidere pedes et linguam, et postea vixit per menses duos et menses sex, et postea moritur » (*Chron. Daniel.*).

cardinalibus quemdam, qui dictus est Guido Crimoniensis sive Cremensis, quem consecratum nominaverunt papam Paschalem, qui sedit annis tribus, mensibus quatuor et diebus XXIV, qui factus antipapa statim ivit Viterbum, volens ire Romam, sed non fuit ausus, quia ibi erat papa Alexander. Tunc imperator in malitiis suis induratus, ipsum Romam conduxit, et Alexandrum verum papam inde fugare voluit; sed papa, collecto exercitu contra imperatorem, fortiter dimicavit, multis vicibus pugne commisse sunt. Imperator videns se superatum, igne combussit ecclesiam beate Virginis et ecclesiam beati Petri, et sic Alexandrum papam de Roma fugavit, et Paschalem apostaticum in papali sede collocavit; et ideo iusto Dei iudicio omnes theutonici disinterie morbo percussi illa estate in Roma perierunt. Videns imperator se derelictum, in Lombardiam rediit, et in Laude pervenit. Eodem tempore scilicet in MCLXVI iannenses invaserunt insulam Sardinie, Sicilie, quibus iudex de Kalari factus fuit tributarius, similiter et Barissonus rex Sardinie.

Quidam cremonensis laboravit per rehedificatione Mediolani.

Imperator in omnibus suis consiliis et factis super omnes ytalicos habuit quemdam nobilem militem de Cremona, qui dictus fuit sapiens propter suam magnam sapientiam. Tunc imperator cum solis teuthonicis habuit concilium, in quo determinatum fuit secundum Crotonium in cronicis, quod omnes civitates Lombardie redigerentur in burgos, et quod muri et turres destruerentur. Ille cremonensis dictus sapiens miratus quod concilio non interfuerat, tam perscrutatus est quod cognovit imperatoris consilium; quo audito, aliquibus diebus

dissimulavit, deinde se infirmum esse finxit, et factus esset freneticus divulgari fecit. Tunc assumpsit unam canam perforatam, et discurrens per civitates Lombardie omnibus sapientibus et prelatis indicavit consilium imperatoris, et ordinavit quod uno die omnes vicarii per imperatorem positi per civitates et castra trucidarentur, et tali die omnes maiores Lombardie in Cremona ad concilium congregarentur; quod cum factum fuisset, narravit totum consilium imperatoris, et ait: quando civitas mediolanensis destructa fuit, totius Ytalie corona corruit; ex illo die imperator lombardos sicut canes reputavit; eamus ergo omnes et civitatem mediolanensem primo rehedificemus. Et ita fuit ordinatum et firmatum.

Mediolanenses redierunt in Mediolanum.

His cognitis, videlicet quod ordinatum fuerat, quod civitas Mediolani deberet rehedificari (1), imperator in furiam conversus misit ad Nicholaum comitem civitatis Belforth, quod congregato exercitu Sepriensium et Marthesanensium, quatuor burgos, ubi habitabat populus Mediolani, deberet igne succendere, et omnes homines gladio trucidare. Sed non fuit secundum eius malam voluntatem factum, imo homines de Mediolano, assumptis armis, vicarium imperatoris interfecerunt, et quasi leones desperati non volentes ulterius Theutonicorum iuga portare, omnes Theutonicos interfecerunt, et ad suam

(1) « MCLXVII die septimo exeunte mense aprilis, post destructionem civitatis Mediolani per Federicum Barbamrubeam, in Mediolano intraverunt Mediolanenses et ratificaverunt civitatem Mediolani; omnes autem consentientes ipsi destructioni fuerunt excomunicati per annos duodecim; et post destructionem dicte civitatis quidam dom. Galdinus factus fuit archiepiscopus Mediolani, et ipse impetravit absolutionem dicte civitatis ab ecclesia romana, et etiam factus fuit legatus » (*Chron. Comit. Angler.*).

civitatem redierunt anno Domini MCLXVII, die V maii, unde versus:

Bis quinquaginta duos cum septem bisque triginta,
Cum mille prostratum Mediolanum gaudendo levatum.

Gothofredus de Bussero concordat, dicens quod fuit rehedificata civitas mediolanensis in MCLXVII, die sexto ante kalendas madii in festo ss. Victoris et Corone. Chronica kalendaria dicit, quod fuit rehedificata in MCLXVIII, in die ss. Vitalis et Valerie; Cronica Iacobi de Voragine dicit, quod fuit rehedificata in MCLXXVI. De rehedificatione civitatis mediolanensis habentur hi versus:

Anni milleni septem deciesque ducenti
Cum tribus exemptis currebat sub Iove Martis;
Tunc lux intrantis radiabat binaque mensis,
Cum fuit hoc ceptum.

Fossatum fit in circuitu burgorum.

Christi anno MCLXVII, eminente in sede apostolica Alexandro tertio, imperante Federico Barbarubea, sedente Mediolani beato Galdino archiepiscopo, cives de Mediolano die V madii, subascendente astro leonis, vaca et tauro sub aratro iunctis, ceperunt fodere fossatum circumcingens omnes burgos, ne ibi ulterius aliquis hostis habitare posset; et quia si fossatum debuisset esse rotundum, ecclesia sancti Nazarii destruebatur, ideo ibi factus fuit archus, qui postea inter portam romanam et monasterium sancti Apolinaris facto quodam angulo ad metam rotunditatis fuit fossatum reductum, cuius latitudo, sicut dicit Cronica Bonvesini, habet brachia XXX; et dicit Cronica Crotonii, quod in rehedificatione civitatis primi

fuerunt cremonenses, et quod fossatum cum muro exteriori lombardorum comuni auxilio instaurata sunt. Omnes sex comites positos in comitatu Mediolani per imperatorem trucidaverunt, civitatem, quam imperator fundaverat inter Mediolanum, Novariam et Cumas, funditus everterunt. Nomina autem civitatum, que fuerunt in auxilio Mediolanensium, sunt hec: Cremona, Brixia, Pergamum, Mantua, Cume, Novaria et Vercelle. Tunc cives de Mediolano dispersi per Lombardiam omnes redierunt, exceptis his qui habitaverunt Apuliam et Magnam Sclavoniam, de quibus supra dictum est. Quedam cronice dicunt, quod clerus de Mediolano fecit murum exteriorem, cuius circuitus est MXLI cubitorum, secundum Bonvesinum. Eodem anno Balduinus comes Flandrie et rex Ierusalem melior princeps mundi moritur anno regni sui XVII, et regnavit Aymericus frater eius pro eo, qui ipso anno Saladinum imperatorem Saracenorum obsedit in civitate Alexandrie. Tandem Saladinus imperator Saracenorum tradit civitatem Alexandriam Aymerico christiano regi Ierusalem tali pacto, quod salvus inde posset exire cum sua gente. Tunc rex Aymericus Alexandriam obtinuit, cui imperator Federicus Barbarubea et Ludovicus rex Franchorum et Henricus rex Anglie miserunt maximum succursum in galeis, que applicuerunt in Ancon anno Domini MCLXIX. Hec Crotonius.

Emanuel imperator constantinopolitanus dedit auxilium.

Et quod fuit signum magne nobilitatis istius civitatis, hoc extitit, quod non solum omnes civitates Lombardie, excepta Papia, ad rehedificandum civitatem mediolanensem auxilium prestiterit, imo Alexander papa et

Emanuel imperator constantinopolitanus ad hoc ipsum quamplurimum laboraverunt; unde cives de Mediolano miserunt ambaxiatores in Constantinopolim, ut succurreret in expensis, qui dedit magnos thesauros et promisit dare maiores, si iterum fuisset requisitus. Quo audito, imperatrix nomine Leobisse, genere theutonica, filia ducis Baverie, quamplurimum doluit, eo quod hec credebat in confusionem et detrimentum Federici imperatoris consobrini sui; unde sicut mulier versipellis et mendax ambaxiatores de Mediolano in suo recessu secreto advocavit, et dixit: si vultis imperatori viro meo quamplurimum placere, ei in porta civitatis faciatis sculpiri imaginem in marmore tenentem crucem super crura (1), quia tale imaginis schema imperatoris constantinopolitani apropriari consuevit. Et hoc mendaciter hec Eve filia confixit, quia totum erat contrarium, quia talis imago erat quoddam opprobrium. Ambaxiatores redierunt Mediolanum, et super portam romanam imperatori imaginem, secundum quod imperatrix dictaverat, sculpiri fecerunt (2). In processu temporis iterum ambaxiatores

(1) « Anno 1172 cives de Mediolano iterum Constantinopolim ad Emanuelem imperatorem nuncios suos miserunt, narrantes quod portas civitatis et turres constrexerant, addentes quod ad eius memoriam perpetuam imaginem lapideam tenentem crura in modum crucis fabricaverant. Quo audito, credens quod despective factum fuisset, turpiter eos expulit » (*Chron. mediol.* detta il *Valisone*).

(2) Il Giulini pensa che l'immagine scolpita sulla porta romana dai Milanesi fu fatta in dispregio di Federico Barbarossa, cui essa rappresentava seduto colle gambe incrocicchiate con un orribile mostro, e non dell'imperator d'Oriente; così dicasi dell'altra obbrobriosa immagine posta sulla porta Tosa, che dee riferirsi piuttosto alla moglie del Barbarossa. La prima, che vedesi delineata dallo stesso Giulini nelle sue *Memorie*, vol. III, ediz. 1855, si conserva ancora incastrata nella fronte d'una casa presso il ponte di Porta Romana, e nel Museo Archeologico di Milano si ha anche l'altra, che credesi rappresentare l'imperatrice germanica, come attesta anche il nostro Fiamma. Questa imagine fu scolpita nella parte posteriore

missi sunt Constantinopolim, a quibus imperatrix didicit utrum imago imperatoris facta fuisset, qui dixerunt quod sic. Tunc imperatrix intravit ad virum suum, et cum magna indignatione narravit, quod cives de Mediolano opprobriosam imaginem construxissent; quo audito, imperator ambaxiatores abiecit et eos videre noluit (1). Qui intelligentes imperatricis malitiam, super portam civitatis in eius opprobrium construxerunt alteram imaginem similem.

d'un cippo romano incorniciato, ma guasto lungo il margine a destra, sul quale leggesi la seguente iscrizione:

P · TVTILIVS · P · F · OVF ·
VETERANVS · SIGN*ifer*
AQVILIFER · LEG*ionis*...
CVRATOR . VET*eranorum*
ACCEPIT · AB IMPE*ratore*
PRAEMIA · DVP*licia*
NATVS · EST · A*ulo* HIRTIO · *Caio*
VIBIO · PANSA · COS · DE*cessit*
C · FVFIO · GEMINO · L · RV*bellio*
GEMINO · COS · SIBI *et*
P · ATECINGI · F · *et*
DEMINCAE · *et*
ANDOBLATONI · P · F · *et*
GNATAE · P · F ·
T · F · I · .

(1) Altrove nell'istessa Cronaca dice il Fiamma: « cum eius uxor multiplicia impedimenta apposuisset in tantum, quod imperator pro reedificatione muri interioris promissa munera denegasset, cives de Mediolano illius imperatricis imaginem despicabilem construxerunt. » Da una indecente favola narrata da molti cronisti milanesi intorno alla statua di quell'imperatrice pretendono essi che sia derivato il nome di *Tosa* alla porta che anche anticamente era fra la romana e l'orientale, mentre è certo che prima del Barbarossa aveva già quella denominazione, poichè ne è memoria in una carta scritta il giorno 1° di gennaio dell'anno 1145: *actum in burgo de porta tusa de civitate Mediolani.* Essa era una delle minori porte della città chiamate *pusterle*, quantunque ritenesse il nome di porta, come la Giovia, e non fosse munita delle torri che ornavano le porte principali, e forse appunto perciò venne così chiamata.

De imagine posita super portam romanam.

In processu temporis imperator Federicus in mari cepit imperatorem Emanuelem supradictum, et vinctum misit in Alamaniam. Quo audito, cives de Mediolano, congregato militum exercitu, in quodam passu inter montes Montisferrati theutonicos invaserunt, et percutientes omnes interfecerunt, et liberantes imperatorem Emanuelem, ipsum Mediolanum cum mirabili gloria introduxerunt per portam romanam, qui videns suam imaginem erubuit, et clamide oculos cooperuit; et postea dixit: si imaginem nobilem michi fecissetis, totam civitatem muris altissimis fieri ordinaveram. At illi se excusaverunt super eius uxorem, et ex tunc habuit excusatos. Deinde de Mediolano ivit Ianuam, et postea navigio perrexit in Constantinopolim. Cronica Pauli de la Sala dicit, quod imperator fecerat dirui imaginem quamdam, que tenebat crucem super crura, de una ecclesia que erat in Constantinopolim, eo quod ei nimis fuerat odiosa, et propter quod imperatrix hinc sumpsit suarum dolositatum exordium nocendi Mediolanensibus.

Nomina consulum comunitatis et consulum iustitie.

Cum autem civitas cepit rehedificari, facti sunt decem consules, quorum maior et iurisperitus dictus est Lysa de Lampugniano; aliorum novem nomina sunt hec: Anselmus de Mandello, Niger de Grassis, Madragus de Soresina, Albertus Cagatosicus, Iacobus Maynerius, Albertus de Carate, Rogerius de Concorizio, Guliermus de Osis, Abiaticus Marcellinus. Consules iustitie fuerunt numero sex, quorum nomina sunt hec: Manfredus Vicecomes, Ardicus Cassina, Tosabos Bossus, Brochus de

Iudicibus, Ugo de Marliano, Crotus de Gorgonzola. Hec ex registro de Panigairoris.

Statuta facta contra imperatoris statuta.

Hi consules fecerunt multa statuta. Primum statutum fuit, quod quicumque nominaret imperatorem Federicum, quod sibi abscinderetur lingua usque ad radicem gutturis. Item quod omnia facta per ipsum Federicum excommunicatum, scismaticum, hereticum, depositum, essent irrita et nullius ponderis, sive in fatiendo cathaneos vel concedendo feuda. Item quod de cetero nullus homo, nulla parentela posset habere vassallum nec dicere se unquam habuisse, Vicecomitum parentela dumtaxat excepta. Item quod ad communitatem Mediolani redirent omnes de Seprio et de Marthesana, de Burgaria, de Angleria, de Leuco, de insula Fulcheria, et omnes qui habitabant in vallibus, et solverent coltas et omnia gravamina sicut fatiunt cives; et quicumque reclamaverit, in ipsum seviat sine mora gladius, ignis et hostis. Item quia aliqui usurarii domi vacaverant otio inhyantes lucris, et alii fecerant multas expensas in equis, bellis et carceribus, statutum fuit quod omnes usurarii restituerent libros, et quod nullus eis solveret de aliquo debito. Item statuerunt supradicti decem consules, quod in ecclesia decumana non posset esse aliquis benefitialis, nisi de populo. Item quod ossa regum et comitum Anglerie, que dispersa erant, recolligerentur, et in tumulo suo reponerentur.

Laude novum superatur
et prestat fidelitatis sacramentum.

Christi anno MCLXVIII beatus Galdinus fecit rehedificari palatium archiepiscopatus a fundamentis, et in quantum

legatus civitatem papiensem subposuit ecclesiastico interdicto, donec satisfacerent de turri ecclesie maioris, quam papienses deiecerant, quod ipsi fecerunt, ut supra dictum est. Item coegit laudenses, quod reciperent in episcopum quemdam Alexandrum prepositum Ripe alte sicce, quem papa Alexander eis dederat. Item cives de Mediolano miserunt laudensibus, quod erant servi fugitivi, et quod deberent redire et obedire communitati Mediolani, cui prestiterant fidelitatis sacramentum per annos LX ante et plus. Ipsi responderunt, quod istud Laude novum numquam fuerat sub Mediolano, quod imperator construxerat a quinque annis citra. Et dicit Cronica Bonacursi, quod tunc Mediolanenses obsiderunt Laude et violenter superaverunt, et coegerunt prestare fidelitatis iuramentum, quale servi suis dominis prestare consueverunt, et super eos mirabilem servitutem induxerunt. Ex hoc manifeste concluditur, quod Laude novum non est eadem civitas omnino cum Laude veteri, et per consequens beatus Bassianus non fuit ibi episcopus, nec fuit ibi privilegium crismatis et lepre, sed omnia ista sunt in Laude veteri; unde actor istos versus composuit:

Laude carens laude te privat gloria, laude,
Vetus istud Laude gaudet in gloria, laude;
Crismatis et lepre Bassiani tyara petre, idest Christi
Crux clavis petre ibi non in prerupa (*sic*) petre.

Imperator rediit in Ytaliam et despicitur ab omnibus.

Superata itaque civitate laudensi nova, cives de Mediolano castrum de Trizio, quod erat imperatoris, obsiderunt; quo audito, imperator qui erat in Alamania, secundum Crotonium, solicitavit barones et prelatos

Alamanie, ut ipsum in Ytaliam sequerentur; quibus respondentibus quod personas et equos et divitias expendissent circa obsidionem de Mediolano, imperator promisit dividere inter eos omnes civitates et castra Ligurie (1). Et sic de Alamania venit Bononiam, qui audiens quod castrum de Trizio non posset se defendere, de Bononia equitavit in tribus diebus usque Trizium, et invenit quod castrum iam erat captum, et doluit nimis. Tunc convocavit omnes barones et prelatos Ytalie, ut sibi darent auxilium pro recuperanda civitate laudensi nova, cuius verba habita sunt derisui. Videns imperator se ab omnibus derelictum, secundum Sicardum in Alamaniam in habitu privato fugit, et ibi moram pluribus annis contraxit, et predictum militem nobilissimum parentele de Villanis secum duxit captivatum iniuste.

Alexandria construitur.

Eodem anno secundum Iacobum de Voragine, scilicet in MCLXX, Alexandria in territorio ecclesie, quod sibi tradiderat Marchio de Boscho, ut supra dictum est, misit Mediolanensibus quod ibi construerent unam civitatem, que refrenaret marchiones Montisferrati et Salutiarum, qui contra ecclesiam semper pugnaverant. Tunc secundum Crotonium mediolanenses, congregatis amicis suis, civitatem construxerunt, quam ex nomine pape Alexandri Alexandriam nominaverunt, cum fossato alto et

(1) « Anno Domini MCLXVIII de mense martii imperator Federicus fecit suspendi Zilium de Brando obsidem Brixie apud Sausiam dolore, quia Mediolanenses, Brixienses, Laudenses, Novarienses et Vercellenses obsidebant Biandrate, et inde abiit in Alamaniam. Eodem mense placentini, parmenses et Opizo Malaspina introduxerunt terdonenses in suam civitatem, et seprienses iuraverunt stare mandatis domini Galdini archiepiscopi et consulum Mediolani » (*Chron. Daniel*).

profundo. Et fuit civitas constructa quadrata in modum tabulerii, secundum quod predixerat Marchio de Bosco, ubi facti ludi ad zarrum in malum marchionum Montisferrati et aliorum marchionum circumstantium. Tunc papa Alexander illam terram ex congerie rusticorum fugitivorum conglobatam voluit esse civitatem, unde dedit eis unum episcopum. Cives de Alexandria contra episcopum imposito ei titulo proditionis episcopum interfececerunt, et cor eius comederunt in verziis, propter quod ecclesia eos episcopatu privavit. Quedam cronice dicunt, quod civitas ista dicta Alexandria fuit constructa primo in MCLXXII.

Blandrate destruitur et in quatuor burgos dividitur.

Mediolanenses post hedificatam civitatem alexandrinam, domum redierunt; recordati quod comes de Blandrate in obsidendo Mediolanum et destruendo fuerat sollicitus, illam civitatem de Blandrate invaserunt, destruxerunt, et in quatuor burgos diviserunt, dicentes: sicut fecisti nobis, et nos faciemus tibi, unde illa civitas usque hodie iacet destructa. Item mediolanenses cives de Tretona in novam civitatem in monte collocaverunt in odium papiensium, que fuerat prius in sancto Precipiano in ripa Scrivie, ut supra dictum est, cremonenses sibi timentes de imperatore, quia mediolanenses erant amici eius facti, de novo civitati murum cinxerunt.

Henricus filius Federici fit rex Romanorum.

Christi anno MCLXIX imperator Federicus iterum in Ytalia omnino venire proposuit, iterum civitatem mediolanensem destructurus. Unde procuravit cum electoribus

Alamanie, ut Henricus filius eius primogenitus eligeretur in imperatorem; quo facto, misit ambaxiatores pro confirmatione filii sui in regem romanorum ad papam Paschalem apostaticum, quem invenerunt mortuum. Et cardinales maledicti et excommunicati elegerunt unum ex ipsis, qui dictus est Iohannis Struensis cardinalis, quem consecratum vocaverunt Calistum tertium, et sedit annis tribus, mensibus quatuor, quem papa Alexander statim excommunicavit. Hic maledictus Calistus confirmavit in regem romanorum Henricum supradictum, ut potuit, imo ipso facto ipsum Henricum excommunicatum reddidit et omni iure imperii privavit.

Ecclesia Sancte Marie maioris rehedificatur.

Christi anno MCLXX illi de Seprio iuraverunt fidelitatem beato Galdino archiepiscopo mediolanensi et consulibus civitatis die XX augusti. Eodem anno beatus Dominicus primus fundator ordinis fratrum predicatorum natus fuit in provintia Yspanie. Eodem tempore nobiles domine de Mediolano considerantes quod beata Virgo mulierum gloria eas in suam reduxisset civitatem, vendiderunt anulos, corrigias et cetera ornamenta, et fecerunt rehedificari ecclesiam beate Virginis, que in parte corruerat et deturpata fuerat, et ornaverunt multis muneribus; unde versus:

Muneribus datis, collectis undique turbis,
Emicat aula Dei genitricis ianua celi,
Principii fautor, cuius prior estat et auctor;
Dignus honore quidem Lafrancus presbiter idem.

De consulibus et canevario et primis mercatoribus de Mediolano, qui transiverunt montes.

Christi anno MCLXXII, eminente in sede apostolica Alexandro tertio, imperante Federico Barbarubea, sedente beato Galdino archiepiscopo Mediolani, facti sunt XII consules in Mediolano, quorum nomina sunt hec, scilicet: Iacobus de Mayneriis, Paganus de la Turre, Rugerius Vicecomes, Clanterius de Curte, Tazus de Mandello, Adobatus Bultrafus, Manfredus de Puteobonello, Ugo de Camerario, Presbiter de Marcellinis, Leo de la Cruce, Olderandus de Canevisiis, Periprandus de Iudicibus. Consules mercatorum fuerunt: Cerredonus de Hermenulfis, Petrus de Aliate, Amizonus de Collionibus, Guiscardus de Gysulfis, Olderandus de Medicis, Paganus Bisatus, Aliprandus Murigia, Iacobus Pernisia. Et fuit factus unus canevarius, et fuit salarium omni anno cuilibet consuli libras VIII tertiollorum. Eorum ofitium fuit videre passus et mensuras pannorum et pondera monetarum, si erant secundum mensuras sculptas in marmore in pischaria, et exigere iudicaturas testamentorum et banna illorum, qui blasfemant Deum, et providere de stratis et pontibus, et quod mercatores possent ire securi ultramontes. Et ego audivi a quodam priore provintiali ordinis Carmelitarum, qui dictus est frater . . . . . de Blava, quod primi mercatores, qui iverunt ultra montes pro emendis pannis de ultramonte et pro emenda lana subtili, fuerunt Petrus de la Blava et Iordanus de la Flamma.

De Innocentio apostatico.

Eodem anno Calistus apostaticus maledictus moritur, et illi cardinales qui cum ipso erant excommunicati et

maledicti, elegerunt quemdam Innocentium maledictum, qui sedit pluribus annis, et omnes quatuor supradicti pape maledicti facti sunt contra papam Alexandrum, et duravit scisma inter papam Alexandrum et Federicum Barbamrubeam annis XVIII. Finaliter imperator doluit et sub pedibus pape se humiliavit, ut infra dicetur.

Imperator iterum intravit Ytaliam et obsedit Alexandriam.

Christi anno MCLXXII vel MCLXXIV imperator Federicus Barbarubea de Alamania exiens iterum in Ytaliam rediit quarto kalendarum octubris, et fuerunt cum eo VIII millia militum theutonicorum, qui omnibus iuravit in Alamaniam reducere vivos vel mortuos, et per Sabaudiam faciens transitum, primo invasit civitatem Suesiam, quam destruxit; deinde pervenit ad civitatem astensem, quam hostiliter debellavit. Exinde contra civitatem Alexandriam de novo constructam in odium mediolanensium obsedit (1); succurrunt mediolanenses, et dicit Crotonius, quod imperator per cuniculos subfodere cepit fortilitias civitatis, sed cives cum aqua calida, pice et resina theutonicos excoquentes multos interfecerunt. Tunc imperator ab Alexandrinis petiit corpora mortuorum et promisit recedere, quod et factum fuit. Tunc imperator venit Cestizium; ibi existente imperatore cives de Mediolano, congregato

(1) « Anno Domini 1174 mense octobris Federicus imperator quinto intravit Lumbardiam et combussit Sausiam, et postea venit ad civitatem astensem et se eidem reddiderunt, et eodem mense cepit obsidere Alexandriam et stetit circa eam usque ad martium, et tunc mediolanenses cum Trivisio, Padua, Verona, Vincentia, Brissia, Mantua, Bergamum, Parma, Regio, Mutina, Placentia, Ferraria, Novaria et Vercellis moverunt se ad succurrendum Alexandriam, et facta fuit pax cum imperatore 1175 » (*Chron. Daniel.*).

undique exercitu valido cum carrocero, super terras de Papia profecti sunt, et destruxerunt Bronum et sanctum Nazarium, et usque prope Cestezium, ubi erat imperator, castra sua fixerunt in die sancto Pasce circa vesperas. Imperator de tota Ytalia non habebat secum nisi Papiam et Cumas, theutonici eum deserebant, exercitus mediolanensium semper invalescebat. Tunc convocato consilio suo, imperator misit duos ambaxiatores, videlicet Yzillinum de Romano patrem Yzilini pessimi, et Anselmum de Doaria patrem Bosii de Doaria, qui loquerentur cum mediolanensibus, et tractaverunt de concordia, quia iam satis pugnatum erat per annos xx. Et ista fuerunt pacta pacis, videlicet quod imperator non se intromitteret de factis mediolanensium, et mediolanenses solverent consuetum tributum. Tunc mediolanenses domum redierunt et imperator ivit Papiam. Eodem anno imperator obsedit in Pedemonte civitatem nomine Troyam cum auxilio papiensium, quam cum aurora diei sive in alba diei obtinuisset, dicta est Alba; et isto modo verificatur mendatium papiensium, qui dicunt quod papienses obsiderunt Troyam.

Sotietas de la morte.

Christi anno MCLXXVI, eminente in Roma Alexandro tertio, sedente beato Galdino archiepiscopo Mediolani, imperante Federico Barbarubea, iterum inter imperatorem et Mediolanum bella renovari ceperunt. Tunc fuit facta in Mediolano una societas, que dicta fuit societas militum de la morte. Fuerunt novem centum milites electi in magnis destrariis, et iuraverunt in omni loco obviare imperatori in via, in campo parati cum ipso pugnare, et numquam fugere vel terga vertere. Et fuit

statutum factum, quod si aliquis fugeret, cum securi mactaretur. Item iuraverunt, quod in nullam proditionem civitatis consentirent; et dati sunt singulis singuli anuli aurei in manibus ipsorum, et recepti sunt ad stipendia communitatis, et fuit eorum capitaneus Albertus de Gluxiano, habens vexillum communitatis. Et ista fuit prima societas, que unquam facta fuit in Mediolano. Item facta fuit una alia societas ex ccc electis de populo pro custodia carroceri, et iuraverunt potius mori quam de campo fugere. Item facta fuit alia societas ex electis iuvenibus, qui insidebant super ccc currus falcatos triangulares, super equos fortissimos, et in quolibet curru fuerunt x viri, et quilibet habuit falcem pratariam, quam educebant sicut nauta agitans remos. Ex altera parte venit imperator exiens de Papia, et de tota Ytalia non fuerunt cum eo nisi Cume et Papia, et pervenit imperator ad burgum de Carate, et ibi commissum fuit prelium campestre, et superatus imperator fugit. Et iterum secundum Cronicam Leonis imperator posuit se inter Legnianum et Dairagum in MCLXXVII, die tertio ante kalendas iunii, in festo sanctorum martirum Sisinii, Alexandri et Martirii, et commissum fuit secundum bellum, et duravit a tertia usque ad nonam, et tunc de altari predictorum trium martyrum egresse sunt tres columbe, et appodiaverunt se super perticam carroceri; quibus visis, imperator in fugam conversus abiit, et remanserunt spolia multa nimis de exercitu theutonicorum. Ex tunc ista dies solemnis statuta fuit.

De legato pape, qui venit Venetias.

Isto tempore beatus Galdinus archiepiscopus Mediolani et totius Ytalie legatus, predicando in puplito ecclesie sancte Tegle moritur, et in eadem ecclesia tumulatur.

Et ipso anno, scilicet in MCLXXVI, domus de Viboldono fundata fuit, que dicitur ecclesia sancti Petri de Viboldonis. Papa Alexander, audito quod mediolanenses bis in campo prostraverant imperatorem, exultavit gaudio magno, et promisit dare civitati Mediolani magnum auxilium; et audito quod beatus Galdinus legatus Ytalie obierat, statim instituit alium legatum cardinalem, quem misit in Lombardiam et pervenit Venetias.

Imperator humiliavit se sub pedibus pape.

Imperator conscientia ductus, eo quod in ecclesia fecisset scisma per annos fere XVIII, misit ambaxiatores Venetias ad legatum pape, petens pacem facere cum ecclesia. Et steterunt isti ambaxiatores per sex menses in Venetiis, qui loqui non potuerunt legato nec responsionem ullam habere, nisi quia dicebat papam in brevi esse venturum. Qui cum venisset Venetias, noluit ambaxiatoribus in aliquo respondere, nisi imperator personaliter adveniret ad pedes pape. Tandem imperator venit Venetias, et ad pedes Alexandri pape, cum quo pugnaverat annis fere XVIII, se prostravit, et coronam imperii ad pedes pape posuit, et rogavit humiliter absolvi a vinculo excommunicationis. Tunc papa fecit eum iurare plura: primo, quod faceret treguam cum civitate Mediolani per sex annos; secundum, quod deponeret Innocentium apostaticum de sede papali; tertio, quod deduceret papam de Venetiis usque Romam, et ipsum in sua sede restitueret; quarto, quod contra Saracenos faceret passagium. Hec omnia iuravit imperator facere. Tunc imperator de mandato pape super terram se extendens toto corpore, misericordiam cum lacrimis petiit; papa, posito pede super eius collo, dixit: super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis

leonem et draconem; et per istum modum a sententia excommunicationis absolvit; similiter et Augusta cum Henrico filio imperatoris adhuc pubescente, et simul papa cum imperatore Romam perrexerunt, et Innocentius apostaticus fugit, et papa Alexander sedem suam recuperavit. Et dicit Crotonius, quod facta fuit ista pax inter papam et imperatorem anno sessionis Alexandri pape XIX, imperii sui anno XXIII, et supervixit papa annis tribus et imperator annis XV.

Algisius de Pirovano fit archiepiscopus mediolanensis.

Christi anno MCLXXVI, eminente in Roma Alexandro tertio, imperante Federico Barbarubea, Algisius de Pirovano factus fuit archiepiscopus mediolanensis. Tunc enim mortuo beato Galdino [1], clerus fuit divisus in duas partes, quia aliqui elegerunt archipresbiterum et aliqui archidiaconem; et cum non possent concordare, omnes unanimiter convenerunt in istum Algisium de Pirovano, qui tunc erat cymiliarcha, qui sedit annis VIII et mensibus IX, quo fere nunquam aliquis alius fuit ecclesie Mediolani utilior. Isto tempore secundum Gothofredum de Bussero, de mense septembris pluit X vicibus tam fortiter, quod credi non posset, et crevit lacus maior in altum XVIII brachia, et cohoperuit omnes terras circumstantes. Fluvius Ticinus operuit terram, et sequenti anno, scilicet in MCLXXVII, fuit inceptum navigium de Gazano.

(1) « MCLXXVI mense aprilis obiit beatus Galdinus archiepiscopus Mediolani. Eodem anno facta fuit ecclesia de Vicoboldono, et eodem anno mense iunii discumfitus fuit imperator Federicus ad Legnanum a mediolanensibus » (*Chron. Daniel.*).

Imperator Federicus restituitur in imperio.

Cum autem papa Alexander simul cum imperatore Romam advenisset, congregans concilium prelatorum Christi anno MCLXXVII in kalendis augusti, imperatori Federico imperii coronam cum pede ipsum coronando restituit, et ipsum esse christianissimum promulgavit, et crucis karactere ipsum insignivit. Et dicit Crotonius, quod in ipso concilio episcopum papiensem crucis et pallii dignitate privavit, eo quod imperatori scismatico et regibus rebellantibus ecclesie de novo et ab antiquo semper adhesit. Inter imperatorem Federicum et Emanuelem imperatorem constantinopolitanum et Guillermum regem Sicilie pacem et concordiam fecit; patrimonium beati Petri diu per scismaticos conculcatum recuperavit. Deinde papa Alexander per mare in Franchiam rediit, ubi in Turonis aliud concilium celebravit, postea versus Romam rediit, et cum applicuisset ad portum de Mesana, ubi eum rex Guillermus tamquam dominum suum, a quo regnum Sicilie tenebat in feudum, honorifice suscepit; et post pauca papa Alexander moritur anno Domini MCLXXVIII.

Imperator Federicus intravit Mediolanum.

Federicus imperator recepta corona in Roma, ut dictum est, dum iret in Alamaniam, per civitatem mediolanensem de beneplacito mediolanensium transivit, ubi honorifice receptus iterum treguam reformavit, et de cetero fuit maior amicus mediolanensium, et plura privilegia concessit, quam unquam aliquis alius imperator fecisset, sicut infra dicetur. Et cum transivisset in Alamaniam, per V annos ibi moram contraxit, et pro passagio faciendo totis viribus se preparavit.

Henricus confirmatur in regem romanorum per papam verum.

Christi anno MCLXXVIII, sedente Mediolani Algisio archiepiscopo, imperante Federico Barbarubea, Lutius huius nominis tertius factus papa sedit annis quatuor et mensibus tribus. Iste cum Federico imperatore optime stetit, unde misit nuntios in Alamaniam, ut electores iterum eligerent Henricum primogenitum Federici, quem electum ipse Lutius papa in regem Romanorum confirmavit, quod mirabiliter imperatori gratum fuit. Iste, ut fertur, fuit maximus pecuniarum congregator, et mortuus est Ferrarie tumulatus in ecclesia maiori, ubi sunt sculpti isti versus:

Lutius est Pisis rex et tyrampnus aquarum,
A quo discordat Lutius iste parum.

Isto tempore Petrus comestor ystorias scolasticas composuit, beatus Thomas archiepiscopus canturiacensis martirio coronatus fuit, abbas Ioacim floruit.

Differentia inter portas et pusterlas civitatis mediolanensis.

Christi anno MCLXXIX, durante tregua inter imperatorem et Mediolanum (1), porte civitatis cum pusterlis complete sunt; ubi est sciendum, quod porte civitatis principales sunt sex et pusterle sunt XII, et est ista differentia inter portas et pusterlas, quia quelibet porta habet duas

(1) « Anno Domini MCLXXIX floruit B. Galdinus archiepiscopus Mediolani et Romanae Sedis legatus, et dictus dominus Ubertus archiepiscopus iam acerba morte voluntarie perhemptus est » (*Chron. Phil. de Castro Seprio*). S. Galdino morì nel 1176, come ben scrisse il Fiamma.

turres ex dextris et sinistris ex vivis saxis sive marmoreis, incompletas tamen; sed pusterla est sub una turri, excepta illa sancti Ambroxii, que habet duas turres. Item est alia differentia: quia quelibet porta habet duas portas marmoreas, excepta porta tycinensi, et pusterla habet tantum unam portam, excepta illa sancti Ambroxii, que habet duas. Item est alia differentia, quia quelibet porta habet in broleto novo portam sibi correspondentem in nomine et situ, sed pusterle non habent. Item quelibet porta habet duas pusterlas a dextris et sinistris, exceptis portis cumana et nova. Item est alia differentia, quia alique pusterle dicuntur porte, ut Zobia et Tonsa, sed porte nunquam dicuntur pusterle. Item quelibet porta habet vexillum proprium, sed pusterle non. Eodem anno Ticinellus fuit inceptus, scilicet in MCLXXIX, anno tertio Algisii archiepiscopi mediolanensis.

De pusterlis per respectum ad portas.

De situ pusterlarum per respectum ad portas et de distantiis ipsarum est sciendum, quia porta romana habet versus oriens portam tonsam pro pusterla in distantia brachiorum MCCXLVIII, versus occidens habet pusterlam sancte Eufemie in distantia brachiorum DCCCXIV. Porta orientalis habet versus aquilonem unam pusterlam, que dicitur mons fortis vel multum fortis, in distantia brachiorum CCCXLV, et versus austrum participat medietatem pusterle nove. Distat autem porta orientalis a pusterla nova brachia CCII. Porta nova inter alias portas non habet burgum; item ipsa sola non habet pusterlam integram, imo habet versus oriens medietatem pusterle nove, et distat porta nova a pusterla nova brachia DXC; ex altera parte versus austrum participat medietatem pusterle sancti

Marchi; et distat porta nova a pusterla sancti Marchi brachia MII. Porta cumana habet unam pusterlam versus occidens, que dicitur pusterla Aziarum, in distantia brachiorum CCXVII; ex altera parte versus austrum participat medietatem pusterle sancti Marchi. Et distat porta cumana a pusterla sancti Marchi brachia CDXLVIII. Porta vercellina habet versus austrum pusterlam Zobiam in distantia brachiorum DCCCCLVII, et versus aquilonem habet pusterlam sancti Ambroxii in distantia brachiorum CCC, non computato beveratore, qui habet in latitudine brachia XL. Porta ticinensis habet versus occidens pusterlam fabricam in distantia brachiorum CDLXXX; ex altera parte versus aquilonem habet clusam in distantia brachiorum CCCVIII. Et est sciendum, quod hic non computantur latitudines portarum nec pusterlarum. Est autem in universo istius muri interiori, quem erexit Azo Vicecomes, latitudo brachiorum.........; numerus turrium, que sunt in circuitu muri, computatis turribus portarum et pusterlarum, est...... Numerus merlorum in circuitu muri est...., altitudo muri est...... (1).

De fluviis transeuntibus per civitatem Mediolani.

Insuper studuerunt cives nostri hanc civitatem ex vivis fontibus irrigare. Per portam orientalem ingreditur fluvius dictus Sevisus, et circuit per portam orientalem et per pusterlam montis fortis et per portam tonsam et per portam romanam, et per clusam egreditur. Item per portam cumanam per cuniculos ingrediuntur duo fontes, quos introduxit Azo Vicecomes, et egrediuntur per clusam. Per pusterlam Aziarum ingreditur fluvius Nironus,

(1) Le lacune qui segnate sono nel Codice.

quem introduxit Nero imperator, et per clusam egreditur. Per pusterlam fabricam ingreditur fluvius Orona, et per clusam egreditur. Hec quatuor flumina ordinata sunt pro molendinis. De fossato civitatis exit fluvius extra portam tonsam et dicitur navirium, eo quod inde debuerunt ire naves usque Venetias, sed caruit effectu. Extra civitatem ex parte orientis fluunt duo magna flumina, scilicet Abdua et Lamber; ex parte occidentis fluunt duo alia, scilicet Ticinus et Ticinellus, nec inveniretur inter christianos civitas melius dotata fontibus, fluminibus et fluviis. Quere de istis in Cronica fratris Bonvesini; et in MCLXXXI mediolanenses rehedificaverunt Cremam.

De pace Constantie.

Christi anno MCLXXXIII, sedente Mediolani Algisio archiepiscopo, imperante Federico Barbarubea, Gregorius huius nominis VIII, factus papa, sedit mense uno, diebus XXVII. Hic zelans pro recuperatione terre sancte literas per totum mundum misit, et vadens Pisas inter ianuenses et pisanos pacem fecit, et Pisis obiit ipso anno. Isto tempore imperator Federicus Barbarubea apud Constantiam civitatem Alamanie concilium convocavit baronum et prelatorum, et missi sunt ad concilium octo ambaxiatores de Mediolano, quorum nomina sunt hec: Guido de Landriano, Pinamons de Vicomercato, Adobatus Bultrafus, Gulliermus de Burris, Guerzius de Hostiolo, Ardericus de Bonate, Rogerius Marcellinus, Lotherius de Medicis. Et isti ambaxiatores instituerunt suum procuratorem regem Henricum, filium ipsius Federici imperatoris, qui procuravit totis viribus facere pacem inter patrem suum et Mediolanum. Pacta pacis fuerunt ista ex parte mediolanensium: primo, quod perpetuo recognoscerent se esse subiectos imperio, et quod imperator est

verus dominus totius imperii; secundo, quod omni anno solverent imperatori tributa consueta; tertio, quod numquam denegarent imperatori introitum in civitatem aut coronam; quarto, quod imperator offerret quatuor, et cives de Mediolano tenerentur accipere unum ex illis in suum potestatem et rectorem. Tum imperator iuravit, stantibus supradictis quatuor pactis, quod ipse numquam inferret dampnum civitati Mediolani; secundo, quod si aliqua civitas vel princeps lederet civitatem mediolanensem, quod ipse acciperet arma contra hostes; tertio, quod omnes nobiles et omnes terras circumstantes civitati Mediolani supponeret. Quarto quod omnia privilegia et omnes gratias, quas scirent homines de Mediolano, totum adimpleret. Ista pacta ex utraque parte fuerunt firmata, et dicitur ista pax pax Constantie usque in hodiernum diem.

Confirmatio pacis inter imperatorem et Mediolanum apud Regium.

Christi anno MCLXXXIV Henricus rex Romanorum intravit Ytaliam, et pervenit Mediolanum anno etatis sue XIX, quem mediolanenses cum mirabili honore receperunt, eo quod ipsorum fuerat advocatus in facto pacis de Constantia. Deinde venit imperator, quem mediolanenses tamquam patrem susceperunt. Postea ivit Regium, et tunc ad ipsum missi sunt decem ambaxiatores de Mediolano, quorum nomina sunt hec: Pinamons de Vicomercato, Heriprandus de Iudicibus, Adobatus Bultrafus, Ugo de Camerario, Rogerius Vicecomes, Arnaldus de Mariola, Villielmus de Osa, Ardericus de Bonate, Otto Cenderarius, Alberius Bonvesinus; et isti decem legati iuraverunt ex parte communitatis de Mediolano et consulum et credentie, quod ipsi iuvarent imperatorem Federicum et illustrem filium

eius Henricum romanorum regem ad recuperandum omnia iura imperii in Lombardia, Romandiola et Marchia, et spetialiter terram comitisse Mateldis. Item quod omni anno in kalendis martii solverent imperatori ccc libras imperialium; et promiserunt quod communitas et consules et credentia iurabunt, et omnes cives a xviii annis supra et a lxx infra, quod iurabunt iurare imperium, et dabunt consilium bona fide. Et dicit cronica laudensis, quod anno Domini mclxxxv de mense madii imperator Federicus in odium cremonensium ordinavit, quod rehedificaretur castrum de Crema, quod iacuerat destructum annis xxi.

Donationes imperatoris facte communitati Mediolani.

Tunc Rodulfus camerarius imperatoris in persona ipsius imperatoris iuravit et in persona Henrici filii sui, quod imperator adiuvaret civitatem mediolanensem totis viribus contra omnes civitates Lombardie, Marchie et Romandiole, et tunc donavit communitati Mediolani omnia regalia, que habet imperator in archiepiscopatu Mediolani, sive in comitatibus Seprii et Marthesane et Burgarie, Leuci, Statione, vel etiam aliis locis ultra Abduam, que mediolanenses donaverant cremonensibus. Sed in registro illorum de Panigairoris habetur, quod imperator excepit in huius concessionibus paraticum, que debet prestari Henrico filio suo in coronatione Mediolani et Modoetie, excipiendo etiam omnia benefitia antiqua concessis ecclesiis vel cuicumque alteri persone, et quod faceret rehedificari Cremam ad terminum, quem consules Mediolani constituerint consilio credentie sue. Data tertio idus februarii anno regni ipsius xxxiii, anno imperii eius xxxi. Et hec omnia imperator aurea bulla communivit, que

habentur in archiviis sancti Eustorgii. Est autem comitatus Seprii a lacu maiori, sicut pergit flumen Ticini usque ad Padrinianum, inde usque ad Cerrum de Parabiago usque Caronum, inde usque ad flumen Sevisi, inde usque ad flumen Tresse, et sicut Tressa refluit in lacu maiori.

Alia donatio facta communitati Mediolani per imperatorem Federicum Barbamrubeam.

Christi anno MCLXXXVI imperator Federicus concessit communitati Mediolani potestati et consulibus ex mera imperiali liberalitate Rivoltam, Casirate, Agyrianellum, Pandinum, Mixanum, Verate, Calvenzanum, Arziagum, Paradignum, Turnium, Comazanum, Gardellam, Diveram, Ronchadellam, Pradam, Vidolegnum, Pagazanum, Caravagium, Pontezo, Bregnanum, et omnia alia loca posita inter Abduam et Lolium, et tenerentur communitati Mediolani in fodris, coltis et munitionibus, aliisque rationibus et oneribus; et hec omnia habentur bullata auro in sancto Eustorgio.

De imaginibus ecclesie maioris.

Christi anno MCLXXXVI, eminente in Roma Clemente tertio, imperante Federico Barbarubea, Obertus ex valvassoribus de Crivellis factus archiepiscopus sedit annis duobus. Hic fuit archidiaconus ecclesie maioris, postea episcopus vercellensis, postea archiepiscopus mediolanensis, deinde fuit papa et dictus est Urbanus III. Hic factus archiepiscopus statim fecit in marmoribus sculpiri imagines omnium apostolorum, qui sunt in circuitu chori, et ecclesiam ornavit diversis marmoreis leonibus et crifonibus. Eodem tempore floruit Petrus de Bussero archipresbiter cardinalium ecclesie maioris, et construxit de

suo patrimonio in ordinaria unum palatium super portam, que dicitur ad compitum, et voluit quod duo cardinales ibi habitarent, qui prius habitabant dispersi per ecclesias, et pro maiori parte habitabant Noxeam in ecclesia sancti Georgii. Isto tempore corvi in rostro portabant ignem et comburebant domos; grandines ovis grossiores de celo descenderunt.

Origo Roberti Guiscardi regis Sicilie.

Eodem anno, secundum Gothofredum de Bussero, Henricus rex romanorum duxit uxorem Constantiam reginam Sicilie, de qua natus fuit Federicus imperator, dictus Federicus ultimus, et quia est radix turbationis inter papam et imperium, et multe historie sibi ipsis contradicunt, ideo ad evidentiam omnium dicendorum hic de origine ipsius regine Constantie aliquid est declarandum, secundum dicta Crotonii. Anno Domini DCCCLXXX tempore Karuli grossi imperatoris, gens Normanorum sub rege Roberto pagano totam Galliam et Alamaniam gravi bello presserunt. Hos Karolus grossus imperator sibi pacificavit et ad Christi fidem convertit, et terram ultra Sequanam tradidit, que usque hodie Normandia dicitur, et noluit imperator quod rex Robertus diceretur rex sed dux. Mortuo duce Roberto, successit ei Gulliermus filius eius, qui genuit Ricardum. Hic genuit duos filios scilicet Ricardum qui fuit dux loco patris, et Robertum Guiscardi qui fuit sine ducatu et sine terra. Item genuit filiam nomine Margaritam, quam tradidit in uxorem Subagdinonti principi Antiochie et regi Epirotarum, que genuit Tancredum, qui fuit dux tarentinus. Hic Tancredus duxit in uxorem Sibillam pulcriorem mulierem mundi, et fuit rex Sicilie, de qua genuit duos filios et tres filias. Primus

dictus est Rogerius, qui fuit rex Sicilie cum patre, et statim mortuus est; alter filius dictus est Gulliermus, qui fuit rex Sicilie cum patre, et supervixit patri aliquo tempore. Hic genuit Gulliermum iuniorem, quem Henricus imperator castrari fecit et oculis privari, quem in exilium misit in Alamaniam cum tribus eius sororibus, scilicet Constantia, Alberia et Magdania, de quibus infra dicetur in locis suis.

Urbanus papa de Crivellis.

Christi anno supradicto, scilicet in MCLXXXVI, Obertus de Crivellis archiepiscopus mediolanensis factus est papa et dictus est Urbanus tertius, et sedit anno uno et mensibus decem, et toto tempore, quo vixit, archiepiscopatum mediolanensem in se retinuit. Hic fundavit monasterium de Brinate. Cum autem esset Ferrarie, audita perditione terre sancte, pre dolore mortuus est, et sepultus fuit honorifice in ecclesia maiori Ferrarie anno domini MCLXXXVIII.

Potestas mediolanensis est comes.

Christi anno supradicto, eminente in Roma Urbano III, imperante Federico Barbarubea, imperator concessit communitati mediolanensi, quod sublato dominio consulum, civitas mediolanensium posset regi per potestatem, qui ipso facto erat comes auctoritate imperiali, et insuper quod sublato Vicecomitis officio, ipse potestas faceret iuditium sanguinis.

De primo potestate electo per mediolanenses.

Christi anno supradicto factus fuit potestas Ubertus Vicecomes de Placentia, et rexit per unum annum; et nota quod in Placentia ab antiquo fuerunt due partes,

una guelfa, cuius caput fuerunt capitanei de Triziis, et isti parti adheserunt illi de Fontana, Vicecomites, Vicedomini et Fulgosi; ex popularibus Pallestrelli, Scoti, Salgynbey, et populares alii partis gybilline caput ab antiquo fuerunt illi de Andito sive de Lando; et isti parti adheserunt Angossoli, Mangasolli, Passacaldarii, illi de Pecorariis, illi de la Porta.

Henricus imperator fecit nuptias in sancto Ambrosio.

Christi anno supradicto, scilicet in MCLXXXVI, eminente in Roma Urbano papa de Crivellis, existente potestate Uberto Vicecomite supradicto, in presentia Federici imperatoris tunc morantis Mediolani, Henricus quintus Romanorum rex, anno etatis sue XXI secundum Gothofredum Viterbiensem, anno regni sui XVII duxit in uxorem Constantiam etatis annorum fere L, a pueritia sua monacham, et fecit nuptias in monasterio sancti Ambroxii in kalendis februarii vel die XXVI ianuarii, et inter alia detulit CL somarios honeratos pannis aureis et siricis et hermelinis, et ambo scilicet sponsus et sponsa fuerunt coronati in sancto Ambroxio et in Modoetia. Et post paucos menses ista regina Constantia peperit Antichristum, scilicet Federicum ultimum. Istis nuptiis interfuerunt omnes barones, marchiones, comites, archiepiscopi, episcopi fere totius Ytalie, exceptis cremonensibus, eo quod imperator loca ultra Abduam, que donaverunt mediolanenses communitati cremonensi, communitati Mediolani restituerat. Ex hoc turbatus imperator contra cremonenses equitans versus Cremonam Sunzinum consumpsit incendiis, castrum Maynfredi funditus evertit, civitatem invasit; sed ad preces Sicardi episcopi cremonensis pacem fecit, et Mediolanum rediit. Hec Sicardus episcopus.

Henricus tyrampnizat contra ecclesiam.

Isto tempore cum Henricus fuisset coronatus in Roma, et fidelitatis sacramentum ecclesie prestitisset more suorum predecessorum, non attendens quod regnum Sicilie est ecclesie, sed considerans quod uxor sua Constantia erat illius regni heres, misit ad Tancredum filium Tancredi regis Epirotarum, qui fuerat Roberti Guiscardi ex sorore nepos, qui mortuo rege Guliermo invaserat regnum, et Tancredum filium suum secum regnare faciebat, ut supra dictum est, quod ipse deponeret coronam regni quam iniuste usurpaverat, et imperatrici Constantie heredi regni restitueret. Quo audito, Tancredus rex moleste tulit et imperatori respondit, quod eius uxor fuerat monacha usque ad annum etatis sue L, et quod non potuit virum accipere, nec secundum naturam concipere; ideo iure hereditario ratione sue matris ad ipsum pertinebat regnum. Tunc imperator ipso mense quo fuerat coronatus, intravit regnum Sicilie, et civitatem Neapolim tribus mensibus obsedit, ubi infirmatus cum toto suo exercitu abiit et Romam rediit. Tuschulanum romanis donavit, quod ipsi destruxerunt; et tunc imperator cum uxore Mediolanum rediit.

Mediolanenses destruunt terras comitis Sabaudie.

Tunc mediolanenses, recordati quod comites Sabaudie multa fecerant civitati Mediolani in servitium Federici Barberubee, congregantes exercitum cum carrocero pervenerunt Taurinum, ubi, transito Pado, iverunt per Ripolas, et Villianam cum castro destruxerunt. Et recordati de parabula turte marchionis Murelli, cives de Mediolano intraverunt vallem de Tarri, et tria castra ipsius marchionis destruxerunt, scilicet Carbonariam, Dezelladam et

Fastigium. Tunc ait marchio Murellus: ista turta habuit malam salzam.

Millo de Cardano archiepiscopus Mediolani.

Christi anno MCLXXXVIII, eminente in Roma Celestino tertio, imperantibus Federico Barbarubea et Henrico quinto filio eius, factus est archiepiscopus Mediolani Millo de Cardano, et sedit annis VII et mensibus VIII. Hic erat natione mediolanensis, episcopus taurinensis et archipresbiter ecclesie maioris (1).

Consularia insurgit.

Christi anno supradicto, scilicet in MCLXXXXIII, iterum in civitate Mediolani creati sunt consules ad annum unum.

Consules iterum fiunt in Mediolano.

Christi anno MCXC, eminente in Roma Celestino tertio, sedente Mediolani Millo archiepiscopo, imperantibus Federico Barbarubea ultra mare et Henrico filio eius citra mare, in civitate Mediolani iterum creati sunt consules per annum. Tunc temporis civitas ianuensis cepit regi per potestates.

Potestates creantur.

Christi anno MCXCI, stantibus supradictis concurrentiis,

(1) « Anno Domini MCXXIX in kalendis aprilis Milus de Carcano archiepiscopus Mediolani edificavit ecclesiam S. Trinitatis de capite laci iuxta Vasium, cuius primo fuit prior Arnoldus de Calabria cum monacis quatuor » (*Chron. Philippi de Castro Seprio*).

in civitate Mediolani, sublato dominio consulum, factus fuit potestas Emanuel de Concesa brixiensis, et rexit per dimidium annum, et per alios sex menses iterum creati sunt consules. Ubi est sciendum, quod in civitate brixiensi ab antiquo fuerunt due partes.

Imperator Federicus submergitur ultra mare.

Eodem anno, scilicet in MCXCI, imperator Federicus Barbarubea, qui omnes terras ultra mare subiugaverat, quem ensis superare non potuit, parva unda submersit. Nam cum inter Antiochiam et Nicenam Bithinie, in quodam parvo flumine dicto Raphayn contra estus immanitatem in meridie se lavaret, unda volvens in circum ipsum involvit et absorbuit; et corpus eius balsamo et aromatibus conditum in Tyro honorifice sepelitur anno imperii XXXVIII. Tunc de consilio archiepiscoporum Ravenne et Pisani et Baronum Federicus dux Suevie factus est loco patris princeps christianorum.

Cremonenses submerguntur in Lolio.

Christi anno supradicto, scilicet in MCXCI, eminente in Roma Celestino tertio, sedente Mediolani Millo archiepiscopo, Emanuele de Concesa existente potestate, Henricus quintus, audita morte patris sui, super Ytaliam dimisit vicarium suum generalem quemdam, qui dictus est Trusardus. Ipse in Alamaniam perrexit cum Constantia Augusta, et procuravit cum electoribus, ut eligerent in imperatorem Federicum ultimum filium suum etatis annorum trium vel quatuor. Isto tempore Henricus imperator donavit castrum de Crema communitati cremonensium, quo audito, mediolanenses contristati sunt, ut dicit

Sycardus episcopus. Tunc cremonenses cum carrocero suo, adiunctis sibi parmensibus et pergamensibus, equitaverunt super Cremam, quam sibi debere dicebant iure imperii. Tunc accidit cremonensibus infortunium quod dicitur malmorth, quia mediolanenses equitaverunt in servitium cremensium, et commissa pugna, cremonenses terga verterunt, et impellentibus eos mediolanensibus, interfecti sunt ultra decem millia, qui super terram iacuerunt, et in Lolio submersi sunt plusquam quinque millia. Tunc captivati sunt in Mediolano ex cremonensibus et aliis complicibus plusquam quinque millia, et carrocerum cremonensium est advectum Mediolanum, et equi multi et alii currus in maximo numero. Et dicit chronica Gothofredi de Bussero, quod hoc fuit inter duo festa, scilicet Iohannis Baptiste et Petri et Pauli die XXVII iunii, et plusquam MM pergamensium incarcerati fuerunt. Et sic iam habemus unum carrocerum de Cremona, quod bene fuit associatum per alia novem carrochia, ut infra patebit. Imperator, his auditis, compassus miserie cremonensium de Alamania, scripsit litteras communitati de Mediolano in servitium cremonensium, rogans quod incarcerati de Cremona relaxarentur, quod et factum fuit.

Carrochium de Cremona capitur.

Christi anno MCXCII, stantibus supradictis concurrentiis, factus fuit potestas Mediolani Bonapax Faba de Brixia. Isto tempore cives de Mediolano cum carrocero equitaverunt, transita Abdua, super terras pergamensium et Romanum destraxerunt, Curtem novam explanaverunt, totum territorium igne ferroque destruxerunt. Ipsis autem existentibus in exercitu, cremonenses, facto novo carrocero, adiunctis sibi parmensibus, papiensibus, cumanis,

laudensibus, intraverunt Laude vetus, et ceperunt rehedificare et fecerunt fossatum maximum in circuitu; quo comperto, cives de Mediolano facta pergamensium et cedes pretermittentes ad Laude vetus conciti convolaverunt, et commissis diversis preliis, cives de Mediolano semper victores foveas Laude veteris explanaverunt violenter, et intrantes terram die ultimo madii hostes superaverunt, CL milites de Cremona incarceraverunt, plusquam CCC in fluvio submersi sunt; XLIV milites de Laude et CC pedites incarcerati sunt. Tunc carrocerum de Cremona secunda vice capitur, et cum immenso gaudio Mediolanum fuit deductum. Et sic habemus in universo duo carrochia de Cremona in duobus annis. Insuper cives de Mediolano destruxerunt Canenagum, et Zovenigum combusserunt et totaliter consumpserunt.

Pax inter Mediolanum et Cremonam.

Trussardus imperatoris vicarius, compassus miseriis cremonensium, convocatis prelatis et baronibus, quoddam concilium de mandato imperatoris coegit. Huic concilio noluit interesse Murellus marchio Malaspina, qui problema deturta confixerat, nec etiam illi de Parma. Et promulgavit predictus Trussardus quamdam pacem universalem per totam Ytaliam, et precepit quod cives de Cremona, de Laude et aliis civitatibus, qui erant incarcerati in Mediolano, relaxarentur, quod et factum est. Tunc temporis, secundum Cronicam Iacobi de Voragine, quidam Tancredus cum matre sua Margarita regnum Sicilie occupabat.

Henricus imperator coronatur in regem Sicilie.

Christi anno MCXCIII, sedente Mediolani Millo archiepiscopo, imperante Henrico V, Innocentius huius nominis

tertius factus papa, in festo Cathedre fuit coronatus; sedit annis XVIII et mensibus V. Hic fuit vir per omnia gloriosus, decretales compilavit, libros abbatis Iohacim et Almaricum hereticum condempnavit[1]. Isto tempore imperator Henricus cum Constantia Augusta et cum Federico ultimo parvulo in imperatorem electo de Alamania exiens pervenit Mediolanum, deinde ivit Ianuam et navigio pervenit Romam, ubi per Innocentium papam fuit in regem Sicilie coronatus, solvens tributum antiquum illius regni, scilicet libras mille Syngumbaldorum omni anno in recognitionem dominii, quod tenet ab ecclesia.

Henricus tyrampnizat contra ecclesiam.

Henricus imperator secundum Crotonium cum exercitu in Apulliam rediit factus imperator et rex Sicilie, ratione dotis uxoris totum regnum Sicilie obtinuit; Salernum destruxit, regem Siculorum Tancredum cum filio suo Guliermo iuniore cepit, quos oculis privari et castrari fecit, ne umquam ex eis soboles nasceretur. Tres filias regis Tancredi et matrem eius Margaritam omnes simul in carcerem in Alamaniam misit, omnes hostes suos durissime punivit, et quod peius fuit, archiepiscopos, episcopos per plateas interfici iussit, contra ecclesiam durissimam tyrampnidem exercuit. Ex hoc papa Innocentius anno sedis sue secundo, imperii Henrici octavo, ipsum excommunicavit et omnes eius fautores.

(1) « MCXCIII fuit factus exercitus fossati de Laude tempore dom. Bonepacis Fabe de Brissia potestatis Mediolani, et tunc cremonenses, laudenses et papienses capti fuerunt, et eodem anno factus fuit exercitus de Insula Brembana, et tunc existentibus mediolanensibus in illo exercitu, papienses et laudenses expugnaverunt castrum de Cocozo, et ibi magnum damnum sustinuerunt, et eodem anno factus fuit exercitus de Cumis per portam romanam et portam ticinensem, et tunc factus fuit Starnus de Arebio » (*Chron. Daniel.*).

Henricus negavit solvere tributum ecclesie.

Christi anno MCXCVI, eminente in Roma Innocentio tertio, sedente Mediolani Millo archiepiscopo, imperante Henrico V, in civitate Mediolani, dempto dominio potestatum, iterum creati sunt consules per annum. Eodem tempore Henricus imperator contra ecclesiam se erexit, tributum papale denegavit et multa mala fecit, et in Lombardiam rediit, spoliatis universis thesauris regni Sicilie.

Lignum vere crucis portatur Ianuam.

Christi anno MCXCV, supradictis stantibus concurrentiis, iterum creati sunt consules (1). Isto tempore Saladinus saracenorum imperator misit imperatori constantinopolitano de ligno vere crucis, et dicit cronica Iacobi de Voragine, quod ad civitatem ianuensem delatum est, et quod est mirabile audire, ille qui portabat lignum, ipsum deferebat super undas maris siccis pedibus. Isto tempore imperator concessit privilegia multa cuidam comiti de Venerosis, et in fide dicebat sic: data quarto kalendas iulii, anno regni nostri XXVI, imperii autem anno quinto, regni Sicilie anno primo.

Federicus ultimus coronatur in regem Sicilie.

Christi anno MCXCVI, eminente in Roma Innocentio tertio, imperante Henrico V, Ubertus de Terziago archipresbiter de Modoetia factus archiepiscopus sedit mensibus novem (2). Isto tempore facti sunt iterum consules,

(1) « Ipso anno fuit factus scrutineus de Albara cum cremonensibus » (*Chron. Daniel.*).

(2) « Ipso anno facta fuit pax de Cumis per Gottecinum Mainerium et Iohannem Ruscam et Conradum iudicem, et milites quinquecentum Mediolani iverunt in servitio Vercellensium ad Casale s. Evasii » (*Chron. Dan.*).

quorum nomina sunt hec: Robacomes de Mandello et Guido Botazius; consules iustitie fuerunt Baldizonus Stampa, Gottecinus Maynerius, Laurentius Corbus, Petrus de Allate et Otto de Castiniago. Isto anno Henricus imperator in Siciliam rediit, ubi Federicum Rugerium filium suum parvulum in regem Sicilie coronavit anno etatis sue VIII. Eodem anno Federicus dux Suevie, frater istius imperatoris ultra mare constitutus, obsidebat Ptolomaydem, ubi et mortuus est. Isto tempore in terra Brige dum sacerdos celebraret, hostia consecrata visibiliter conversa est in carnem, et vinum in vivum sanguinem. In Niverso civitate Gallie mortuus resurrexit, et futura predicebat; in festo Iohannis Baptiste in Gallia ros dulcior melle de celo descendit. De mense iulii in comitatu atrabatensi de celo descenderunt lapides tam magni, quod omnes silvas et domos destruxerunt (1).

Carrochium cremonensium capitur tertia vice.

Christi anno MCXCVII, eminente in Roma Innocentio tertio, imperante Henrico V, Philippus de Prandebonis sive de Lampugnano, factus archiepiscopus Mediolani, sedit annis X. Isto anno iterum creati sunt consules ad annum; nomina consulum sunt hec: Paganus de la Turre et Ugo de Camerario. Consul negotiatorum sive mercatorum dictus est Ubertus Dyanus. Isto tempore determinata fuit una magna questio inter mediolanenses et

(1) « Anno Domini MCXCVI facta est ultima consularia Mediolani, et die XI martii obiit magister Petrus de Vavassoribus de Bussero canonicus Modoetie et diaconus domini pape, deinde cardinalis, qui fuit legatus in Ungaria, de quo scriptum est:

> Magister Petrus fisicus optimus atque legista
> Nec non divina que sunt in pectore mista.

Hoc opus fieri fecit in ecclesia s. Iohannis Baptiste in Modoetia » (*Chron. Phil. de Castro Seprio*).

cumanos; videlicet quod ad comune Mediolani pertinerent plebes de Mandello, de valle Gyri, de Mercuriolo cum Danenga et cum curte Lavene, cum omnibus locis a Ingra usque Seprium, et Monsorphanus cum villa, et ad civitatem cumanam pertinerent plebs de Ogyate, in qua est Olzate, et plebs de Fino, sicut habetur ex libro illorum de Panigayroris. Eodem tempore cremonenses in odium cremensium construxerunt castrum Leonis; quo audito, cives de Mediolano illuc equitaverunt, et commissa pugna fugati sunt cremonenses, et carrocerum ipsorum iam captum tertia vice fuit, et in triumphum deductum fuit Mediolanum. O Cremona, o Cremona, quid fecisti? infra sex annos tria carrochia perdidisti. Expecta, expecta, et iam tota civitas mediolanensis implebitur de tuis carrochiis. Gothofredus de Bussero dicit, quod isto anno facta fuit credentia sancti Ambroxii, et quod fuit rupta de Vercellis et Salugia.

Otto dux Saxonie fit imperator.

Christi anno MCXCVIII, eminente in Roma Innocentio tertio, sedente Mediolani Philippo de Prandebonis, imperator Henricus apud Panozinium moritur excommunicatus et maledictus, cui successit in regno Sicilie Federicus ultimus filius primogenitus factus annorum novem. Mortuus est autem Henricus imperator anno imperii sui octavo, anno Innocentii pape secundo, et vacavit imperium annis XI. Tunc electores imperii congregati elegerunt in discordia duos imperatores: alii elegerunt Ottonem ducem Saxonie, alii elegerunt Philippum ducem Suevie, filium Federici Barberubee, fratrem Henrici imperatoris supradicti. Tunc pape Innocentio primo presentata fuit electio Philippi, quam papa reprobavit et

propter vite demeritum et propter peccata patris sui et Henrici fratris sui, qui graves persecutiones contra ecclesiam exercuerunt. Sed Philippus regnum Alamanie usurpavit, propter quod papa eum excommunicavit. Huius uxor fuit filia imperatoris Emanuelis constantinopolitani. Pendente questione inter istos duos imperatores, Philippus fuit occisus per ducem Ollende, consentientibus ducibus Lantegravio Turingie et alio duce Baverie. Papa autem Innocentius statim facta electione, et reprobato Philippo duce Suevie, mandavit quod Otto dux Saxonie in regem Alamanie coronaretur in Aquisgrani, quem confirmavit in regem romanorum.

Origo ordinis predicatorum et minorum.

Isto tempore cives de Mediolano cum carrocero castrametati sunt super terras pergamensium, et per xv dies omnia castra et terras destruxerunt, et castrum de Gysalba explanaverunt. Eodem tempore Durdus Marcellinus erat potestas ianuensis, qui omnes turres de Ianua detrunchari precepit ad mensuram LXXX pedum. Isto tempore beatus Dominicus ordinem fratrum predicatorum incepit, et post VIII annos beatus Franciscus incepit ordinem fratrum minorum, de quibus duobus ordinibus celi mundique luminaribus per quatuor millia annorum ante fuerat prophetatum.

Divisio magna in civitate Mediolani.

Christi anno MCXCIX, eminente in Roma Innocentio tertio, sedente Mediolani Philippo de Prandebonis archiepiscopo, pendente controversia duorum regum, scilicet Philippi et Ottonis supradictorum, ille qui erat vicecomes

communitatis, ad quem spectabat iuditium sanguinis, ex commissione populi elegit consules ad annum, qui regerent civitatem. Et causa quare talis commissio devoluta fuit ad vicecomitem, talis fuit, quia vacante imperio, cum civitas mediolanensis ex nulla parte de hoste sibi timeret et delitiis vacaret, civitas mediolanensis in quatuor voluntates divisa fuit; et ad intellectum omnium sequentium et omnium dicendorum ego aliquid de istis partialitatibus declarabo.

Quid sit pars nobilium in Mediolano,
et de divisione partis nobilium.

Prima et nobilior pars civitatis fuit pars valvasorum et cathaneorum, vel capitaneorum et vassallorum, sive vallisinorum, et isti fecerunt suum caput et dominum archiepiscopum Philippum de Prandebonis de Lampugniano, dicentes quod ab antiquo fuerant ius archiepiscopi dominium civitatis in temporalibus et spiritualibus. Nomina istius partis nobilium fuerunt ista: illi de Sorexina (1), illi de Vicecomitibus (2), illi de Turre, illi de li Curti, illi de Annono, illi de Carchano, illi de Serazonis, illi de Petra Sancta, illi de Bustis, illi de Lampugniano, illi de Mandello, illi de Burris, illi de Cazolis, illi de Grassis, illi de Mayneriis, illi de Bernarigio, illi de

(1) Il Corio aggiunge anche i Bescapè.
(2) « Dicit cronica de Barzanore, quod comunitas parentele Vicecomitum hoc privilegium contulit, quod acies exercitus Mediolani numquam castra figerent, nisi vexillum Vicecomitum in arbore erectum conspicerent. Quidam dicunt quod portabant sextarium, propter ius quod in sextario comunitatis habuerunt, sed postea viperam obtinuit Otto Vicecomes de capite cuiusdam regis Saracenorum, quem singulari duello super portas civitatis Ierusalem superavit. In processu temporis Ugo Vicecomes ius territorii vendidit comunitati mediolanensi » (*Chron. mai.*).

Scachabaroziis, illi de Puteobonello, illi de Pusterla, illi de Opreno, illi de Pirovano, illi de Terziago, illi de Grassellis, illi de Balbis, illi de Castiliono, illi de Vellate, illi de Bossis, illi de Bebulco, illi de Landriano, illi de Castello, illi de Arziago, illi de Birago, illi de Crivellis, illi de Glusiano, illi de Besuzo, illi de Samerate et plures alie parentele.

In processu temporis ista pars nobilium in duas partes divisa est, quia illi de la Turre, illi de Sorexina, illi de Crivellis, illi de Pirovano facti sunt una pars per se, et post istos ibat populus, et fuit pars fortis valde. Ex altera parte fuerunt Vicecomites, illi de Birago, illi de Carcano pro reliquis parentelis nobilium.

Turriani ex nobilibus fiunt pars populi.

Post aliquos annos primo pars nobilium divisa iterum fuit, quia Turriani, spretis et contemptis amicis suis, videlicet de Soresina, de Crivellis, de Pirovano, adheserunt populo, et alie tres parentele redierunt ad partem nobilium antiquam. Et tunc fuerunt due partes in Mediolano: ex una parte fuerunt cathanei et valvassores, ex alia parte fueruut Turriani cum populo et illi de Mota, quorum nomina sunt hec: illi de Aliate, illi de Marcellinis, illi de Prealonibus, illi de Gambariis, illi de Modoetia, illi de la Cruce, illi de Carabis, illi de Porenzonibus, illi de Cuticis, illi de Secundis, illi de Medicis, illi de Meda, illi de Malcozatis, illi de Corpello, illi de Manderiis, illi de Hermenulfis, illi de Superaquam, illi de Surigoniis, illi de Alberiis, illi de Summa, illi de Fraxianis, illi de Tigosis, illi de Urso, illi de Lurago, illi de Mirabilibus, illi de sancto Ambroxio, illi de Villa, illi de Mazallis, illi de Scanzis et artistarum congeries.

Isti fuerunt de parte illorum de la Turre, sed ista pars similiter divisa fuit, quia Turriani remanserunt cum sola congerie artificum, et illi de Mota fecerunt sibi caput Raynerium Cottam. Ex tunc Turriani remanserunt cum artificum congerie, que dicta fuit Credentia sancti Ambroxii.

Divisio inter populum et credentiam.

In processu temporis isti artifices divisi sunt in duas partes, quia illi qui vivunt de emptionibus et venditionibus absque opere manuali, dicti sunt populus, ut mercatores et homines medio modo se habentes inter divitias et paupertates. Illi autem qui vivunt de opere manuum suarum, dicti sunt credentia (1), eo quod credendo multa dampna sustinuerint a nobilibus, et isti tales sunt becharii, farinarii, calcifices, sutores et huius similes homines. Et isti duo, scilicet populus et credentia, fere semper fuerunt simul sub rectoribus Turrianis, licet aliquando inveniatur, quod populus fuit sub Marcellinis et credentia sub Turrianis. Et nota quod iste quatuor partialitates, scilicet nobilium, mote, populi et credentie duraverunt usque ad tempora Azi Vicecomitis; tunc enim monarchia fuit adeo fortis, quod alie partialitates videantur fuisse

(1) Il Fiamma dice, che dalla divisione nata in Roma fra il popolo e la nobiltà « traxit originem credentia populi mediolanensis. Nam cum artiste propter sua opera fierent creditores nobilium, et pro solutione reciperent verbera et obprobrium, et globati in una magna congerie omnes artiste elegerunt unum ex nobilioribus et potentioribus sibi in tribunum. Et fuit eorum iudex et protector contra nobiles, et cogebat solvi creditoribus, unde credentia nomen accepit. Ex hoc pars nobilium magnam iacturam sustinebat, quia credentia semper elegebat potentiorem. Et talis fuit Lanzo de Curte et Magnus Martinus de la Turre, qui de parte nobilium recesserunt facti tribuni, et parti nobilium sunt adversati, cum essent naturaliter de parte nobilium » (*Chron. mai.*).

consopite. Item nota quod populus cum credentia semper prevaluit contra partem cathaneorum et valvassorum, cuius signum est quod ab extrinseco semper quesierunt auxilium a Gulliermo marchione Lanza, ab Uberto Pellavisino, a Gulliermo marchione Montisferrati, ab Yzillino, a rege Yspanie. Sed tempore Ottonis Vicecomitis archiepiscopi Mediolani pars nobilium prevalere incepit. Item nota quod pars nobilium semper fuit gibilina pro imperatore, pars populi semper fuit guelfa, idest pro ecclesia.

De turri credentie.

Ex hoc manifeste colligitur quod quam cito cepit vacare imperium, et civitas habere cepit pacem, quod tam cito civitas fuit divisa in diversas voluntates, et prelia civilia inchoata fuerunt, et tantum crevit, quod in una civitate fuerunt duo populi distincti et contrarii, ut si una pars exibat ad pugnam, alia pars stabat in domo, expectans suorum civium ruinas audire cum gaudio. Item pars nobilium stabat in palatio magno communitatis, et pars populi, empta ab illis de Botaziis quadam turri, que dicitur turris credentie, ibi sub spetialibus consulibus et sub spetiali tribuno sua exercerent iudicia. Item pars populi sive credentie utebatur vexillo balzano albo et rubeo, spreto vexillo principali communitatis. Item ecclesia maior stabat clausa populo, et multa talia fiebant, que indicabant civitatem mediolanensem potius esse duas civitates quam unam.

Mediolanenses ceperunt terras cremonensium super Abduam.

Christi anno MCXCIX, eminente in Roma Innocentio tertio, sedente Mediolani Philippo archiepiscopo, imperii

questione pendente inter Ottonem et Philippum supradictos, sublato dominio consulum, iterum introductum fuit regimen potestatum, et factus fuit potestas Iohannes Ruscha de Cumis per annum (1). Isto anno die XII octobris cremonenses venerunt ad Castrum novum, quod est in faucibus Abdue; ex altera parte venerunt mediolanenses, volentes illius castri dominium habere, et oppugnaverunt castrum a mane usque ad vesperas, sed cremonenses se fortiter defenderunt et castrum gubernaverunt. Tunc mediolanenses inde recedentes ceperunt Cornu et turrim de Domigono.

Mediolanenses destruxerunt terras de Papia et de Pergamo.

Christi anno MCC, stantibus supradictis concurrentiis, Gozius Gambara de Brixia factus est potestas Mediolani per annum. Isto tempore cives de Mediolano ceperunt turrim de Besate et centum cives de Papia captos abduxerunt, et de mense iulii intraverunt territorium de Pergamo, et destruxerunt Collonum et Risum, et ulterius procedentes Sonzinum in territorio cremonensium invaserunt, et per circuitum totum igne ferroque destruxerunt; et de mense septembris territorium de Papia aggressi sunt et funditus everterunt, XXV castra de Lomellina et Mortariam obtinuerunt. Hic nota ferocitatem civium de Mediolano et magnam potentiam, quia in una estate

(1) « Anno Domini MCXCVIII fuit decima consularia Mediolani, et facta fuit credentia s. Ambrosii, et rupta de Vercellis et de Salugia, et facta fuit pax de Laude.... et porta romana et porta cumana iverunt ad Brigam, et eodem anno porta romana et porta ticinensis et porta orientalis iverunt ad castrum novum de Bucha de Abdua cum magno exercitu et cum placentinis, et alie tres porte fecerunt scrutinium de Rizolo cum papiensibus, et fuerunt capti pergamenses ad Gilinum Orisii » (*Chron. Dan.*).

expugnaverunt terras cremonensium et terras pergamensium et terras papiensium [1].

Isto anno, sicut dicit Cronica laudensis, pro obsidione burgi mediolanenses pacem fecerunt cum laudensibus; et in pactis fuit quod laudenses dimitterent communitati mediolanensi Melegnianum citra Lambrum, Calvenzanum, Cervum ultra Lambrum, Vigizollum, Agnate et Gavazium.

Civitas Mediolani dividitur in tres partes.

Christi anno MCCI, eminente in Roma Innocentio tertio, sedente Mediolani Philippo archiepiscopo, durante discordia inter duos supradictos imperatores Ottonem et Philippum, in civitate Mediolani concitatis animositatibus et partialitatibus, de quibus supra dictum est, tam turpiter civitas fuit divisa in tres partes, quod quelibet pars sibi faceret suum potestatem, quorum neuter fuit alteri subditus, sed quilibet se appellavit potestatem in solidum. Potestas nobilium dictus fuit Albertus de Mandello, qui habitabat in palatio communitatis, et regebat per se; alter potestas pro parte illorum de Mota dictus est Raynerius Cotta, qui habitavit in alio palatio et regebat per se; tertius potestas pro populo et credentia dictus est Durdus Marcellinus, et regebat per se in domo credentie. Tunc pars nobilium sive cathaneorum et valvasorum fecit ex electis iuvenibus unam societatem, que dicta est societas galliardorum in odium populi et credentie, et contra Durdum de Marcellinis eorum tribunum. Eodem anno, scilicet die XXX aprilis, Iacobus pugil fortissimus mortuus est.

(1) « Porta ticinensis, porta vercellina, porta cumana, porta nova et alie tres porte tunc fecerunt scrutineum de Rosate cum papiensibus » (*Chron. Daniel.*).

Navigium incipitur et Viglevanum superatur et carrochium papiensium perditur.

Isto anno de comuni consilio trium potestatum inceptum fuit pons super Tycinum iuxta Vigievenum die v ante kalendas augusti, et die vi iulii castrum de Vigieveno captum fuit, et MCC cives de Papia meliores capti fuerunt, qui impedire volebant ne fieret pons super Tycinum. Videntes papienses se esse fere omnes aut mortuos, aut captos, et quia cives de Mediolano volebant invadere civitatem, et ad antiquam burgi servitutem deducere, venerunt cum corrigiis ad collum Mediolanum, et super palatium communitatis in manibus Philippi de Lampugnano sive de Prandebonis archiepiscopi mediolanensis iuraverunt fidelitatem, qualem servi prestare consueverunt dominis suis, et quod perpetuo essent obedientes et fideles communitati Mediolani. Tunc tradiderunt se et civitatem in manibus Mediolanensium, et de hoc facto sunt publica instrumenta. Et narrabat frater Leopardus natione papiensis ordinis fratrum predicatorum, quod pater suus fuerat ex illis qui iuraverunt predictam fidelitatem, et quod coacti fuerunt propriis manibus deiicere murum civitatis usque ad medium versus civitatem mediolanensem (1). Tunc temporis carrochium papiensium deductum fuit Mediolanum ; similiter et idolum Regosoris, quod Karolus Magnus illuc detulit, ad civitatem mediolanensem delatum fuisset, nisi Philippus archiepiscopus obstitisset.

(1) « Tunc inceptus fuit pons de Viglevano et facta fuit societas de Galiardis.... et ipso anno fuit pax Papiensium et Mediolanensium...... et iverunt porta romana et porta ticinensis in servitio Novariensium » (*Chron. Daniel.*).

Exclamatio contra Papiam.

O Papia parum pia, quid garris contra Mediolanum dominum tuum? recordare quod modo sunt anni transacti fere xl, quod tu fuisti burgus civitatis mediolanensis et recipiebas potestatem datum per sortem, sicut facere consueverunt alii burgi, et iurasti communitati mediolanensi fidelitatem perpetuam; sed quando advenit Federicus Barbarubea, quasi servus fugitivus fidelitatem non servasti, imo contra Mediolanum dominum peccatum lese maiestatis commisisti. Et nunc venerunt super caput tuum peccata tua, et iterum iurare fidelitatem et murum tuum propriis manibus deiicere coacta es. Ecce perdidisti carochium tuum; expecta quod cito exportabimus Regosorium, et postea exportabimus beatum Augustinum, et ponemus eum apud beatum Ambroxium patrem suum; et tunc incipies substinere ultimum opprobrium. O Papia garrula! admiror valde quod nescis stulta silere.

Papienses equitant post mediolanenses ad ipsorum preceptum.

Christi anno mccii, eminente in Roma Innocentio tertio, sedente Mediolani Philippo archiepiscopo, duobus imperatoribus scilicet Ottone et Philippo in discordia constitutis, sublatis tribus potestatibus discordantibus, commissum fuit Anselmo de Terziago quod provideret secundum suam discretionem de regimine potestatis, qui elegit duos consules, qui regerent per annum. Tunc cives de Mediolano, citatis papiensibus servis suis ut arma caperent, equitaverunt super territorium pergamensium, omnia destruentes, omnia consummantes. Isto anno lignum vere crucis, quod dicitur crux sancte Elene, quia ipsa habuit

crucem aureis laminis et argenteis et lapidibus pretiosis ornatam filio suo imperatori Constantino donaverat, mittebatur Venetias, sed casu ad manus ianuensium devenit, et reposita fuit in conventu fratrum predicatorum de Ianua.

Sotietas galiardorum creatur contra credentiam.

Christi anno MCCIII, eminente in Roma Innocentio tertio, sedente Mediolani Philippo archiepiscopo, duobus imperatoribus de imperio altercantibus, factus fuit potestas Sacchus de Sacchis de Laude (1). In civitate Mediolani magna discordia et periculosum schisma exortum est, quia illi de credentia cum populo cogitaverunt ponere discordiam et zelotipiam in parte cathaneorum et valvassorum, et elegerunt ex nobilioribus partis nobilium tres potestates, scilicet Tazum de Mandello, Dominicum de Burris, Manfredum de Osa (2), et ad arma clamitantes potestatem de civitate eiecerunt, et istas tres potestates in civitate rectores instituerunt, et ex hoc pars nobilium fuit debilitata nimis, quia isti tres potestates, derelicta parte nobilium, adheserunt parti populi et credentie. Tunc societas galiardorum cum tota parte nobilium timentes ne populi potentia nimis excresceret, elegerunt in odium populi et contra suos tres potestates alios tres, scilicet Gulliermum de Pusterla, Danisium Crivellum et Oldevrandinum de Campizio; et erant regimina distincta et discordantia, ut sicut civitas videretur esse duas civitates.

(1) « Qui dimisit mediolanenses sine regimine » *(Chron. Daniel.)*.

(2) « Et Oldradum de Canevexiis. Eodem anno inceptum fuit palatium novum de broleto veteri; et anno MCCIV Gulielmus de Pusterla fuit potestas Mediolani, et Olderadus Canevexius et galiardi exiverunt de civitate Mediolani pro suprascripta discordia » *(Ibid.)*

Cives de Mediolano
pugnant inter se in campo sine armis.

Christi anno MCCV, eminente in Roma Innocentio tertio, sedente Mediolani Philippo archiepiscopo, duobus electis imperatoribus scilicet Ottone et Philippo de imperio altercantibus, civitas mediolanensis in duas civitates et duos populos divisa, facta fuit questio quod introitus communitatis communiter dividerentur in hos duos populos, et crescentibus verbis venerunt ad arma, et continue fiebant pugne in civitate. Tunc fuit ordinatum, quod uterque populus sine armis extra civitatem in campis se inveniret, et suas probitates ostenderent; quo facto societas galliardorum nobilibus parentelis confecta, cum aliis nobilibus ex una parte, et ex alia parte populus cum credentia in campo communi convenerunt, et pugnatum est sine omni armatura ad alapas, ad capillos, ad brachia a mane usque ad vesperas, et innumerabiles vulnerati sunt aut super oculos, aut super dentes, multi confracti sunt in spatulis et lateribus, et facto vespere domum redierunt. Fuerunt in civitate viri boni, qui dolebant de tam enormi destructione civitatis, et inventa fuit concordia, quod supradicti sex potestates cassarentur, et quod committeretur Lantermo de Landriano, viro prudenti, quod provideret de regimine. Qui elegit duos consules comunes et pacificata fuit civitas. Et nota quod isti fuerunt ultimi consules, quia de cetero semper civitas regi cepit per potestates.

Legatus intravit Mediolanum, et Philippus
usurpator imperii moritur.

Christi anno MCCVI, stantibus supradictis concurrentiis, sublato totaliter regimine consulum, factus fuit potestas

Ubertus Vicecomes de Placentia. Isto tempore pro sedanda turbatione civitatis mediolanensis papa instituit quemdam patriarcham aquilegensem suum legatum generalem per totam Ytaliam. Qui veniens Mediolanum invenit nuper esse defunctum Philippum de Lampugniano archiepiscopum mediolanensem, cui fuit subrogatus Ubertus de Pirovano, ut infra dicetur. Hic legatus ad petitionem regis Francorum de consensu pape misit in Alamania, ut Philippus dux Suevie Federici Barberubee filius imperii usurpator et excommunicatus veniret Mediolanum ad ipsum, volens eum coronare in Mediolano, spreto Ottone Saxonum duce rege Alamanie filio ecclesie. Quo audito, Philippus pre nimio gaudio exultans convocavit principes, ut cum ipso intrarent Ytaliam. Qui celebrata mirabili curia cum lecto post meridiem decumberet, Lantegravius comes palatii ipsum gladio iugulavit.

Otto vocatur ad imperium.

Christi anno MCCVII, eminente in Roma Innocentio tertio, vacante imperio et sede Mediolani, congregati ordinarii ecclesie maioris, elegerunt in archiepiscopum Ubertum de Pirovano, qui sedit annis quatuor et mensibus tribus. Ex hoc habetur expresse, quod illi de Pirovano habuerunt tres archiepiscopos, scilicet Ubertum de Pirovano, cuius tempore civitas fuit destructa, et Algisium et hunc Ubertum, nec est aliqua parentela in Mediolano, que tot habuerit archiepiscopos. Isto tempore, mortuo Philippo imperatore supradicto, convenerunt in unum archiepiscopus coloniensis et rex Anglie, et Ricardus comes Flandrie, omnes avunculi Ottonis ducis Saxonie, qui ante per x annos in Aquisgrani fuerat coronatus in regem Alamanie, quod intraret Ytaliam et imperium acciperet.

Mediolanenses miserunt pro Ottone imperatore.

Christi anno supradicto, scilicet in MCCVII, eminente in Roma Innocentio tertio, sedente Mediolani Uberto secundo de Pirovano, factus fuit potestas Vicecomes de Vicecomitibus de Placentia. Eodem anno Otto quartus iterum in imperatorem fuit electus, cum iam regnasset annis x. Quo audito, cives de Mediolano, quod omnes Ottones de Saxonia civitatem mediolanensem summe dilexerunt et amplificaverunt, nominis et generis omine letati miserunt legatos in Alamaniam ut intraret Ytaliam, promittentes quod ipsum vellent coronare, et rogantes quod paci civitates dissollate deberet providere.

Otto confirmat privilegia civitatis mediolanensis.

Otto imperator ambaxiatores de Mediolano honorifice recepit, et communitati mediolanensi scripsit in hec verba: « Otto quartus Romanorum rex, potestati et consulibus etc. Intendimus civitatis mediolanensis privilegia a nostris predecessoribus concessa vobis confirmare, et ipsam civitatem mediolanensem super omnes civitates imperii plus honorare et exaltare, et omnia privilegia et consuetudines et omnem libertatem inviolabiliter conservare ». Postea hec omnia suo tempore aurea bulla communivit, que in archivis sancti Eustorgii cum aliis privilegiis communitatis habentur. Tunc instituit super Ytaliam suum legatum generalem quemdam Vulfrandum patriarcham aquileiensem, quem civibus de Mediolano recommendavit. Hinc ad intellectum omnium bellorum et historiarum subsequentium antequam de adventu istius Ottonis in Mediolanum dicatur, cogitavi expedire statum Ytalie describere, quantum ad maiores et barones.

Origo Yzillini de Romano diocesis Vicentine.

Inter alios maiores Ytalie primo dicamus de Yzillino, cuius origo talis fuit. In episcopatu vicentino fuit quidam comes castri de Romano dictus Yzillinus senior, vir hereticus et crudelis, qui semper adhesit Federico Barbarubee in destructione civitatis de Mediolano. Hic genuit duos filios, scilicet Yzillinum famosum et Albericum, et dicit Cronica Musati, quod iste Yzillinus fuit genitus per diabolum incubum, et factus iam magnus xv annorum, mater eius secreto eum advocavit, et dixit sibi modum et tempus, quo diabolus ipsum genuerat. Quo audito, in nullo timuit, sed exultavit reputans se beatum, si habuit talem nobilem patrem, sicut est diabolus; et tunc disposuit in corde suo omnia mala facere ad imitationem sui diaboli. Tunc temporis in Marchia Trivisana scilicet Padua, Verona, Trivisio, Vicentia et per omnes illas partes vigebant peccata indicibilia, et enormia nimis; et ait Deus: descendam de celo, et videbo utrum clamorem compleverint; et positus Deus pater in alto aere, circumstantibus omnibus sanctis et angelis, vidente quodam sancto heremita, Deus pater ait: et quomodo et per cuius manus possum vindictam sumere de peccatoribus Marche Trivisane? Tunc angeli obtulerunt ei Ottonem imperatorem, alii obtulerunt nunc hunc, nunc illum, ex quibus Deus pater nullum exceptavit esse suffitientem ad extirpanda illorum peccata. Finaliter unus angelus adduxit quemdam militem magnum corpore et grossum, cuius vultus fuit niger, os tumens, vox terribilis, aspectus terribilis, et ait angelus: hic est Yzillinus de Romano crudelior homo mundi; ipse erit suffitiens pro instanti negotio. Tunc Christus ei tradidit gladium evaginatum et ait: vade et fac vindictam de hostibus meis Marchie

Trivisine. Illè sanctus heremita, qui hec omnia videbat, consuevit sepe dicere: cavete a peccatis, quia vobis gravis instat ruina; sic et sic vidi. Homines triumphantur de verbis eius. Cum autem Yzillinus cepit dominari et transiret per viam, ubi sanctus heremita habitabat, intuitus heremita in eum clamavit: hic est ille vir diabolicus, quem vidi Christo astare in aere; ve, ve Marchie Trivisine. Similis visio habita fuit de Dionisio tyrampno Sicilie.

Crudelitates Yzillini.

Hic Yzillinus fuit omni Nerone crudelior, nam parvulos et puellas virgines per totam Marchiam Trivisanam castrari fecit, nobiles matronas in horribilibus carceribus inclusit, sanguine humano satiari non potuit, plusquam duodecim millia personarum gladio peremit; largus pecuniarum effusor fuit, exactor nummorum insaturabilis extitit, hereticus turpissimus et ecclesie hostis publicus semper permansit; nullus fuit ausus papam nominare, nullus fidem Christi predicare, sacerdotes et prelatos pro nihilo habuit trucidare. Hoc solum bonum habuit, quia de corpore suo honestus fuit, et tamen omnia illicita matrimonia procuravit, beneficia ecclesiarum, episcopatus et abbatias quasi alter papa contulit, propter quod papa contra ipsum crucem predicari fecit. Eius autem malitiis ultrix mediolanensium sagitta finem dedit, ut infra dicetur. Eius dominium magnum et diuturnum fuit in Padua, Verona, Vicentia, Trivisio et Brixia.

Yzillinus predicitur quod deberet mori iuxta Cassianum.

Yzillinus non solum fuit hereticus, imo fuit nigromanticus maximus. Cum autem quadam vice in castro suo,

quod Bassanum dicitur diocesis vicentine, diabolum invocasset, inter cetera eum interrogavit, ubi deberet mori; diabolus volens eum incautum reddere, respondit lingua blessa et balbutienti, et ait: tu morieris in Hausa, et disparuit. Yzillinus quia erat in castro Bassano, actu cogitavit quod diabolus dixisset in Bassa. Cum autem iuxta Cassanum Abdue ab exercitu Mediolanensium ad mortem fuisset vulneratus, interrogavit de nomine castri, cui responsum fuit quod vocaretur Cassanum; tunc intellexit diaboli prophetiam, et eiulando clamavit: Cassa Bassa, Bassa Cassa. Eius frater dictus est Albericus, qui fuit dominus civitatis vicentine, Yzillino peior atque crudelior; et pugnaverunt alter contra alterum, ut infra dicetur.

De Uberto Pellavisino.

Alter magnus dominus in Lombardia fuit Ubertus Pellavisinus vir crudelis et hereticus turpissimus, monunculus proditor et sceleratus. Hic cum in quocumque loco dominari cepisset, primo inquisitores hereticorum expulit, hereticis publicas scholas habere concessit, eos semper fovit. Eius dominium fuit forte et validum ultra modum, quia fuit dominus in Mediolano, Papia, Tretona, Alexandria, Vercelle, Novaria, Placentia, Cremona et Brixia, excepto dominio suo patrimoniali in multis castris et villis; et licet nullius urbis esset civis naturalis, sicut mos est nobilium, fuit tamen civis adoptivus Bobii, Parme, Placentie, Cremone et Mediolani.

Ubertus per inquisitores citatur.

Adveniente autem tempore opportuno, cum inciperet dominio suo deficere, inquisitores hereticorum ipsum

citaverunt, qui comparuit iuxta monasterium de Columba, ubi fortiter examinatus de fide respondit: ego dico quod non sum hereticus, quod non credo nec in Deo, nec in sanctis, nec umquam credidi, nec credo in missa, nec in alia vita, sed vivo iure naturali; si dicatur quod hereticos fovi, dico quod hoc feci non propter suam fidem, sed propter suas magnas pecunias, quas mihi donaverunt pro fatiendo guerram hostibus meis. Tunc inquisitores hereticorum interrogaverunt, si volebat ad veram fidem redire; respondit quod sic, et petiit absolvi a sententiis datis contra ipsum, et sic ad castrum suum rediit, ubi moriens vix unum medicum habere potuit. Eius filius dictus est Manfredus, qui genuit Ubertum. Cum autem inquisitores redissent Placentiam, XXVIII currus hereticorum in uno die comburi fecerunt; similiter in aliis civitatibus similia facta sunt.

De Bosio de Dovaria.

Tertius magnus dominus Lombardie dictus est Bosius de Dovaria, qui fuit natione cremonensis, vir hereticus et ecclesie hostis publicus. Hic fuit dominus civitatis cremonensis, et congregavit tantum thesaurum, quod implevit unum magnum scripnum, cui nomen erat leo. Quando aliquis sibi aliquid dicebat, quod sibi non esset gratum, ille respondebat: si feceris os leonis me aperire, totam Ytaliam fatiam tremere. Finaliter consumptis thesauris in pluribus bellis, exul in Verona obiit in paupertate et miseria.

Pars imperialis in Lombardia et de cathaneis et valvasoribus.

Isti tres heretici turpissimi, contra quos crux predicata fuit, in unum conglobati fecerunt ligam, que semper

esset contra ecclesiam et fidem catholicam. Quibus adiunctus est Salinguerra dominus civitatis Ferrariensis, similiter papienses, cremonenses, parmesani et cathanei et valvassores de Mediolano; et ista liga dicebatur imperialis sive gibilina.

Pars guelfa in Lombardia et de credentia.

E contrario iste lige facta est altera liga, in qua erat Azo marchio hestensis et Ricardus comes sancti Bonifatii, dominus civitatis veronensis et mantuane et Montesilicis, quibus adherebant brixienses, placentini et pars populi cum credentia de Mediolano, et ista liga dicebatur liga ecclesie sive guelfa, licet ecclesia has ligas in processu temporis plures facte transmutationes.

Duo nominati viri de Mediolano.

Duo fuerunt similiter in civitate Mediolani isto tempore viri ultramodum famosi, scilicet Gulliermus de Pusterla et Ubertus de la Cruce, qui multa cum Ottone imperatore facere habuerunt. Ideo antequam de Ottone aliquid dicatur, de his duobus dicendum evenit, et primo dicemus de Gulliermo de Pusterla, postea de Uberto.

De Gulliermo de Pusterla.

Gulliermus de Pusterla fuit vir ignarus litterarum, attamen factus potestas bononiensis omnes doctores iuris disputando superabat. Fuit tante prudentie, ut Marchus Tullius Cicero nuncuparetur. Videns Otto imperator tantam viri prudentiam, ipsum velut patrem honorabat, unde eum cathaneum fecit, et civitatem astensem ei in

feudum dedit, ut inde reciperet pro feudo xxx marchas argenti purissimi, quas solverunt usque ad tempora Gullierni Abyatici istius magni satis vilis causa inducti. Contulit etiam imperator vexillum imperiale cum aquila ipsi magno Gulliermo, quam in processu temporis etiam alii de Pusterla assumpserunt.

De Uberto de la Cruce.

Ubertus de la Cruce fuit vir probior quam haberet mundus. Hunc Otto imperator in tantum dilexit, quod fecit eum comitem de Batfol in Apuliam. Eius frater, dictus Leonardus, fuit vir prudentissimus, multarum civitatum rector excellentissimus; eorum progenies comitum prosapiam sapit. De Uberti probitatibus audiamus. Legitur in Cronicis Bonvesini quod hic Ubertus equum oneratum tribus sacchis farine, manu sub ventre equi apposita, ipsum a terra elevabat, et super scalas in solarium deferebat. Item ipso stante in media strata uno pede elevato, non inveniebat qui cursu in ipsum facto posset eum de loco movere, nec pedem faceret deponere. Item alligatus in brachio dextro sex funibus, et in sinistro aliis sex, viris sex hinc trahentibus, aliis sex ab altera parte similiter, tanta fortitudine pollebat, quod libere utraque manu cibum sumebat et potum. Semel captus ab exercitu papiensium adhuc puer cum Papiam duceretur, commotus iniuriis totum exercitum papiensium quodam gladio sibi subministrato prostravit atque dispersit, et sanus et incolumis domum rediit, quibus mirum libenter fugere consueverunt a facie exercitus mediolanensium, ex quo unus solus civis de Mediolano omnes papienses fugavit. Item cum fuisset sibi ostensus iactus lapidis Rolandi, ipse eundem lapidem equali distantia iacit. Hic Ubertus

genuit filiam, que fuit tante fortitudinis, quod unam brentam vini plenam a terra faciliter elevabat, quasi de ziato vinum bibisset. Multos tales pugiles terra nostra produxit, videlicet Vivianum, de quo multa cantantur, et Iacobum Motham, Rolandum comitem Anglerie, Ubertum Vicecomitem et alios quamplures, quorum pares mundus non habuit. His itaque prelibatis, quod ad historiarum declarationem quamplurimum valent, nunc ad seriem libri redeamus.

Carrochium de Cremona capitur.

Christi anno supradicto, scilicet in anno MCCVII, cremonenses, adiuncto sibi Ayone marchione Hestensi, domino civitatis veronensis et ferrariensis, equitaverunt versus Brixiam, et Pontemvicum communiverunt. Quo audito, cives de Mediolano illuc properaverunt, castrum recuperaverunt et CCC cremonenses captos ad carceres de Mediolano deduxerunt, et castrum illud civitati brixiensi donaverunt, carrochium cremonensium iam quartum Mediolanum perduxerunt. Certe, o bona Cremona, si omni anno debes perdere unum carrochium, nimis erit tibi magna carestia lignorum.

Otto imperator intravit Mediolanum cum mirabili gloria.

Christi anno MCCVIII, eminente in Roma Innocentio tertio, sedente Mediolani Uberto secundo de Pirovano, Oddo, sive Otto, huius nominis quartus, exiens de Alamania, ubi iam sex annis regnaverat, intravit Ytaliam; et cum vellet intrare Mediolanum, mille pueri occurrerunt ei vestiti omnes rubeo et glauco mitrati sive coronati

cartis habentibus depictas aquilas imperiales, cantantes, quod fuit imperatori ultra modum gratum ad videndum. Fuit autem coronatus per archiepiscopum mediolanensem in sabato sancto in ecclesia sancti Ambroxii, qui pro sua coronatione nihil voluit recipere. Civitatem mediolanensem miro modo dilexit, et dedit communitati privilegium, cuius tenor supra habetur. Item fecit comitem de Bathfol Ubertum de la Cruce, et Guillermum de Pusterla fecit cathaneum, dans ei in feudum civitatem astensem, ut supra dictum est. Item abbatem monasterii de Morimundo fecit comitem in comitatu de Bassiano; ex hoc abbas tenetur imperio omni anno in uno floreno pro censu. Causa autem, quare ille comitatus fuit alienatus, ista fuit: comites de castro Basiliano, quod erat in ripa Ticini, tenebantur imperatorem conducere ultra Padum et reducere. Pado existente congelato, ille comes conduxit imperatorem cum toto exercitu ultra Padum; quo comperto, imperator turbatus illi comiti iussit abscindi caput, et omnis eius proles perpetuo exbanniri; qui iverunt in Tusciam, et facti sunt potentes nimis. Tunc imperator illum comitatum donavit monasterio de Morimundo, ut dictum est.

Otto imperator vadit Romam.

Facta coronatione, iuraverunt fidelitatem ecclesie infrascripte civitates, scilicet Mediolanum, Papia, Cremona, Placentia et Brixia; item Yzilinus de Romano, Ubertus Pellavisinus et fere tota Ytalia. Tunc associatus per archiepiscopum Ubertum de Pirovano Romam perrexit, et dicit Cronica Crotonii, quod Innocentius tertius in basilica s. Petri de Roma ipsum coronavit die XIV augusti, pontificatus sui anno XII, anno Christi MCCVIII; et

imperavit annis quatuor, et antequam coronaretur, iuravit servare quatuor; primo iuravit more suorum predecessorum fidelitatem ecclesie sub nomine feudi; secundo iuravit patrimonium sancte ecclesie conservare et defendere; tertio iuravit habere pacem cum Federico ultimo rege Sicilie, et recognovit illud regnum non ad imperium, sed ad ecclesiam cum proprietate pertinere; quarto iuravit romanis satisfacere de expensis et eos in nullo molestare.

Otto tyrampnizat contra ecclesiam.

Coronato itaque, ut dictum est, imperator, prout erat minus verax in verbis et nimis elatus in factis, in superbiam se erigens contra predicta quatuor ipse fecit, primo quia romanis de expensis satisfacere noluit, imo contra eos arma movens ipso die coronationis sue multos interfecit. Item castra et munitiones de iure beati Petri occupavit, et mittens cum auxilio pisanorum XL galeras in Apuliam, comitem Raynerium de Sartiano et comitem Tribuldum cum exercitu totum regnum manu Federici abstulit, et ipsum regem ad magnam paupertatem deduxit, in tantum ut derisorie regulus diceretur. Papam et ecclesiam non in verbis sed factis despexit, propter quod papa ipsum primo excommunicavit, finaliter tamquam scismaticum et periurium, et hostem ecclesie ipsum imperii dignitate privavit, omnibus hominibus prohibens ne ipsum imperatorem nominarent, et archiepiscopum pisanum primatu Sardinie privavit; et misit electoribus Alamanie, ut alium imperatorem eligerent, qui elegerunt Federicum Rogerium regem Sicilie. Quo audito navigio Romam pervenit, ubi per papam Innocentium totus pauper et egenus honorifice receptus fuit, quem papa in Alamaniam misit, et contra omnium spem de ipso triumphavit.

Otto habuit in reverentiam sententiam pape.

Otto licet autem propter verba pape imperii insignia portaret, et ius suum potenter defenderet, hoc bonum habuit, ut dicit Crotonius, quia dum audivit se esse excommunicatum, semper de cetero super terram comedit et solus, et moriens ossa sua ad pedes pape portari iussit, ut sic saltem communicaret ecclesie mortuus, contra quam erraverat existens vivus. Et in hoc facto omnibus fidelibus exemplum humilitatis ad ecclesiam dedit.

De societate fortium.

Christi anno MCCIX, eminente in Roma Innocentio tertio, sedente Mediolani Uberto secundo de Pirovano, imperante Ottone quarto, factus fuit potestas Albertus de Fontana placentinus. Isto tempore facta fuit quedam societas ex popularibus et ex illis de credentia pro custodia carroceri, que dicta fuit societas fortium, cuius caput et capitaneus fuit Henricus de Modoetia, et iuraverunt potius mori in campo quam turpem fugam facere, vel carrochium derelinquere. Et sic fuerunt due societates in civitate, una ex nobilibus equestris, que dicta fuit societas galiardorum, alia ex popularibus pedestris, que dicta est societas fortium. Et una erat contraria alteri.

Otto pugnat contra regem franchorum.

Christi anno MCCX, stantibus supradictis concurrentiis, factus fuit potestas Ubertus Nucus de Placentia. Isto tempore Otto imperator, associatis sibi comite Flandrie et comite sancti Pauli, a Philippo rege Franchorum petiit tres civitates, scilicet Parisius, Carnotum et Aurelianis, dicens

hoc sibi debere quia promisit ei has terras dare, si quo tempore fuisset imperator. Rex Franchorum misit sibi tres caniculas, quarum una dicta est Parisius, altera Carnotum, altera Aurelianis. Ex hoc turbatus imperator arma movit, cui rex Francorum obviam venit; et dicit Crotonius, quod non habuit ultra DC milites, et prostratus est Otto imperator, et proditores fuerunt puniti, scilicet comes sancti Pauli et comes Flandrie, servi sunt dati libertati, qui pro corona Franchie pugnaverunt. Hec Crotonius in Cronicis. Isto tempore moritur Innocentius tertius.

Federicus Rogerius fit imperator contra Ottonem.

Christi anno MCCXI, sedente Mediolani Uberto archiepiscopo, imperante Ottone quarto, factus fuit potestas Gulliermus de Lando de Placentia, et eodem tempore factus fuit papa Honorius tertius, qui sedit annis X et mensibus VIII. Isto anno papa, deposito Ottone quarto de imperio, misit unum legatum in Ytaliam, qui dictus est Gerardus de Sessio de Regio. Hic contra imperatorem convocavit concilium contra Ottonem quartum depositum, denuntians quod Rogerius Federicus rex Sicilie ad petitionem pape esset electus imperator; et isti parti, scilicet Rogerii Federici, adhesit Azo marchio hestensis dominus Ferrarie et Verone, item papienses et cremonenses. Ex altera parte Otto imperator depositus et hostis ecclesie publicus in Parma convocavit concilium, quod vellet pugnare contra ecclesiam et contra papam, et imperii coronam defendere, et ipsi parti adheserunt mediolanenses, parati contra papam et contra ecclesiam pugnare pro Ottone amico suo. Tunc imperavit, exbannivit de toto imperio Azum marchionem hestensem et veronenses

et ferrarienses eius subditos. Postea imperator venit Laude, deinde Mediolanum, ubi contraxit moram per xv dies, postea ivit in Alamaniam.

Federicus venit Romam, postea Papiam.

Anno eodem, scilicet in MCCXI, electores Alamanie elegerunt in imperatorem de mandato pape Rogerium Federicum regem Sicilie, vivente Ottone supradicto, qui eum esset in Sicilia, ubi natus et nutritus fuerat ex dote matris et regine Constantie rex naturalis, audito quod esset electus imperator, Romam pauper et egenus navigio pervenit, quem papa Honorius honorifice recepit, et eum in regem Romanorum confirmavit. Quo facto, navigio Ianuam pervenit; et dicit Crotonius, quod venit Ianuam nullo proprio stipatus exercitu. Cum autem non haberet unde nautis ianuensibus solveret, adveniente Bonifatio marchione Montisferrati et civibus de Papia ei usque Ianuam obviam, per papienses pecunia redemptus fuit.

Mediolanenses fugaverunt Federicum imperatorem et elephantem eius.

Cum Rogerius Federicus rex Romanorum, filius ecclesie, vellet de Ianua transire in Alamaniam, per papienses deducebatur Papiam, et dicit Cronica Crotonii, quod cum Federicus inter Laude et Papiam iuxta fluvium Lambrum vellet transire, cives de Mediolano cum carrocero et universa potentia sua cupientes Federicum Rogerium capere verum imperatorem, et Ottoni hosti ecclesie ipsum tradere, quodam die dominico tertio ante kalendas augusti papienses ducebant Federicum usque Cremonam, et pervenerunt ad Montem Malum; et cum pervenissent

